
Annumeror mussis
Gregorij Martiny
1711. d. 4 Aug.


CHRISTOPHORI CELLARI
NVCLEVS
GEOGRAPHIÆ
ANTIQVÆ ET NOVÆ
VNVS ORBIS NON SVFFICIT
IENÆ
Apud Iohannem Bielckium
1692

CHRISTOPHORI CELLARII
SMALCALDIENSIS

GEOGRAPHIA ANTIQVA
iuxta &
NOVA,

Recognita & ad veterum nouorumque ſcriptorum fidem, hiſtoricorum maxime, idemtidem caſtigata,
&
plurimis locis aucta
ac immutata.

IENAE
Sumtu IO. BIELCKII, Bibliop.
Literis WERTHERIANIS,
M DC XCII.

LECTORI

S. P.

Cvm Geographiam Antiquam, multis accessionibus auctam & ad veterum monumentorum fidem subinde correctam edidissem; dubitare cœpi, qua methodo Nouæ, quam promiseram, vt Antiquæ responderent, supplementa ordinarem. In mentem veniebant innumerabiles libelli, qui Geographiæ in se explicationem contineant, & quidquid huius notitiæ est, opulentis inscriptionibus pro-

mittant, vt ſuperuacuus videri labor potuerit, qui huic ſtudio, litteris proſequendo, denuo impendatur. Cum vero vtrumque laborem cum cura æſtimaremus, non ſolum Antiquam ſcripſiſſe non pœnituit, ſed in Nouæ etiam adiiciendæ ſtudio confirmati non mediocriter fuimus. Vidimus enim vel aliud aliis conſtitutum, quam nobis, fuiſſe, vt vel per ſingulas regiones tantummodo capita attigerint, nihil fere ad loci poſitionem aut plagarum ſitum referentes: ſecuriores de iuriſdictione, aut cuius imperio quæque ſint ſubiecta, quid-

quidue ad quemuis locum antiquis aut proximis temporibus ſit memorabiliter geſtum; hæc, inquam, cum æſtimaremus diligentius, non putabamus nullam nos gratiam inituros eſſe, ſi quam cœperamus Antiquæ Geographiæ telam in Noua pertexenda continuaremus. Si quam enim diſciplinam liberalem; certe Geographiam hoc commune fatum habuit, vt quæ ſuperiori tempore tradita fuerunt a viris induſtriæ laude haud fraudandis, noſtra ætate raro augeantur, plerumque autem ſic ad verbum deſcripta exhibeantur, vt erro-

rores etiam, a quibus in tam vaſto ſtudio non facile quisquam immunis eſt, identidem retenti ſummaque fide cuſtoditi ad poſteros propagentur. Experti ſumus, cum Lexicis augendis emendandisque nuper operam addixeramus, in Henrici Stephani ac Cœlii Secundi laboribus ita pleroſque adquieuiſſe, indeque ſua compilaſſe dictionaria, vt, quando ſummi illi viri vel humani aliquid paſſi, vel decepti fuerunt praua codicum ſcriptura, nemo facile de errore corrigendo cogitarit, vt potius noua ſubinde vetuſtis erratis addiderint. Eadem

ſer-

ferme Geographiæ accidisse deprehendo, & multi libri, si ad trutinam reuocantur, ex aliis descripti sine exploratione videntur, quo factum fuit, vt prioribus omissa non modo supplerentur, sed retentis etiam quæ falsa erant ac erronea, ad meliorem faciem vix vnquam reformaretur Geographia. Sæpe etiam antiqua nouis permista, aut vtraque a locorum habitudine, quæ sub medium æuum fuit, haud probe distincta, confusionis obscuritatisque non minimum pepererunt. Quare recte & ordine facturi videbamur, si vetera a nouis

 seiun-

ſeiungeremus ; & ſeorſum quoque explicaremus, quæ mediis temporibus locorum imperiorumque fuerit facies. De medio æuo iam non ſolliciti ſumus, quod meliori otio reſeruamus; nunc magis neceſſariis, hoc eſt antiqui orbis, & noſtrorum temporum topographiæ intenti vnice. In vtraque autem parte, auctores ſecuti ſumus, vt quisque temporibus, quæ tractabamus, proximus erat, etiam fide ob peritiam geographicam non indignus. Nec geographos modo, qui ſæpe fallunt, conſuluimus, ſed hiſtoricos etiam, ex quibus

bus corrigi poſſunt; quæ falſo a geographis ſunt prodita. Neque his vbique fides tuto habetur, ſed plurium eorumque meliorum comparatione facta, id quod veriſſimum apparet, & cum geographorum traditione concordat propius, tenendum ſequendumque fuit. Sunt enim, vt exemplis nos explicemus, in recentibus, qui *Mycalen* oppidum Cypri faciunt, vt idem prœlium Græcorum, quo apud Cyprum, ex aduerſo Eurymedontis Pamphyliæ fluminis, Perſarum claſſem ſuperarunt, poſſit etiam apud Mycalen commiſſum dici.

 Sed

Sed quæ veſtigia illius oppidi in antiquitate? nulla ſane deprehendo, & Diodorus lib. XI cap. XXXIV omnem nouitatem, quæ Cornelio forſan Nepoti excuſando in Cimone cap. II) inuenitur, fortiter diſpellit, Μυκάλην τῆς Ιωνίας, *Mycalen Ioniæ*, non Cypri, appellans, quæ nomen prœlio iſti acerrimo largita fuit. Neque minus interdum in oppidis eiusdem nominis inuenio erratum eſſe, dum, verbi gratia, Antiochi Magni cum Romanis prœlium ad *Magneſiam* illam factum ſcribunt, quæ Mæandro fluuio impoſita fuit, cum potius *Ma-*

Magnesia, quæ *ad Sipylum* erat, vt Liuius lib. XXXVII cap. XXXVII appellat, siue ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, vt apud Strabonem lib. XIII est, intelligenda sit, quippe proximis ante prœlium diebus rex Antiochus castra habuit ἀμφὶ τὸ ὄρος τὸ Σίπυλον, *circa montem Sipylum*, Appiano Aleaxndrino auctore in Syriacis. Inprimis circa *Philippos*, diversarum vrbium, vt creditur, nomen, halucinatos tam veteres, quam nostræ ætatis scriptores animaduertimus. Quid enim frequentius in geographorum libellis, quam quod *in Philippicis & Pharsalicis campis*

Pompeius a C. Iulio Cæsare; Cassius & Brutus a Cæsare Octauiano & Antonio bellis ciuilibus fuerint profligati. Ne putes diuersa prœlia ita distingui voluisse, vt ad diuersa loca referrentur; en principis in hac litteratura viri, Caroli nempe Stephani verba ex Dictionario, vnde recentes sua hauriunt, etiam nouissime per Nicolaum Lloydium aucto & interpolato, proferam. *Philippi*, inquit, *colonia & vrbs Macedoniæ in Thraciæ confinio: hic campi Philippici, vbi inter Cæsarem & Pompeium pugnatum est: postea vero*

inter

inter Augustum & Cassium. Nec nostro demum aut superiori ita scriptum fuit sæculo, sed & multa antiquitatis monumenta idem præ se erroris ferunt. Quis credat Virgilium, Ouidium, Manilium, Lucanum (at quantos poetas & quam peritos rerum geographicarum!) nominis similitudine defraudari potuisse? iste enim I Georg. v. 490.

Romanas acies iterum videre Philippi:

ille vero XV Metamorph. v. 829.

Emathiique iterum madefient cæde Philippi:

 hic

hic Aſtronom. lib. I. v. 907

Arma Philippæos imple-
runt agmine campos.
Vix etiam ſicca miles Ro-
manus arena
Oſſa virûm laceroſq; prius
ſuperadſtitit artus.

Lucanus denique lib. VII v. 853

Ante nouæ venient acies
ſcelerique ſecundo
Præſtabis nondum ſiccos
hoc ſanguine campos.

Et ne ſolos ita poetas luſiſſe exiſtimes, ecce Florus, accuratus cetera in locorum notatione ſcriptor, Bruto & Caſſio eandem quam Cn. Pompeio, *arenam fatalem* lib.

lib. IIII cap. VII attribuit. Quis non fidat tantorum auctoritati? sed quo minus fidei habeam, Dio Cassius lib. XLVII, & Appianus Alexandrinus lib. IIII Ciuilium bellorum, suasores sunt, vterque fatalem prœliorum locum ita describens, vt seiunctis regionibus commissa fuisse intelligantur, Pompeii nempe atque Cæsaris in Pharsalicis Thessaliæ campis, nec in Estiæotide seu ea Thessaliæ parte, quæ Epirum spectat, vbi Pharsalum in tabulis aliquot, etiam Cluuerii toties auctæ Introductioni adnexis collocari videmus; sed circa Phthi-

Phthiotidem, magis orientalem Thessaliæ partem, & ad Peneum fluuium, vt supra laudatos scriptores vel ex ipsius Cæsaris commentariis cognoscitur. Philippense autem ita notarunt iidem auctores, vt singulorum ferme dierum iter, quo ex Asia exercitum in Europam Cassius traiecit, & inde per inuios Thraciæ montes ad Philippos, illam vrbem deduxit, quæ Æno & Neapoli oppidis, Thaso insulæ, & Strymoni fluuio propinquior erat, summo studio & industria perscripserint. Possem etiam exempla Curtii, Solini, aliorumque

que commemorare, ſi con-
ſtitutum nobis eſſet aucto-
rum errores recenſere, nec
potius noſtri propoſiti tan-
tummodo rationem redde-
re. Non autem putandum
eſt, veterem ſolam Geogra-
phiam hæc fata manere,
nouæ expedita & plana eſſe
omnia. Si dicendum eſt,
quod ſentimus, ſæpius cer-
tiorem antiquam inueniri,
quam quæ eſt recentis tem-
poris, aperte profitemur,
quia priſcis ſæculis ingenia
floruerunt, quæ ſuæ res
ætatis accurate perſcribe-
bant: iam vero pauci ad-
modum ſunt, qui vel hi-
ſtorias vel topographias,
quo

quo par erat, ſtudio & diligentia conficiant. Sola Germania documento eſſe poteſt, quam neque ex amplis libris, quos de illa compoſitos habemus, ita plane cognoſcimus, vt nihil dubitationis relinquatur. Multa deſunt neceſſaria, multa abundant vilia & prætermittenda: ſæpe ita dubie res tractatur, vt nihil minus inde percipias, quam cui prouinciæ, cuiusque dominio ſit oppidum aliquod aut regiuncula adiudicanda. Cum ſitum loci aut poſſeſſorem inquiris, forſan qualis ibi cereuiſia coquatur, & cuius

ius ſaporis piſces alant præterfluentes vndæ, quotiesque altero aut tertio abhinc ſæculo incendia abſumſerint, & his ſimilia enarrantur, neglectis & prætermiſſis quæ poſitionem certiorem, ſtatum reipublicæ & poſſeſſionis formam atque iura explicent, quod, ſi ulla in regione, certe in Germania noſtra, innumeris atque diuerſisſimis dominiis diſtincta, plurimum obſcuritatis parit, quam diſpellere, & lucem vbique clariſſimam adferre non vnius hominis eſt, ſed verior deſcriptio a multis ſimul exſpectanda,

da, vt quisque patriam ſuam, aut in qua multum verſatus fuit, prouinciam delineet, ex quibus poſtmodum vniuerſæ regionis geographia conficiatur. Sed optanda potius, quam ſperanda talis concordia eſt, & contenti debemus iis eſſe, quæ ex libris partim, quamlibet non ſemper caſtigatis, partim experientia vel noſtra vel aliorum; quos conſulimus, condiſcere conceſſum eſt. Quantum fieri potuit, ſtudio, cura, induſtria inquiſiuimus, vt non veram modo locorum diſtantiam atque ſitum ſecundum maria, flumina

aut

aut alias res a natura factas, saltim secundum cardinales plagas respectu locorum magis cognitorum, determinaremus; sed inprimis etiam, cuius ditionis sit, & cui domino possessorique singula pareant, ex recentissimis historiis aut fide dignis hominibus locorumque peritis cognoscceremus. Quo factum est, vt in Germaniæ nouæ descriptione, cuius maxime necessaria notitia est, copiosiores quodammodo fuerimus, quam instituta propositi ratio & in ceteris partibus recepta consuetudo nostra postulare videbantur.

Si

Si vero etiam nobis accidit, quod plurimis, & in lubrico huius materiæ non nunquam vacillauimus; a te, cordate Lector, id humanitatis iudicium, quod æquum eſt iis non denegari, qui quidquid ingenio, ſtudio atque induſtria poſſunt, ad publicam vtilitatem reique litterariæ incrementum conferunt, etiam atque etiam ſperamus,

Vale.

CHRISTOPHORI CELLARII
SMALCALDIENSIS

GEOGRAPHIA NOVA,

Siue

Hodiernam Terrarum
Orbis faciem clariſſime
illuſtrans,

Ad noſtrorum temporum
Hiſtorias accommodata.

IENAE
Sumtu IO. BIELKII, Bibliopol.
Literis WERTHERIANIS,
MDCXCII.

ANtiqui orbis de-
ſcriptionem geo-
graphicam edidi-
mus: vt Nouus et-
iam delineetur, res ipſa &
priſtina inſtituti ratio poſtu-
lat. Quemadmodum enim
olim antiquam & noſtri
temporis Chorographiam
ſummario breui coniunxe-
ramus, cum primum aliquid
in hac cauſſa ſcriberemus: ita
par omnino eſt, poſtquam
Antiquam recognouimus,
& infinitis locis auctiorem
exhibuimus; vt Noua etiam
emendatior iterum locuple-
tiorque prodeat, quod ea le-
ge præſtabimus, vt quan-

tūm fieri per fines regionum mutatos poteſt, hodierni orbis deſcriptio antiquæ Geographiæ reſpondeat, iniecta ſubinde mentione præcipuarum rerum, quæ ad quemuis locum bene maleve geſtæ fuerunt. Incipimus ab Europæ occidentali latere, in ortum inde pedetentim progreſſuri: quo peragrato in meridiem & alias plagas, quæ reſtant explicandæ, declinabimus. Cetera, quæ præmonenda erant, *Introductio* Antiquæ Geographiæ præmiſſa, expoſuit.

CA-

CAPVT I.

DE PORTVGALLIA.

PORtugallia non iisdem finibus ac veterum Luſitania deſcribi poſtulant, ſiue hæc cum antiquiſſimis inter Tagum & Oceanum Cantabricum, ſiue, vt Cæſarum æuo, inter Durium & ſinum Gaditanum concludatur. Etenim vltra Durium ad Minii vſque flumen propagata Portugallia eſt: nec in auſtro ſunt iidem prorſus termini, niſi Algarbiam, quæ aliis diſtinctum regnum eſt, ſub Portugallia comprehendamus, ſicut reuera in ditione eſt Portugallorum. Orientalis terminus alicubi laxior eſt, & Anæ ripam transgreditur: arctior alibi, vt quædam veteris Caſtellæ pars, & Extremadura, quæ Luſitanorum quondam fuerant, a Portugallia excludantur.

Nomen quidam interpretantur *portum Gallorum*, quaſi hujus gentis colo-

niæ in has oras ſe diffuderint : ſed pluribus a *Cale* ſiue *Calle*, quaſi *Callaicorum portus* denominari creditur.

Flumina huius regni nobiliora ſunt *Minho*, Minius, limes ſeptentrionalis, a Gallicia diſterminans : *Douro*, Durius : *Mondego*, Monda : *Taio*, vel *Teio*, Tagus : *Guadiana*, Anas. Minora ſuis locis memorabimus.

Diuiditur Portugallia in quinque prouincias ; *Interamniam* ſeptentrionalem, *Tramontanam*, *Beiram*, *Extremaduram*, & *Tranſtaganam*, quibus *Algarbia* non tam prouinciæ titulo, quam regni ſingularis, adiungi poteſt.

INTERAMNENSIS prouinciæ, *entro Douro è Minho*, inter Durium & Minium ſitæ, caput eſt *Braga*, archiepiſcopalis ciuitas, vetus Bracara ; *Porto*, (Belgis *Port à Port*) Portus Cale, celebre emporium, Durii oſtio adpoſitum : *Villa Real*, Villa Regia, oppidum Ducatus titulo inſignitum. *Lima* fluuius inter Bragam & Minium medius, olim Limia vel Limæas, cui Mela obliuionis fabulam, ab aliis Æmi-

minio in Beira prouincia attributam, imputat.

TRANSMONTANA (*Tralos montes*) Interamnensi ab ortu adiacet. *Braganza*, Brigantia, præcipua ciuitas, Ducum olim, nunc Portugalliæ Regum mater: *Miranda*, cognomento Durii, (*Miranda de Douro*) episcopalis & munita vrbs: *Chaves*, olim Aquæ Flauiæ, paruum nunc oppidulum, sed antiquitatis reliquiis commendatum: *Villa Viçosa*, sedes antea Brigantiæ Ducum, nunc Regum secessus & deliciæ.

BEIRA inter Durium & Mondam amnes. In hoc tractu sunt *Lamego*, Lameca; *Viseo*, Viseum & Visensis ciuitas, ambæ episcopales: *Aveiro*, Lauara, aut Talabrica, ad mare: *Guarda* prope fontes Mondæ: *Coimbra*, ex ruderibus forsan & nomine Conimbricæ tribus leucis remotæ, orta, ad Mondam fluuium posita, academia & episcopatu insignis. *Agueda* siue Ageda ad amnem cognominem, vetus Æminium, oppi-

dum & flumen, ab obliuione fabulose cognominatum.

ESTREMADVRA, Extrema Durii, portio Portugalliæ circa Tagi ostia, distincta ab Extremadura Castellana, de qua in Hispania dicemus. Heic caput non prouinciæ modo, sed vniversi regni *Lisboa* est, Gallis *Lisbone*, nostris *Lisabon*, Olisipo veteribus, regum sedes & emporium totius Europæ maximum, Tagi fere ostio, siue portuoso æstuario, cui Tagus infunditur, superimpositum. Prope abest *Belem*, paruum oppidum, sed regum quorundam sepulcro notum: *Leiria* episcopalis: post *Santeren*, quasi Sancta Irene, cui virgini hic locus sacer est, olim Scalabis dictus: *Tomar* autem ex ruinis Nabantii ortum, sacri ordinis, qui Christi militiam profitetur, conuentus aut domicilium: *Setubal* siue *Setuual*, Belgis *Saint Vbes*, (veterum forte Cetobriga, aut secundum alios Salacia, sed hæc pluribus hodie pagus esse *Alcaçar do Sal* videtur) portu & mercatu celebris, ad ostium Polypodis amnis, nunc

Zadaon

Zadaon dicti : *Aljubarota* vicus victoria Ioannis regis contra Castellanos 1386 nobilitatus. *Almerinum* secessus regum hibernus ad Tagum : *Alanguer*, a quibusdam Alanorum fanum explicatur.

TRANSTAGANA, *Alentejo* Portugallis, respectu Lisbonæ dicitur illa regio, quæ intra Tagum, Anam & regnum Algarbiæ est, in qua vrbs & Archiepiscopi sedes laudatur *Evora*, olim Ebora, iuxta quam Hispanos 1663 Portugalli fuderunt : post hanc est *Elvas* (Heluæ, Elua) episcopalis, frustra 1659 a Castellanis obsessa : aquæductum Romanæ antiquitatis adseruans : *Portalegre*, Portus alacer ; *Beia*, Pax Iulia; *Oliuenza* & *Serpa* ad Anam : *Ourique*, Vricum, castrum Alphonsi, contra Mauros victoria 1139 laudatum : *Extremoz*, Extrema siue Stremontium.

ALGARBIA, infima & meridialis pars regni Portugallici, a camporum fertilitate (Arabibus enim *aruum consitum* sonat) nomen trahens. Quanquam exiguis terminis, Ana, Oceano & Transtaganæ limite coarctatur : tamen

proprii regni titulo insignita est. Oppida sunt, *S. Vincente* iuxta Sacrum promontorium, quod nunc *Cabo de S. Vincente* appellatur, in extremo occidentis angulo: *Lagos*, Melæ Lacobriga, portu instructa in sinu Gaditano: *Faro*, Pharus, sola vrbs episcopalis in Algarbiensi regno, itidem portu prædita, sicut etiam *Tauila* siue *Tauira* inter Faro & amnem Guadianam, qui Anas est, posita, quæ creditur veterum Balsa esse: *Silues* autem a mari quodammodo recedit, eo loco fere sita, quo veterum Ossonoba fuit.

CAPVT II.
DE HISPANIA.

HIspania propria, vt a Portugalliæ regno distincta est, ab occasu fines communes cum Portugallia, & præter illos, Oceanum quoque in Gallicia & Andalusiæ parte: a septentrione Oceanum Cantabricum cum parte Pyrenæ

renæorum montium habet: orientem ac meridiem Mediterraneum mare determinat.

Fluuii maiores præter *Durium*, *Tagum*, nunc Taio, *Anam* siue Guadianam, quos in Portugallia diximus, sunt potissimum *Guadalquibir* siue *Batis*, & *Iberus*, hodie *Ebro* dictus: minores cum vrbibus quas alluunt, sparsim, si digni sunt, memorabuntur.

In multa quondam regna, præsertim cum Mauri imperarent, Hispania diuisa fuit, vt Andalusiæ, Granadæ, Murciæ, Valentiæ, Aragoniæ, Nauarræ, Legionis, Asturiæ, Galliciæ, vtriusque Castiliæ, Insulanum, quibus Catalonia addenda est, quamuis princeps eius carebat regio nomine. Erant quoque in ipsis Aragoniæ finibus minora regna Sobrarbiæ & Ribagorzæ, sed pleraque horum cum barbarorum dominatu desierunt, adeo vt hodie tantum Castiliæ, Aragoniæ & Nauarræ mentio celebretur: reliquorum nomina sub his contineantur, quemadmodum Catalonia & Valentia ad Aragoniæ regnum

pertinent, cetera, excepto Nauarræ regno, ad Castilianum, quod quia nunc etiam Aragoniam & Nauarram Superiorem possidet, *Hispaniæ* antiquo nomine, quam *Castiliæ*, quod partis tantummodo est, malunt incolæ appellare. Nihilominus veterem illam siue barbaro æuo vsitatam diuisionem vel regnorum vel maiorum prouinciarum in enumeratione nostra persequemur.

GALLICIA siue *Gallæcia* maxime occidentalis est, a tergo Portugalliæ inter Minium fluuium & Oceanum Cantabricum intercepta. Caput *Compostella*, archiepiscopalis vrbs, peregrinantium confluxu nobilissima, quæ etiam *Santiago* ab apostoli reliquiis, ibi adseruari creditis, nominatur. *Corunna* frequentissimus portus in sinu Cantabrici Oceani: & minor alius *Ferrol*, sex hinc leucis in ortum aquilonalem distans: & *Baiona* cum *Galliciæ* cognomento, (ad discrimen Baionæ Aquitanicæ) itidem portu instructa prope Minii ostia, cui amni appositæ sunt *Tuy*, Tyde siue Tude; & *Orense*, Auria, & in septen-

ſeptentrionali parte *Logo*,Lucus Augu-ſti, epiſcopales vrbes. Longius in eundem ſeptentrionem iuxta Aſturiæ fines recedunt *Mondonnedo*, Mindo, itidem epiſcopalis; & in ora Oceani ad *Nauii* oſtium, *Ribadeo*, Riuadium. *Ponte Vedra* autem (Pons Vetus) æſtuario Atlantici maris adiacet, inter quod & Tuy *Vigo*, Vigum, oppidum cum portu ſitum eſt. In extimo ſinu ejusdem maris *Cabo de Finisterra*, vltimum promontorium.

ASTVRIA, inter Galliciam & Biſcaiam ſub Oceano Cantabrico ſita, montoſa & aſpera regio, cuius pars occidentalis & Galliciæ finibus propinqua dicitur ASTVRIA OVETANA, *Aſturia de Oviedo*, quia caput eius *Ouiedo*, Ouetum eſt: ſupra quod ad mare ſunt *Auiles* & *Gion:* pars orientalis autem ſiue Biſcaiam proſpectans ASTVRIA DE SANTILLANA, ab oppido eius *Santillana*, id eſt Iulianæ fano, nominatur. Reliqua ſunt obſcuriora. Quæ autem in meridiem vergunt, vt ipſa *Aſtorga*, Aſtu-

rum antiqua metropolis, in Legionis regno explicabuntur. Nam veteris nouæque Afturiæ non plane iidem limites funt.

LEON, fiue LEGIONIS regnum, interPortugalliam & Caftiliam vtramque longo tractu a feptentrione in meridiem extenditur. Princeps vrbs & nominis origo *Leon*, id eft *Legio*, Ptolemæo Λεγιὼν ζ Γερμανικὴ, *Legio* VII *Germanica*, Antonino *Legio Gemina*, fita in boreali parte & Afturibus vicina. Poft hanc *Aftorga*, Afturica Augufta; *Palentia* & *Salamanca* ftudiorum domicilia fiue academiæ. *Çamora* fiue *Zamora* ad Durium; & in auftrali parte vbi Mirobrica fuiffe creditur, *Ciudad Rodrigo*, Rodericopolis, ambæ epifcopales. Pars huius regni cenfetur etiam

EXTREMADVRA, *Eftremadura*, quafi extra Durium refpectu Legionis, immo etiam ex maiori parte vltra Tagum fita. Cis Tagum eft *Coria*, Cauria, & *Plafençia*, Placentia, epifcopales;

pales: in transtagana parte *Alcantara*, ſacrorum militum ſocietate inſignis, Tagi flumini iuxta mirandum Traiani pontem impoſita, vnde multis videtur Norba Cæſarea eſſe, aut ex ruinis illius nata. *Valencia d' Alcantara*, munitum oppidum in limite Portugalliæ, captum a Portugallis, ſed pacificatione 1668 redditum: *Albuquerque*, Albuquercum, itidem munitum in eodem limitaneo tractu. Ad Anæ ripam *Badaiox*, Pax Auguſta, *Merida*, Auguſta Emerita, *Medelin*, Metallinum, vbi Anam inter ſcopulos prope concurrentes fluentem, ſub terra labi & maximum pontem facere imperiti crediderunt. Succedit Legionis regno orientem verſus

Caſtilia ſiue Caſtella, & *Vetus* quidem ſeptentrionalior; *Noua* auſtralior.

CASTILIAE VETERIS vrbs primaria *Burgos* archiepiſcopalis: & *Valadolid*, Valliſoletum, olim Pintia, amæniſſima vrbs & quondam regum ſedes ante Madridum: *Segouia*, Segobia, antiquo aquæductu, Romanorum opere, ho-

hodieque inclita, etiam epiſcopalis, vti etiam *Auila*, Abula: ad Durium *Oſma* ſiue *Oxma*, Vxama; *Soria* prope Numantiæ ruinas: *Calahorra*, Calagurris, & *Lagronne*, Lucronium, ad Iberum: *Calzada*, Calciata, olim epiſcopatum habuit, S. Dominico deuota, vnde etiam *S. Domingo de la Calzada* appellatur.

CASTILIAE NOVAE caput *Madrid*, ſedes hodiernorum regum: *Eſcurial* incomparabili templo ornatum, opus Philippi II; *Toleto*, Toletum, archiepiſcopi ſedes & academia: *Complutum*, barbare *Alcala de Henares*, academiæ ſedes; *Henarez* fluuius alluit, cuius cognomine ab aliis vrbibus ejusdem nominis diſtinguitur. *Siguenza*, Segontia ſiue Seguntia: *Cuenza*, Concha, epiſcopales: *Calatraua* ad Anæ ripam borealem, ſacræ militiæ nomine clara: *Ciudad Real*, Ciuitas Regia, ab altera ripa paullo reducta: *Alcaraz*, Tugia: & *Talauera de la Reyna*, Æbura. Circa Madridum ſunt ſeceſſus regii, *Buon Retiro*, *Aranjues*, *Iarzuela*,

& alii

& alii. Supra Castiliam Veterem ad septentriones sita est

BISCAIA, veterum Cantabria, saltem pars illius præcipua, vt Asturia S. Iulianæ reliquam partem emetiatur. Biscaia, si laxe sumitur, ab Asturia ad Aquitaniam sub Cantabrico Oceano extensa est: sin strictim & proprie, tanquam occidentalis pars ab ALAVA & GVIPVSCOA siue IPVZCOA regionibus, quæ orientales sunt, discriminatur.

BISCAIAE PROPRIAE sunt ad Oceanum *S. Andreæ* portus, incolis *Santo Andrea;* & nobilior mercatu variarum gentium *Bilbao:* inter vtrumque *Laredo*, Laredum, parua vrbs, sed portu capaci: in eodem maritimo tractu *Barmeo* siue *Vermeo*, vt Flauiobriga in his oris vel Bilbao vel Barmeo fuisse credatur. Intus *Ordunna.* Hinc ad Iberum vergit

ALAVA, olim celebrior & maior regio, nunc arctis finibus contenta, cuius oppida *Vitoria*, Victoria, prouinciæ ca-

caput: *Treuinno*, Treuennium, & *Salvatierra*, Salua Terra.

GVIPVSCOA reliquam ſub Oceano partem comprehendit, in qua *S. Sebaſtian*, Sebaſtiani Fanum, & *Paſſage*, Paſſagium, non ignobiles portus: poſt quos *Fuentarabia*, quaſi fons rapidus, munimentum limitaneum, & fluuius *Bidaſſa* olim Vedaſus, qui Hiſpaniam ab Aquitania, Galliæ parte, diſterminat, de cuius memorabili inſula in Galliæ inſulis aliquid dicemus.

NAVARRA his ſubiacet ad Pyrenæos montes, nempe SVPERIOR, incolis *la Nauarra alta*, Gallis *la haute Nauarra* dicta, cuius regia vrbs eſt *Pamplona*, Pompelon, ad *Argam* fluuium: præter hanc *Olite*, Olitum, *Sangueſa*, Sangoſſa, *Eſtella*, Stella, *Tudela* patria Beniamini, celebris inter Iudæos peregrinatoris. INFERIORIS NAVARRAE & transmontanæ minor portio eſt, in Galliæ regno, ad quod pertinet, explicanda.

ARAGONIA circa Iberum ſita ab ortu Cataloniam, Nauarram a ſeptentrio-

trione, Caſtiliam Veterem ab occaſu habet. Caput & regia ſedes *Saragoſſa*, ſiue *Çaragoça*, Cæſarauguſta, Ibero appoſita. Trans fluuium in Caſtiliæ collimitio *Taraçona* ſiue *Tarazona*, Turiaſſo; *Calatayud* in loco fere antiquæ Bilbilis, quæ in pagum redacta dicitur: *Treuel*, Terulum, ad Turiam fluuium in Ilercaonibus ſiue Valentiæ confinio: *Albarazin*, in limite Caſtiliæ, videtur Lobetum antiquum eſſe. *Alagon*, Alauona, ad Salonem fluuium, qui paullo infra in Iberum cadit.

Cis amnem ſiue inter Iberum & Cataloniam, *Balbaſtro*, Barbaſtrum, *Huesca*, Oſca, ambæ epiſcopales: *Venasque* ſub Pyrenæis: *Iacca* in limite Nauarræ, ex veterum Iacetanorum nomine dicta. & ipſa epiſcopalis. Maurorum temporibus in hoc tractu erat regnum SOBRARBIAE, quaſi *ſupra Arbam* montem, ex Pyrenæis procurrentem, iuxta fluuios *Senga*, Cingam; & *Segra*, Sicorim; poſitum, quod conficiebatur ex Comitatibus *Sobrarbiæ* & *Ripæcurtiæ* vulgo Ribacorça. Caput

Sobrarbiæ erat *Ainſa*: Ribacorçæ *Benauari*. Aragoniæ regno poſtmodum ceſſit quidquid huius tractus erat, etiam Cataloniæ prouincia & regnum Valentiæ cum Gymneſiis ſiue Balearibus inſulis, quæ partes hodieque ſub adminiſtratione proregis ſunt.

CATALONIA incolis *la Catalunna*: *Catalogne* Gallis, in orientem obiacet Aragoniæ & Valentiæ vſque ad Mediterraneum mare, a Pyrenæis montibus ad oſtia Iberi protenſa. A mari longius recedit *Lerida*, Ilerda, ripæ Sicoris, nunc Segra, impoſita: *Monte Serrat*, Mons Serratus, beatæ Virginis religioni ſanctiſſime dicatus: *Solſona*, Celſona, epiſcopalis; *Cardona* Ducibus nomen largita: *Vich*, Vicus, prope Auſam exciſam, epiſcopalis æque ac *Vrgel*, ſiue *Vrgella*, ad Sicorim ſita, ſed fontibus propinquiorem. *Puycerda*, ſiue *Puigcerda*, Podium Ceritanum, ſeu Iugum Ceritanum, ſub radicibus Pyrenæi, ampla, ſed parum munita, a Gallis 1678 & occupata, & reſtituta: *Campredon* inde ad mare propius declinat.

nat. Cataloniæ addebatur Comitatus Ruſcinonenſis, *le Comté de Rouſſillon*, quem in Gallia explicabimus, quia non modo hodie Gallici iuris eſt, ſed antiquitus etiam Narbonenſi Galliæ hic tractus adſcriptus fuit.

Maritima Cataloniæ, vt a Pyrenæis ad Iberum deſcendamus, ſunt *Cadaquez*, Gallis *Cap de Quers*, Cadacherium, probe munitum oppidum cum portu, 1684 a Gallis occupatum: vicina *Roſes*, Rhoda, munimentis valida, cum portu peramplo, capta 1645 a Gallis, ſed poſtea reddita, pace ſancita ad Pyrenæos: *Palamos* pariter munitum oppidum cum portu, etiam incertæ poſſeſſionis, bello inter vtramque gentem male ſopito. Intus *Girona*, Gerunda, ſeptem leucis a mari amota, ad fluuium *el Ter*, id eſt Sambrocam, ciuitas nobilis & epiſcopatu inſignis. *Barcellona*, Barcino, caput Cataloniæ: *Tarragona*, Tarraco, antiqua metropolis: & ad Iberum oſtio propinquum *Tortoſa*, olim Dertoſa.

VALEN-

VALENTIA proxima regio eſt, & ipſa olim regni nomine vſa. Longitudo eſt ab Catalonia poſt Iberum, ad Murciæ regnum & Caſtiliam Nouam: latitudo inter Aragoniam & mare mediterraneum. *Valentia* ad amnem Turiam, vulgo *Guadalaviar*, paruo ſpacio a Sucronenſi ſinu reducta, caput regni & metropolis antiqua, Romanorum reliquiis referta: ſupra eundem ſinum *Morvedro*, in loco, vt creditur, veteris Sagunti: intus *Segorve*, Segobriga, ad flumen *Moruedre:* & vltra Sucronem, nunc *Xucar*, fluuium, *Xativa* oppidum, Sativa, ſeu Sætabis: at *Alicante*, Lucentum, vrbs portu commodo ad ſinum Illicitanum, & vini mercatu celebrata: *Orighuela*, Orcelis, recentibus Latinis Oriola, inter Murciam & mare ad amnem *Seguram* (Tader antiquum nomen eſt) qui hanc & Murciam præterfluit.

MVRCIA etiam ex minoribus Hiſpaniæ regnis eſt, eiusque caput *Murcia*, Murgis, ſed diuerſa ab illa, quam Plinius Bæticæ finem facit, in limite regni

gni Valentini, ex aduerſo Illicitani ſinus. *Cartagena*, Carthago Noua, cum portu ad initium ſinus Virgitani: *Carauaca* intus ſub montibus ſita, qui *Sierra d' Alcaraz*, Tugienſis ſaltus, vocantur. Crux ibi adſeruatur, quæ cœlo delapſa vulgo creditur. *Lorqui*, Illorci, vbi Cn. Scipio a Pœnis cæſus fuit.

GRANADA quoque regni nomen fuit. Interiora eius habent ipſam metropolin *Granadam*, epiſcopatu & academia ornatam: & *Guadix*, Accitanam ciuitatem: & *Alhama*, Artigim: In maritimis ſunt *Muxacra*, Murgis, finis olim Bæticæ: *Almeria* epiſcopalis vrbs, Ptolemæo Portus Magnus, inter Charidemum promontorium & Abderam, quæ nunc *Adra* eſt: *Malaga*, Malaca, itidem epiſcopalis vrbs, & nobile portu ſuo emporium: *Monda*, & cultior *Ronda* a mari longius diſtant, ſed incertum, vtrum antiquis nominibus Mundæ, bello Cæſariano notiſſimæ, & Arundæ reſpondeant, cum non deſint, qui in Ronda recenti veterem Mundam

quæ-

quærant, & a *Ronda la vieja*, paruo nunc vico, diſtinguant. Adeo temporibus mutatur locorum facies.

ANDALVSIA, quæ & VANDALITIA dicitur, maiorem Bæticæ partem conſumit, a freto & Gaditano ſinu ad Extremaduram & Caſtiliam Novam iuxta vtramque ripam *Guadalquibir*, hoc eſt Bætis, extenſa. Flumini huic adiacet *Seuilla*, Hiſpalis, emporium cum primis opulentum: vicus autem *Sevilla la vieja*, vrbi vicinus, ex Italica colonia ſupereſſe multorum conſenſu dicitur: deinde *Corduba*, noua ſcilicet, quæ breui interuallo a *Corduba la vieja*, ſiue veteris ruderibus abeſt: & *Andujar*, Anduxara, culta civitas, itidem ad Bætim, & eo quidem loco, vt ex Illiturgis ruina videatur creuiſſe. Cis amnem ſupra Granadæ regnum maxime orientalis Vandaliciæ vrbs *Vbeda*, vna leuca a Bæti diſtans, & pari ſpacio ab *Vbeda la vieja* in pagum iam redacta; paullo longius occaſum verſus *Baeça* ſiue *Baeza*, Batia ſiue Biatia abducta eſt, vnde in meridiem

diem vergunt *Jaen*, Gienna, epiſcopalis; ac *Alcala Real*, in limite regni Granadenſis. Hanc inter & Seuillam medio fere loco ad *Xenil* fluuium *Eçija*, Aſtigi, vetus colonia ſita: & *Oſſuna*, olim Vrſao: ad fretum Herculeum (quod inde *Eſtrecho de Gibraltar* dicitur) oppidum *Gibraltar* putatur Calpe eſſe, poſt quam *Tariffa*, fere in ruinis iacens: inter vtramque *Algezira* cum portu, itidem excifa, quam quidam Carteiam eſſe coniecturant. His a ſeptentrione inſula *Cadiz* adiacet, Gades veterum, cum cognomine vrbe, portu & mercatu florentiſſima, continenti ita propinqua, vt ponte coniungi poſſit, quem *Puente de Suaço* vocant accolæ. Supra inſulam *Puerto Real*, Portus Regius, & poſt amnis *Guadaleta* oſtium, *Puerto de Santa Maria*, Portus Mariæ, qui putatur portus Mneſthei eſſe, capax & commodus mercaturæ. Ad æſtuarium autem, cui Bætis immergitur, *Sant Lucar de Barameda*, Luciferi fanum, non minus portu ſuo pernobile: ſu-

B peri-

perior paullo *Lebrixa*, Nebriſſa, modico ab Ana interuallo remota. Inter Bætim & Anam medio ſitu amnes *Odier* & *Tinto*, olim Luxia & Vrius, concurrentes fere communi oſtio, cui *Palos* ab oriente appoſita, cognomento *de Moguer*, ex cuius portu Columbus egreſſus eſt, cum occidentales terras reuelaturus iret. Anæ autem oſtio *Aymonte* adiacet, contra Portugallos, vt limitis propugnaculum, non male munitum.

INSVLAE HISPANIAE.

Inſularum quondam in Hiſpanico mari ſitarum peculiare regnum erat, quod Aragoniæ acceſſit, & adhuc in ditione & poteſtate Hiſpanorum eſt.

MAIORICA, maior Baleariũm, incolis *Mallorca*, illarum præcipua eſt. Metropolis quoque *Mallorca* communi inſulæ nomine appellatur, veterum Palma, in occidentali latere: *Puglienza*, Pollentia, ad ortum: *Alcudia* inter vtramque noue condita cum portu, etiam munita.

MI-

MINORICA, Balearis minor, maiori ab ortu ſubiacet. Oppida, *Citadella*, Iamno: & *Mahon* ſiue *Maon*, antique Mago, capaciſſimus portus cum arce *S. Philippi*, ab ortu ſolis.

EBVSVS ex Pityuſis maior inter Maioricam & oram Valentini regni ſita, vulgo nunc *Yviça* ſiue *Ibiça*, ſeu *Evizza*, Caſtrum in meridiana parte habet eiusdem nominis, *Iviça* puta, cum tuto portu. Salis copia abundans inſula nullum venenatum animal habere dicitur.

OPHIVSA, Colubraria, nunc *Formentera*, parua inſula ad auſtrum Ebuſo adſita, ob multitudinem ſerpentum, quibus abundare ſcribitur, pæne deſerta iacet.

CAPVT III

DE GALLIA.

GAlliæ regnum arctiores terminos habet, quam antiqua Gallia, cum

Belgicæ Galliæ maior pars hodie abrepta vel nouas respublicas constituat, vt Heluetiam & Fœderatam Belgarum; vel ad Germaniam pertineat, aut in ditione sit Hispanorum. Limes ergo hodiernæ Galliæ ab occasu Oceanus Aquitanicus est: a septentrione, mare Britannicum; a meridie, Mediterraneum cum Pyrenæis montibus: ab ortu Heluetia atque Germania obiacent.

Fluuii nobiliores sunt *Garonne*, Garumna, inferiora & Hispaniæ propinqua secans: *Loire*, Ligeris, totam pænè Galliam diuidens: *le Rosne* siue *Rône*, id est Rhodanus, ex Heluetia ortus partes rigat, quæ Italiam prospiciunt: *la Seine*, Sequana, Franciam propriam perlabens Britannico mari infunditur. Rhodano miscentur *Saône*, Arar, *Isere*, Isara, *Durance*, Druentia: Sequanæ adfunduntur *la Marne*, Matrona; *l'Oise*, Æsia, iam Axonæ *(l'Aisne)* vndis, vt vt majoris, aucta: Garumnæ *Tarnis*, *Lot*, Oldus, & iam stagnanti *la Dordogne*, Duranius, simul alios mino-

nores, vt *Lille*, *Vezere*, deferens. Quibus Ligeris augetur, plures sunt, *Vienne*, Vigenna, *Indre*, *Maine*, *Sarte*, & alii. Multi etiam minores amnes, aut mediocres, Oceano infunduntur, vt *Adour*, Aturrus Aquitaniæ, *Charente* in Santonibus, *la Somme*, Samara siue Somana, in Picardis: at mari interno *l'Aude*, Atax, apud Narbonam ingeritur.

Montes celebrantur Gebenna & Iura: illius nomen pluratiuum est *les monts des Sevennes*, in septentrione Occitaniam, quam Languedoc vocant, a reliqua Gallia separantes: Iura pro locorum diuersitate varie appellatur, *le Joux*, *le mont S. Claude*, *le Credo*, & aliter. Diuidit Heluetiam a Burgundia.

Gallia in infinitas pæne paruas regiones, quas *les païs*, id est Terras vocant, recens diuiditur, vt nulla fere vrbs sit non infimi census, quin circumiacenti agro Prouinciæ nomen det, verbi gratia *le Condomois*, *le Dunois*, *le Vendômois*, *le Blaisois*, *le pais Chartrain*, & huius generis innumera.

Cum tanta regiouum multitudo a noſtro propoſito aliena ſit, nulla aptior videtur diuiſio eſſe, quam quæ ab ipſis Gallis commendata, in XII præfecturas generales (*Gouvernemens Generaux*) tripartito ita inſtituitur, vt cuilibet parti triens huiusmodi gubernationum tribuatur, quatuor nempe parti infra Ligerim ſiue meridianæ: totidem parti ſupra Ligerim ſiue ſeptentrionali, ac rurſus quatuor parti mediæ, quæ circa Ligerim vtrinque colitur. Sic & maiorum prouinciarum præ minoribus mentio fieri, & minores, ſi opus eſt, vna cum vrbibus ſuis commemorari ita poſſunt, vt cuiuis appareat, ad quam ex maioribus referri illas oporteat.

Ex Hiſpania huc progreſſi inferiores partes primum peragrabimus, in quibus ſunt Aquitania, nunc *Guyenne* & *Gaſcogne*; Occitania ſiue *Languedoc*; *le Dauphiné*, Delphinatus; & *la Provence*, Prouincia Romana. Media pars, quæ circa Ligerim eſt, continet *la Bretagne*, Britanniam minorem ſiue

ſiue Armoricam, *l'Orleanois*, Aurelia-
nenſem præfecturam, quæ multas alias,
aut aliunde appellatas comprehendit;
la Bourgogne, Burgundiam; & *le Lyon-
nois*, tractum Lugdunenſem, ſub quo
etiam *Auvergne*, *Bourbonnois*, & *la
Marche* intelliguntur. Supremæ de-
nique & ſeptentrionalis partis ſunt
Normandia, *Picardia*, Inſula *Franciæ*, &
Campania Gallica. De ſingulis nunc
diſtincte & ſpeciatim agemus, ita vt ad
Vaſconiam *(Gaſcogne)* adiungatur

NAVARRA INFERIOR, parua
cis montes regio & cum Superiore,
quæ Hiſpanorum eſt, haudquaquam
comparanda. Oppida *Saint Palais*,
fanum S. Palladii, & *Saint Jean pié de
port*, fanum S. Ioannis Pedeportuen-
ſis. Ab occaſu BASQVE attingit, mari-
tima regio, in qua *Bayonne*, Lapurtum,
ad oſtium amnis *Adour*, ſiue Aturi, vrbs
diues ſita eſt: & propius Hiſpaniæ li-
mitem *Saint Jean de Luz*, fanum S. Io-
annis Luiſii ſiue Vicus Luſius: *Andaya*
caſtrum Fontarabiæ, quæ extrema Hi-
ſpaniæ eſt, tuendi limitis cauſſa oppoſi-

 tum.

tum. Nauarræ ab ortu adiacet LE SOULE, Subola, exiguus tractus, in quo *Mauleon* cum aliis obscuris est. Nobilior

BENEHARNIA, Gallis *le Bearn*, in veteri Nouempopulana, Nauarræ regno orientalior, Pyrenæis tamen montibus æque vicina. *Pau*, Palum, caput eius, iudicium prouinciale (Parlementum) habet: *Lescar*, Lascara, ex ruinis *Beneharni* oppidi excitata: & *Oleron*, episcopales: post has *Ortes* & *Navarrins*.

Hinc Comitatus Bigerrensis, LE BIGORRE, magis in ortum vergit, cuius sunt *Tarbes*, Tarba, ad flumen *Adour*, Aturum; & *Berege*, thermis in radice Pyrenæi clara: & *Lourde*. Inde in septentrionem recedit

VASCONIA, *Gasgogne* incolis, pars ampla veteris Aquitaniæ. Propriam intelligimus & a Guienne distinctam, quam lata sui notione comprehendit. *Saint Sever*, Seueropolis, ad flumen Adour, prouinciæ caput, sita inter *Acqs*, Aquas Tarbellicas (indigenis *Dax*) & *Aire*, Aturam, eiusdem

dem ripæ epiſcopales vrbes: *Aux* ſiue *Auch*, Auguſta Auſciorum, ſedes archiepiſcopi; *Lectoure*, Lactoracium ſiue Lactora; *Clerac*, Clariacum, munimentis ſacro bello 1621 ſpoliatum: *Lombez*, *Saint Bertrand* in regione, quam COMMINGES dicunt, & in Occitaniæ confinio *Saint Lezer* in CONSERANS, id eſt in Conſuaranis, quos Plinius notauit.

GVIENNE inde ad oſtia vsque Garumnæ protrahitur. Princeps vrbs *Bourdeaux*, Burdegala, nauium in Garumna appulſu opulenta & felix: poſt quam *Bazas*, *Agen*, Aginnum, & *Condom* epiſcopales, & ita inſignes, vt regiones etiam ab iis nominentur Bazadois, Agenois, Condomois. *Cadillac* & *la Reole* ad Garumnam: *Nerac* inter eundem fluuium & Condomum.

QVERCY prouincia Cadurcorum trans Garumnam in ortum magis proſpiciens, eſt vel SVPERIOR (*le haut Quercy*) cuius *Cahors* ſiue *Caors*, Diuona Cadurcorum, ad amnem *Lot*, academia & epiſcopatu ornata, caput

eſt: *Figeac* ad Aruernorum fines in orientem longius remotum: *Martel* autem, Martelli caſtrum, ſupra Duranium in limite Lemouicum ſitum eſt. INFERIORIS *(le Bas)* ſunt *Montauban*, Mons Albanus, epiſcopalis: & *Moiſſac* prope Tarnis & Garumnæ confluentem.

ROVERGUE his ab ortu obiacet, Rutenienſis prouincia, inter Quercy & Gebennæ montes. Oppida *Rodez*, Segedunum, & *Vabres*, epiſcopalia: *Milhau*, *Ville Franche*.

Prouincia LIMOSIN, Lemouicenſis, in ſeptentrionem recedit, & gradatim, quaſi a meridie adſurgunt *Turenne*, *Brive*, *Tulle*, *Vſerche*: ſupremum eſt *Limoge*, Lemouicum, ad *Vienne* flumen, id eſt Vigennam, vrbs ampla & culta. Inde ad occaſum conuerſa

PERIGORD, Petrocorienſis regio, *Perigueux*, Petrocorium, vrbs præcipua & epiſcopalis: ceteræ *Bergerac*, *Sarlat*, *Montignac*. Extrema ad Oceanum

SAN-

SANTONIA, *Saintonge* siue *Xaintonge*, Santonum tractus, inter Garumnam & Pictauiensem prouinciam. *Saintes*, Mediolanum Santonum, vrbs primaria ad *Charente* amnem: *S. Jean d' Angeli*, Angeriacum, nitidum oppidum, munimentis sacro bello 1621 exutum: *Taillebourg & Rochefort* ad eundem fluuium: *Pons* oppidum cum castro: ad mare *Rochelle*, Rupella, stupenda obsidione 1628 Hugonotis erepta: & *Bruage* munitum oppidum. Hæc ex regii geographi descriptione de primæ diuisionis gubernatione prima, siue *Vasconica*: sequuntur tres reliquæ, quæ infra Ligerim habentur.

Occitaniæ quæ pars vlterior Narbonensis Galliæ est, in austrum subiacet.

RVSCINONENSIS comitatus, *Roussillon* vulgo, inter Cataloniam & Languedoc ad oram interni maris situs. Gallici nunc iuris est, Hispanis pacificatione concedentibus. In finibus Cataloniæ *Ceret*, ad fluuium *Tech*, Tichim: prope abest *Montloüis*, castrum

nouum: ad mare *Colioure*, Caucoliberis; *Elne*, Helena, cuius episcopatus Perpinianum translatus fuit: *Perpignan* autem amni *la Tet* appositum, caput prouinciæ & propugnaculum, quod *Ruscinonem*, vnde nomen regioni est, incrementis suis hausit, vt ex ruinis nihil nisi turris, *la Tour de Roussillon*, superfit: *Salses*, Salsulæ, & *Leucate* in Occitaniæ confini litore. Occidentalis pars Comitatus CONFLANS appellatur, vbi *Villa Franca* & *Prades* sunt.

LANGVEDOC, Latine *Occitania*, a Garumna ad Rhodanum vsque inter mediterraneum mare & Gebennæ iuga porrigitur. Diuisa est in superiorem, (*le haut Languedoc*) siue occidentalem; & inferiorem (*le bas*) orientalem: SVPERIORIS caput est *Toulouse*, Tolosa, ad Garumnam, vrbs archiepiscopatu, academia, & iuridico conuentu (parlemento) ornata: *Rieux*, Riui, ad eundem amnem in finibus Consuaranorum: *La vaur*, Vaurum, episcopalis: *Puy Laurent*, Podium Lau-

Laurentii, academiam nuper Reformatam habebat: *S. Papaul*, fanum S. Papuli; *Pamiers*, Apamiæ: *Mirepoix*, Mirapincum: & ad Cataloniæ fines *Foix* oppidum cum castro, etiam Comitatus nomen, sub quo Mirepoix & Pamiers continentur. Hæc in primo tractu siue maxime occidentali: plus in orientem vergunt *Alby*, Albiga, (unde regio Albigeois appellatur) ad Tarnem fluuium episcopalis: *Castres*, Castrum: *Carcassone*, Carcasso, ad Atacem (*Aude*) amnem valide munita: *Alet*, Alecta, ad amnem eundem in limite inferioris Occitaniæ.

In INFERIORE prouincia (*le bas Languedoc*) est Narbona ad Atacem fluuium prope mediterraneum mare, vrbs antiqua & archiepiscopalis, supra quam *Beziers*, Bliterræ siue Beterræ sitæ, episcopatu claræ; & *Pezenas*, Piscenæ, *S. Pons de Tomieres*, Tomeriæ; *Lodeve*, Luteua, ambæ episcopales: *Agde*, Agatha, in ora maris, vti etiam *Montpellier*, Mons Pessulanus, & hæ quoque episcopales: altera etiam aca-

demia: a qua prope *Lunel* abeſt, & ſupra hanc *Montferrand Sommiers*, Sumeriæ, *Vzes*, Vcetia, inter quam & Nemauſum *Pont du Gard*, in Vardone (nunc *Gardon*) amne: *Niſmes* autem, Nemauſus, antiquitatis Romanæ reliquiis, amphitheatro maxime, vrbs ſplendida, etiam epiſcopalis. Quæ reſtant, ripæ Rhodani impoſitæ ſunt, vt *Pont S. Eſprit* in confinio tractus Viuarez: *Beaucaire*, Belloquadra, propinqua Nemauſo: *Aiguemorte* ad oſtium Rhodani occidentale. Ad Occitaniam Foſſa quoque Regia pertinet, *le Canal de Languedoc*, magnificum Ludouici XIIII opus, qua ex Oceano in Mediterraneum mare nauigari poteſt. Eſt autem ex Garumna nauigabili amne in Atacem, hodie *l'Aude*; ſiue potius ad Setium vsque promontorium *(le Cap de Sete)* quod inter Narbonem & Montem Peſſulanum eſt, deducta, & iuxta *Port Loüis*, Portum Ludouici, infra Volcarum ſtagna mari coniungitur. Supra Occitaniam in parte ſeptentrionali ſunt LES SE-

SEVENNES, hoc eſt Gebennæ montes, prouincia ſatis ampla, in tres partes diuiſa, GIVAUDAN, in qua *Mende* ſiue *Mande*, Mimantum: VIVAREZ, vbi *Viuiers*, Viuarium, epiſcopalis vrbs: & *Pradelles*, Pratellæ: PAÏS DV VELAY, in qua *le Puy*, Anicium, ſedes itidem epiſcopalis.

DELPHINATVS, *le Dauphiné* incolis, inter Rhodanum, Sabaudiam & Prouinciam ſita regio, in ſuperiorem ſeu orientalem; & inferiorem ac Rhodano vicinam diſtinguitur. In SVPERIORE eſt *Grenoble*, Gratianopolis, ad *Iſaram* amnem, caput totius Delphinatus, ac ſedes Parlementi: & ſupra eam in Saubaudiæ limite *la grande Chartreuſe*, celebre monaſterium, ſui ordinis tum origine, tum conuentu annuo nobilitatum: inferius *Die*, Dea vel Dia, ad Drunam (*la Drome*) amnem: *Luc*, Lucus Auguſti, ad eundem fluuium: *Gap*, Vapincum, epiſcopalis: *Embrun* vel *Ambrun*, Ebrodunum, archiepiſcopalis ad fluuium Druentiam; *Briançon*, Brigantium, Pedemontium verſus. INFERIO-

FERIO-

FERIORIS ad Iſaram eſt *Romans*, Romani; & ſupra hunc amnem ad Rhodanum *Vienne*, Vienna, vetus vrbs & archiepiſcopalis: infra confluentes *Valence*, Valentia, epiſcopi ſedes & academiæ: *Montelimart*, Montilium Ademari: & *S. Paul de trois Chaſteaux*, Auguſta Tricaſtinorum, in Auenionenſis Comitatus confinio.

PROVINCIA, *la Provence*, intra Delphinatum & mare ſita Italiam maxime vicinam habet. In maritimis ſunt & quidem oſtia verſus Rhodani amnis, *Martegues*, Ptolemæo Maritima Colonia: *Marſeille*, Maſſilia, bono portu prædita & antiquæ dignitatis cuſtos ſtudioſa: *Toulon*, Telo Martius, nauale Gallorum: *S. Tropez*, fanum S. Torpetis: *Freius* ſiue *Freiuls*, Forum Iulii: *Antibe*, Antipolis, in collimitio Italiæ. Hæc in maritimis. Ad Rhodanum inter oſtia & Druentiæ confluentem *Taraſcon*, Bello quadræ oppoſita: & propius oſtia ad diuortium fluminis *Arles*, Arelate, vrbs archiepiſcopalis, quondam caput Arela-

ten-

tenſis regni: inter Maſſiliam & Druentiæ flumen *Aix*, Aquæ Sextiæ, antiqua colonia, nunc archiepiſcopatu & iuridico conuentu clara: inde in orientem magis vergunt *Brignolle, S. Maximin*, &: *Apt*, Apta Iulia, epiſcopalis: *Fayence*, Fauentia: *Draguignan* & *Vence*, Vintium, ac *Graſſe*, Graſſa, haud procul Antipoli: in ſeptentrionem *Senez*, Sanitium; *Digne*, Dinia; *Folcalquier*, Forum Neronis; *Siſteron*, Seguſtero; *Glandeves*, Glandata, epiſcopalis, ſed parum culta.

Prouinciæ huius pars olim fuerunt, nunc alienæ ditionis, Comitatus Auenionenſis, *Comtat Venaiſin*, & Principatus Arauſienſis, *d'Orange*. In Comitatu VENAISIN, qui ad Pontificem Romanum pertinet, metropolis *Avignon*, Auenio, ad Rhodanum, paullo ſupra confluentem Druentiæ, archiepiſcopi etiamnum & academiæ, aliquando etiam ipſius Pontificis ſedes ab anno 1306 ad 1377. Ad Druentiam *Cavaillon*, Cabellio ſiue Caballio; & epiſcopales ab vtroque flumine

redu-

reductæ vrbes *Carpentras*, Carpentoracte, & *Vaiſon*, Vaſio. In ditione Principis proprii ex gente Naſſouia eſt PRINCIPATVS ARAVSIONENSIS, in eoque *Orange*, Arauſio, epiſcopatum & academiam habens, vna leuca ab Rhodano, quatuor Auenione in ſeptentrionem remota. Hactenus de partibus Galliæ infra Ligerim, quibus Aquitania & Narbonenſis vt plurimum explicata fuit: ſequuntur partes circa Ligerim, itidem in quatuor Gubernationes diſtributæ.

BRITANNIA MINOR, Gallis *la Bretagne*, olim Armorica, in vltimo ad occaſum angulo ſita, a Britannis nomen accepit, qui a Saxonibus expulſi in his oris dicuntur conſediſſe. Portuoſa peninſula eſt, & INFERIORIS quidem poſt Gobæum promontorium, nunc *Cap Saint Mahé*, ſunt hæ vrbes: *Breſt*, Briuates Portus, florens in occidentali latere ad ſinum Oceani (*Baye de Breſt*) emporium: in ſeptentrionali litore *Saint Pol de Leon*, Leona, & *Treguier* ſiue *Lantriguet*, Tricorium,

am-

ambæ epiſcopales vrbes: in auſtrali paullùm mota a mari *Quimper* cognomine *Corentin* ſiue *Cornüaille* (quod regionis Cornubiæ nomen eſt) latine Coriſopitum, epiſcopatu inſigne: & *Quimperlay* ad fluuium *Laittu*: & proxime Oceanum, *Port Loüis*, Portus Ludouici, munitum oppidum ad oſtium amnis *Blavet*, quod ex ruinis vicini oppidi *Blavet*, Blabiæ, etiam ex portus commoditate haud parua incrementa cepit: *Vannes* ſiue *Vennes*, Venetiæ, prope æſtuarium *le Morbihan*, caput prouinciæ inferioris, epiſcopatum habet & Parlementi curiam: mediterraneæ *Mortaix*, Mons relaxus; *Hennebont*, & aliæ.

SVPERIORIS Britanniæ ſunt in ſeptentrione *S. Brieux*, Briocum, epiſcopi ſedes: *Saint Malo*, Maclouium, portu celebratum; *Dol*, Dola, itidem epiſcopalis; & in auſtrali parte *Nantes*, Nannetes, ad Ligerim, vrbs epiſcopatu & commerciis egregia: mediterraneæ & quidem ad ſeptentriones, *Dinant*, & *Fougeres*, Filiceræ: ad *Vilaine* flu-

flumen *Vitré* siue *Vitray*; & *Redon*; ac inter vtramque *Rennes*, Rhedones, prouinciæ primaria & episcopalis.

Ab ortu adiacent, quæ sub Aurelianensi præfectura generali sunt, nempe

MAINE, Cenomanensis prouincia, in qua *Mayenne*, Meduana, & *Laval*, Vallis Guidonis, ad fluuium *Maine*: & *Sablé*, Sabolium, & *Beaumont*, Bellomontium ad *Sarte* fluuium: *le Mans*, Cenomanum, caput regionis, episcopatu insigne: *la Ferte Bernard*, Feritas Bernardi: *Chasteau du Loir*, Castrum ad Lædum amnem, qui Gallis *le Loir*, viriliter; at Ligeris, celebratior fluuius, *la Loire*, sexu sequiore appellatur.

ANJOU, Andegauiensis tractus, cuius caput est *Angers*, Andegauum, olim Iuliomagus, episcopalis ciuitas, inter trium amnium (Maine, Sarte, le Loir) confluentes atque Ligerim: *Pont de Cé* ibidem in Ligeri: at *la Fléche*, Flexia, ad Lædum: *Beaufort*, Bellofortium, & *Baugé*, Balgium, inter Lædum

ac

ac Ligerim. *Saumur*, Salmurium, ad Ligerim, adhuc nuper celebre Vniuerſitate Reformata, etiam religioni adiacenti nomen SAUMUROIS imponit, ad quam *Mirebeau*, Mirabellum, & *Richelieu* ex Pictauienſi diœceſi referuntur.

PERCHE, Perticenſis prouincia, ad Normandiam hinc in ſeptentriones ſpectat. Diuiditur in Superiorem ſiue Magnam *(le grand Perche)* in qua ſunt *Nogent le Retrou*, Nouigentum Rotrudum, olim Nouiodunum : *Belleſme*, Belliſmum, & *Mortagne*, Moritania; & Inferiorem ſiue Minorem (etiam *le Perche Govet* vocatur) cuius eſt *Chaſteauneuf*, & alia obſcuriora. In meridiem contra trans Ligerim tendit

POICTOU, Pictauienſis regio, eiusque caput *Poictiers*, Pictauium, academia & epiſcopatu clarum: circumiacent in SVPERIORE parte *Partenay*, Partheniacum, *Moncontour*, *Niort*, *S. Maixent*, S. Maxentii fànum; *Caſtelleraud*, Caſtrum Heraldi: INFERIORIS & Oceanum ſpectantis, ſunt *Fontenay*, Fontena-

tenacum; *Mellezai, Luçon* siue *Lusson*, Luciona; & *Olonne* in ora Oceani, cum capaci portu, & burgo, cuius nomen est *les Sables d' Olone*, Arenæ Olonenses.

Adiacet in austrum ANGOUMOIS, Engolismensis prouincia, Santonum regioni & Petrocoriensium confinis, cuius præcipua vrbs & episcopi sedes est *Angoulesme*, Embolisma seu Inculisma: ceteræ *Cognac*, Conacum; *Rochefoucault*, Rupes Fucaldi, *Jarnac*, *Chasteau Neuf*. Sed ad Ligerim reflectimus, vbi Andegauiensem & Pictauiensem regiones ab ortu contingit.

TOVRAINE, Turonensis tractus, cuius metropolis & archiepiscopi sedes *Tours*, Turones, olim Cæsarodunum, ad Ligerim: *Amboise*, Ambacia, ad eundem fluuium: inferius *Loches*, Lochia; *Lisles Bouchard*, Insula Bocardi, supra Vigennæ & Crosæ (*la Creuse*) confluentes: *Chinon*, Caino, iuxta eosdem mixtos fluuios, qui paullo infra in Ligerim infunduntur.

BEAVSSE, Belsia, laxe amplam pro-

rouinciam iuxta Ligerim ſignificat, (*la Grande Beauſſe*) cuius Bleſenſis & Aurelianenſis, atque etiam expoſita- rum multæ, Perticenſis, Cenomanenſis, Andegauienſes, Pictauienſis, & aliæ quoque partes ſunt: nunc arctis finibus inter Sequanam & Ligerim circumſcribitur, diſtincta ab aliis, quas comprehendebat, atque ita eius oppida ſunt *Chartres*, Carnutum ſiue Carnutes, vrbs clara & epiſcopalis, inter Sequanam & Ligerim fere media: *Chaſteaudun*, caſtrum Dunum; *Touri*; & *Pluviers*, Pluuerium; *Eſtampes*, Stampæ: *Vendoſme*, Vindocinum.

BLESENSIS AGER, *le Blaiſois*, propior eſt Ligeri. Vrbs *Blois*, Bleſæ, illi amni appoſita ſplendore & amœnitate ſæpe ad ſe Reges inuitauit: *Remorantin* ad *Saldram* flumen: *Chambor*, regius ſeceſſus trans Ligerim.

AVRELIANENSIS PROPRIA, (*Orleanois*) a præfectura generali diſtincta, caput habet *Orleans*, Aurelianum ſiue Aureliam, amplam ad Ligerim

rim vrbem, epiſcopatu & academia claram: quibusdam videtur vetus Genabum eſſe, quod M. Aurelius imperator inſtaurauerit. Ad eius agrum pertinent *Baugency*, Balgentiacum, & *Meun* ſiue *Mehun*, Magdunum, iuxta eundem fluuium: *Cleri*, Clariacum, miraculis, vt creditur, clarum trans flumen oppidulum.

BERRY, Bituricenſis regio, ab ortu Ligerim, ſed nondum flexum, ab occaſu Turonenſem Pictauienſemque agrum habet. Caris fluuius, vulgo *le Cher*, in ſuperiorem ſecat *(le haut Berry)* quæ Ligerim reſpicit; & inferiorem, *(le bas Berry)* quæ ad fines Pictavienſes tendit. SVPERIORIS ſunt *Bourges*, Biturix ſiue Bituriges, vrbs archiepiſcopalis & in primis clara: ſupra eam ſeu Boream verſus *Sancerre*, Sacrum Cæſaris; *Vierzon*, Virſio; *concreſſaut*, Concordiæ ſaltus; *Chaſtillon* cum cognomine *ſur Loire*, ad Ligerim: in auſtrum a metropoli vergunt *Dun le Roy*, Regiodunum, & *Saint Amand*, Amandopolis. INFERIORIS trans

Carim

Carim ſunt *Iſſoudun*, Exoldunum, *Chaſtean Roux*, Caſtrum Rufum: *le Blanc*, Oblincum, ad Croſam fluuium. Huic tractui ab ortu adiacet

NIVERNENSIS, *le Nivernois* incolis, cuius caput eſt *Nevers*, Niuernum ſiue Niuernæ, vrbs epiſcopalis, propter Ligeris & Elaueris (vulgo *l'Allier*) confluentem, infra quem in eadem ripa *Decize*, Decetia, & ſupra illum *la Charité*, Charitas, & Coſne, Conada. Dextrorſum declinant a flumine *Corbigny*, Corbiniacum, *Clamecy*, Clameciacum, in cuius ſuburbio epiſcopus habitat Bethleemenſis. Trans flumen ſiue inter Ligerim & Elauerim *Saint Pierre le Moutier*, Monaſterium S. Petri.

Hæc de ſecunda Præfectura circa Ligerim generali: tertia eſt

BVRGVNDIA Inferior, ſiue Ducatus, a Niuernenſi prouincia ad fluuium *Saône*, id eſt Ararim, porrecta inter Campaniam & Lugdunenſem regionem. Vrbs prima & iuridici conuentus *Dijon*, Diuio vel Diuionum,

in Lingonum, antiqui populi, ſede: inde in occaſum ſita *Semeur*, Semurium, in tractu, quem *Auxois*, id eſt Alexienſem dicunt, quia Alexia, nunc vicus *Aliſe*, ibidem fuit: vlterior *Auxerre*, Antiſſiodorum ſeu Altiſſiodorum, ad amnem *Yonne*, Icaunam, vrbs epiſcopalis, cum tractu ſuo (*l'Auxerrois*) Burgundiæ annexa. In ſeptentrionem tendit *Chaſtillon*, cognomine *ſur Seine*, ad Sequanam: in auſtrum a metropoli vergunt *Arnay le Duc*, & *Autun*, Auguſtodunum, in Æduorum agro, epiſcopalis ciuitas: *Beaune*, Belna; & inferius in Araris ripa itidem epiſcopalis vrbs *Challon*, Cabillonum, quæ vt facilius a *Chalons* Campaniæ, id eſt Catalauno diſtinguatur, cognomentum ſæpe *ſur Saône*, ſupra Ararim, adiunctum habet: *Tournus*, Trenorchium, & *Maſcon*, Matiſcona, in eadem ripa Lugdunum verſus: contra *Bourbon Lancy*, Borbonium Anſelmium, prope Ligerim. In ortum hibernum adiacet

BVRGVNDIAE COMITATVS, vul-

vulgo LA FRANCHE COMTE, quæ & Superior Burgundia vocatur, veterum Sequanorum ſedes, Lotharingiam ab ſeptentrione, Breſſiam a meridie, ab ortu autem Heluetiæ partem attingens. Hiſpanorum nuper diuturna poſſeſſione fuerat, quibus Galli etiam, poſtquam eripuerant, pace Aquisgranenſi 1668 reſtituerunt: mox iterum auferentes pacificatione ad Neomagum ſibi confirmari curauerunt, vt nunc ſit noua Galliæ prouincia. Principes vrbes *Beſançon*, Veſontio, noſtris Biſantz/ archiepiſcopi ſedes, ſicut *Dole* academiæ: vtraque ad amnem Dubim (*le Doux*) poſita. *Gray*, ad Ararim, munimentis nuper exuta. Ceteræ *Veſoul* a ſeptentrione; *Salins*, Salinæ, & *Arbois*, Arboroſa, ad meridiem, in quo tractu Geneuam verſus ſitum eſt oppidum *Saint Claude*, S. Claudii fanum, ſiue Monaſterium Iurenſe, a quo adiacens mons *Iura* ſiue pars eius, dicitur mons S. Claudii.

BRESSIA ſupereſt, *la-Breſſe*, & quæ ſub ea comprehenditur, BEVGESIA

le Bugey, ex tertia circa Ligerim præfectura, quæ multis vna prouincia sunt, aliis dictinctæ: vtraque ineunte hoc sæculo Francici iuris facta, cum antea essent Sabaudici. Commendatur *Bourg en Bresse*, Burgus Bressiæ, sic cognominatus, vt ab aliis huius nominis, *Bourg sur mer* prope Burdegalam; & *le Bourg de S. Andeol* in Viuariensi tractu ad Rhodanum, distingui facilius possit: sita est inter Ararim & Rhodanum medio loco. Propior Rhodano BEVGESIA, cuius oppida sunt, *le Belley*, Bellicum, episcopalis dignitatis; & superius ad vtramque ripam *Seissel*, Sissum: ac prope Geneuam ac Lemanum lacum *Gex*, Gesium.

LVGDVNENSIS, (*le Lyonnois*) est quarta medii ordinis præfectura. Caput *Lyon*, Lugdunum, ad Araris & Rhodani confluentem, antiqua colonia, archiepiscopatu a Christianis aucta: cui in occasum subiacent *Monbrison*, & *Feurs*, Forum Segusianorum. *Ville Franche* ad Rhodanum.

ALVERNIA, *l' Auvergne* incolis,

Lug-

Lugduno ad occaſum obiecta veterum Aruernorum ſedes, in ſuperiorem, quæ auſtralis & montoſa eſt; ac inferiorem ſiue borealem, planam ac riguam diuiditur SVPERIORIS eſt *Saint Flour*, S. Flori fanum, epiſcopi ſedes; & *Aurillac*, Aureliacum. INFERIORIS, etiam totius prouinciæ caput eſt *Clermont*, Clarus Mons, vrbs epiſcopalis; circumſitæ *Riom*, Riomum, & *Aigueperſe*, Aquæ Spertiæ, a ſeptentrione: *Iſſoire*, Iſſodorum ad flumen Elauerim a meridie: ab ortu *Billon*, *Cropiere*, Curtipetra; *Tiers*, Thierium.

BORBONENSIS prouincia *le Bourbonnois*, in ſeptentrionem ſpectat. Præcipuam vrbem *Moulins*, Molinum, amnis Elauer alluit: proxima eſt *Bourbon l'Archambaut*, Borbonium Arcimbaldi, a qua nomen prouinciæ eſt. Ab auſtro ſubiacent *Varennes*, Varennæ, ad Elauerim; *Monluſſon* ad Carim (*le Cher*) amnem: *Gannat* prope confinia Aluerniæ. Ab occaſu hiberno ſubiacet

LA MARCHE, Marchia, inter Lemouicenſem & Bituricenſem regiones.

Gueret, ſiue Garactum, eſt caput ſuperioris Marchiæ, ſicut *le Dorat*, Oratorium, inferioris: *Bourganeuf* in finibus Pictauienſis.

Hæc de præfecturis circa Ligerim: ſupra hoc flumen in ſeptentrionali parte reliquæ quatuor occurrunt, e quibus prima eſt

NORMANNIA, *la Normandie* incolis, Oceanum Britannicum ab occaſu & ſeptentrione; Cenomanenſem & Perticenſem tractum a meridie; Inſulam Franciæ ac Picardiam ab ortu habens. Diuiſa eſt in duas partes. INFERIORIS Normanniæ (*la baſſe Normandie*) ſiue occidentalis, maritimæ vrbes ſunt *Avranches*, Abrincæ, in Britanniæ Minoris confinio: *Coutances*, Conſtantia Caſtra, breuiter remotæ a mari vrbes, altera etiam epiſcopalis: *Granville* autem impoſita mari, inter vtramque. *Cherboury* in extremo peninſulæ borealis angulo: *Carentan*, *Bayeux*, Baiocaſſina vrbs, itidem epiſcopalis, a qua tractus circumiacens *le Beſſin* appellatur: *Caen*, Cadomum, ad

adOlinam siue Ornam *(l'Orne)*fluuium, caput prouinciæ inferioris, academia illustre: *Saint Sauveur: Pont l'Evesque* ad Tolcam *(la Toucque)* fluuium, a quo per interiora regredienti occurrunt ad Ornam amnem *Seez*, Sagium, episcopatu ornatum: *Alençon* in limite australi, ad Sartam fluuium: *Falaize*, *Argentan*, *Vire*, *Saint Lo*, Fanum S. Laudi.

SVPERIORIS Normanniæ inter Tolcam & Sequanæ ostium sunt *Honfleur* & *Quillebeuf* ad mare seu æstuarium Sequanæ: intus *Lisieux*, Lexouium, ad Tolcam: ad alterum siue septentrionale æstuarii litus, *Harfleur*, Harfleuium, & *Havre de Grace*, Portus Gratiæ, vrbs portu & munimentis celeberrima, ad ipsum ostium Sequanæ seu æstuarii: *Dieppe*,Deppa, emporium cum capaci portu, sed longius a Sequana remotum. Interiacet in eodem litore *S. Valery* cognomine *en Coux*, id est in tractu Caletensi, quemadmodum promontorium etiam, quod proximum Portui Gratiæ est, *Cap de Coux*

vocatur. *Arques*, Arca, vicus prope Deppam prœlio 1589 insignis: *Eu* iuxta mare in Picardiæ confinio: at *Gournay* & *Gisors*, Cæsortium, in mediterraneis ad fines Franciæ: ad dextram Sequanæ ripam caput prouinciæ *Roüen*, Rothomagus, archiepiscopi sedes: & propinquius ostio *Caudebec*: in altera ripa *Vernon*, & vlterius *Evreux*, Ebroicæ, *Conches*, & ad Riselam (*la Rille*) amnem *Beavmont le Roger*, & *Ponteau de mer*, Pons Audomari; sed *Verneuil*, Vernolium, in limite Perticensi: & paullo supra *l' Aigle*, ad Aquilas, & *Harcourt*.

PICARDIA Normanniam in maritimo tractu excipit, quæ etiam longe a mari inter Franciæ Insulam, & Belgicas prouincias recedit. Picardiam sub Oceano contingit Ponticum, LE PONTHIEU, parua regio, cuius oppida sunt *S. Valery* ad Somonæ (*la Somme*) ostium; *Abbeville*, *Doulens*, Dulendium, *Rue*, *Monstreüil*, Monasteriolum. Vlterior tractus Bolionensis, LE BOULENOÏS, cum Comitatus titulo, in quo est

eſt *Ardres*, munitum oppidum: ſed primaria vrbs & epiſcopalis *Boulogne*, Bononia, ad fretum Britannicum, in quo etiam portum habet: inter quem & Caletum, vicus eſt *Ambleteuſe*, cuius portus nuperrime amplificari cœptus eſt. Tandem *Calais*, Caletum, cum portu eximio ad idem fretum, Picardiæ, tanquam terminus, adiungitur. In mediterraneis ſunt *Amiens*, Ambianum, ad fluuium *la Somme*, caput prouinciæ, ſedes epiſcopi: & ad idem flumen, *Corbie*, *Perone*, *Saint Quentin*, Fanum S. Quintini, vrbs munita: quæ ex ruinis Auguſtæ Veromanduorum creuit, vnde ager hodieque LE VERMANDOIS appellatur. Præterea ad Picardiam pertinent *Ham*, & ipſum in Veromanduis: *Roye*, Rodium; & ad Oeſiam amnem *la Fere*: vltra eum *Creſſi*, *Guiſe*, & *Veruins*, Verbinum.

FRANCIA, ſiue INSVLA FRANCIAE, *l'Isle de France*, prouincia perampla & ex præfecturis Galliæ præcipua, comprehendens præter Franciam Propriam, multas minores regiones, vt

Bellouacenſem, Nouiomenſem, (*le Noyonois*) Sueſſionenſem, agrum Valeſium, Hurepoëſium, Vaſtinienſem & alios: ſita inter Picardiam ad ſeptentrionem; Campaniam ad ortum, Normanniam ad occaſum, & Belſiam ad meridiem. Rigatur nobilibus fluminibus, Sequana, Matrona, Æſia ſiue Oeſia, & Axona. Caput tum prouinciæ, tum totius regni *Paris*, Pariſii ſiue Lutetiæ, vrbs ampliſſima ad Sequanam ſiue *la Seine*, regis, archiepiſcopi, vniuerſitatis, & omnis culturæ ac ſplendoris ſedes. adiacet proxime *Charenton*, burgus cultus, eccleſia nuper Reformata celebratus, ad Matronam, qui mox ad *Conflans*, Confluentes, ſeceſſum amœnum archiepiſcopi Pariſienſis, Sequanæ miſcetur: *Bois de Vincennes*, caſtrum: *Saint Denis*, S. Dionyſii fanum, abbatia & regum mauſoleo clariſſimum: *Argenteüil*, in ripa dextra Sequanæ: *Saint Cloud*, fanum S. Clodoaldi, in ſiniſtra ripa, quod Duci Aurelianenſi, fratri Regis, ſedem præbet ordinariam: in eadem ripa *Saint Germain* cogno-

gno-

gnomento *en Laye*, regius ſeceſſus iuxta idem flumen, antequam Oeſiam accipit: poſt confluentes *Poiſſi*, Piſſiacum, *Meulan*, Mellentum, & *Mante*, Medunta: ad Oeſiam *Pontoiſe*, Pontiſara ſiue Oiſiæ Pons, *Beaumont*, cognomine *ſur Oiſe*, Bellomontium, *Creil*, Creolium. Inter Oeſiam & Eptam fluuios VOLCASSINVS tractus, *le Vexin François* cognominatus, vt ab altera parte trans Eptam in Picardia diſtinguatur; in quo præter Pontiſaram, quam diximus, eſt *Magny*, Magniacum; & *Chaumont*, Caluus Mons; quibus a ſeptentrione obiacet BELLOVACENSIS Ager, *le Beauvaiſis*, in quo epiſcopalis vrbs *Beauvais*, Bellouacum eſt, quod videtur vetus Bratuspantium; & *Clermont*, cognomine *en Beauvaiſis*. Inter Oeſiam, Marnam & Axonam, SILVANECTENSIS Comitatus, LE COMTE DE SENLIS, cuius caput *Senlis*, Siluanectum eſt, epiſcopalis ciuitas: poſt hanc in Picardiæ confinio *Compiegne*, Compendium, prope confluentes Axonæ & Oeſiæ,

aliquando Regis ſeceſſus: & VALESIA, *le Valois*, vbi *Creſpi*, Crepiacum: SVESSIONENSIS Ager, *le Soiſſonnois*, vbi *Soiſſon*, Auguſta Sueſſonum, princeps vrbs & epiſcopalis, ad Oeſiam fluuium. Præterea in Picardiæ finibus *Noyon*, Nouiodunum Veromanduorum, ſiue Nouiomagus: & *Laon*, Laudunum, munitum oppidum & epiſcopatu donatum: ad Sequanam infra Pariſios *Corbeili*, & in VASTINIO tractu, *le Gaſtinois* vulgo, *Melun*, Melodunum, & paruo a flumine interuallo meridiem verſus *Fontainebleau*, regiæ deliciæ, haud procul a Belſiæ Picardiæque limitibus: & vlterius in meridiem *Nemours* ac *Montargis* ad Lupiam (*Loine*) amnem. Eodem tractu, ſed ſupra Pariſios, occaſum verſus, mediocri ſpacio a Sequana diſtant *Verſailles*, Verſalia, oppidum cum ſplendido palatio, vbi aula regia commoratur. Hinc in meridiem magis proſpicit HVREPOESIVM, *le Hurepoïs*, vbi præter *Corbelium* (*Corbeili*) ſupra memoratum, *Dourdan*, Durdanum, ad Belſiæ con-

confinium eſt; & *Monfort l'Amaury*, Monfortium Almarici; tandem in limite Normanniæ *Dreux*, Drocum: & *Anet*, Anetum, ſplendidum caſtrum ad fluuium Eburam.

Hæc de inſula Franciæ, cultiſſima totius Galliæ prouincia, in mediterraneis, longiſſime a mari ſita, cuius meditullium, Ager Pariſinus, proprie FRANCIA appellatur, ceteræ partes ſuis nominibus vtuntur, vt *Gaſtinois*, *Beauvaiſis*, & aliis. Sequitur ab ortu

CAMPANIA, *la Champagne*, inter Franciam, Belſiam, Burgundiam & Lotharingiam poſita. Ab occaſu Franciam attingit BRIA, *la Brie*, cuius ſunt *Meaux*, Meldæ, ad Matronam vrbs epiſcopalis, decem leucis a Pariſiis diſtans: *Chaſteau Thierri*, Caſtrum Theodorici, ad eundem fluuium; & *Provins*, Prouinum, quatuor leucis diſtans a Sequana in ſeptentrionem. Briæ parua pars ad Franciam pertinet, *la Brie Françoiſe*, in qua oppidum *Bri Comte Robert* ſitum eſt. Eodem tractu, meridiem verſus, in limitibus

Belsiæ, est SENONENSIS Ager, *le Senonois*, Campaniæ annexus, cuius metropolis, *Sens*, Senones sunt, vrbs archiepiscopalis, ad Icaunam, (*l'Yonne*) fluuium. Propriæ autem Campaniæ caput sunt *Troyes*, Trecæ siue Tricasses, ad Sequanam, vrbs munita & episcopi sedes, patria celebris Iudæi R. Salomonis, qui vulgo Iarchi, tanquam ab oppido Lunel, dicitur. Ad Matronam sunt *Ay*, Ageium, *Chalons*, Catalaunum, episcopalis ciuitas; *Vitri le François*, Legia Victrix aut Victoriacum; *S. Dizier*, Fanum S. Desiderii, *Joinville*, Ioanuilla; *Vignori*, *Chaumont*, & his celebrior ac episcopalis vrbs *Langres*, Andomatunum, prope fontes Matronæ. Inter Matronam & Axonam *Reims*, Rhemi, olim Durocortorum, archiepiscopi, primatis Galliæ, sedes, etiam academiæ: supra Axonam, *Retel*, & in Luzenbourgensium confinio *Mouson*; in Hannoniæ, *Rocroy*, Rupes regia, munitum oppidum, iuxta Arduennam siluam. Prope abest tractus ad Mosam, qui Campaniæ accessit,

it, in quo ſunt *Sedan*, vrbs culta, & *Charleville*, munita arx, illa in dextra, hæc in ſiniſtra Moſæ ripa: interiacent *Mezieres*, Maceriæ. Sed ex terminis ad interiora reuertimur. Ad ſiniſtram Matronæ *Vaſſy* prope Ioanuillam; ad dextram, *Monteclair*: inter Matronam & Sequanam amnis Albula, *l'Aube*, cuius oppida ſunt *Arci*, *Brienne*, & *Bar ſur Aube*: at *Tonnere*, Tornodorum, iuxta fines Burgundiæ.

Tandem in Galliæ finibus inter Helvetiam, Italiam, Delphinatum ac Rhodanum ſita eſt SABAVDIA, *la Savoie*, vetus ſedes Allobrogum, non quidem pars regni, ſed proprio principi, cuius & Pedemontium eſt, ſubiecta. In ſeptentrione ſub Lemano lacu *Thonon*, Tunonium, *Bonne* & *Bonneville*, alterutra Bautæ Allobrogum: *Anneçi*, Annecium, hodie ſedes Geneuenſis epiſcopi, ad lacum Annecium: in meridiem vergunt *Chamberi*, Camberium, caput regionis, ad Iſaram fluvium; *Montmelian*, validum munimentum inciſum rupi, ad Delphinatus limi-

limitem, in dextra ripa Isaræ. In ortum magis prospiciunt *Moustiers*, cognomento *en Tarantaise*, Monasterium Tarentasiæ, vrbs archiepiscopali dignitate insignis: *S. Morice*, Mauricii fanum: & inferius *Saint Iean de Morienne*, Fanum S. Ioannis in Mauriana valle, vrbs episcopalis.

INSVLAE CIRCA GALLIAM.

In mari Britannico contra Normanniam sunt *Garnesey*, & *Iarsey*, siue *Gersey*, Anglorum insulæ: in Aquitanico, quanquam non maiores, celebratiores tamen sunt BELLISLE, Pulchra Insula, prope Britanniam Gallicam, e regione Portus Ludouici: ISLE DE RE, Insula Regis, Rupellæ opposita: & ISLE D'OLERON contra Carenthoni ostium, vtraque 1684 inundationibus grauissime adflicta. Nec prætereunda, quamuis admodum parua & fluuialis, non marina, mari ta-

tamen proxima insula Phasianorum, *Isle des Faisans* Gallis, in fluuio Vedaso (*Bidossoa*) qui Galliam ab Hispania inter S. Iean de Luz & Fontarabiam disterminat. In hac enim celebris illa pax 1659, quæ a Pyrenæis nomen habet, composita fuit. In mari Mediterraneo sunt iuxta Provinciam ISLES D' YERES siue HIERES, ab oppido vicino *Yeres* prope Toulon nominatæ, quarum nomina sunt *Porquerolles*, *Porte Croz*, & *Isle du Levant*.

CAPVT IV
DE
HELVETIA ET
VALLESIA.

HEluetia paullo latior hodie est, quam olim erat Ager Heluetiorum. Rauracos enim & alios inclusit, qui quondam separati ab Heluetiis erant. Limites ergo constituimus a septentrione & ortu Rhenum; a meridie

ridie lacum Lemanum & Vallesiam; ab occiduo Iuram montem & Burgundiæ Comitatum. Montosa regio, & multis lacubus distincta est. Galli vocant *la Suisse*, nostri die Schweitz siue Schweitzerland.

Populus libertatis amantissimus in XIII *Cantones* siue Pagos aut societates distinguitur, quos verius *ciuitates* veterum more appellares, siue ab vrbe mœnibus cincta, siue a vico denominantur. Hunc autem inter se ordinem obseruant: *Zürch*, *Bern*, *Lucern*, *Vri*, *Schwitz*, *Vnderwald*, *Zug*, *Claris*, *Basel*, *Friburg*, *Solothurn*, *Schafhusa*, *Appenzell*. Ita nostra dialecto vocantur: Latina nomina, si differunt, suo quodque loco adiiciemus. Ex his pagis septem sunt Catholici, Lucerna, Friburgum, Solodurum, Tugium, *Zug*; Vrania, *Vri*; Siluania, *Vnderwald*, & Switia: quatuor Reformati, Tigurum, *Zürch*; Berna, Basilea, Schafhusa: duo vtramque religionem tolerantes, Glarona, *Glaris*, & Abbatiscella, *Appenzell*. Ex his etiam vr-

[V]rbes sunt Zürch, Bern, Lucern, Zug, [B]asel, Friburg, Solothurn, Schafhusa: [r]eliqui societatem & possessionem su-[u]m vel a vicis immunitis nominant, [v]t Switia, Glaris, Appenzell; vel a regione, vt Vri, Vnderwalden.

Ex tredecim hisce ciuitatibus (*Cantons* vocant) constat libera & potens Respublica Heluetiorum, sanctis fœderibus mirifice inter se deuincta: non autem his omnis absoluitur Heluetia. quo enim quisque pagus (Cantòn) potentior est, eo plura vel oppida vel vicos suæ ditionis vel priuatim, vel communiter cum aliis fecit, vt propterea distingui oporteat inter *Rempublicam* Heluetiorum ex dictis XIII pagis compositam: & inter *subditos* Helvetiis, siue ditioni illorum subiectos: quibus tandem accedit tertius ordo *sociorum*, tam intra præscriptos Helvetiæ fines, quam extra illos, qui vel cum vniuersa republica & omnibus XIII Cantonibus, vel cum aliquibus tantummodo horumdem fœdus inierunt. De singulis, quantum bre-

breuitas noſtra permittit, perſpicue & diſtincte agemus.

A Burgundiæ Comitatu inter lacum Geneuenſem ſiue Lemanum & Neocomenſem (Neuburger See) ſitum eſt VAUDUM, Gallis *le païs de Vaud*, noſtris die Vaat/ tractus ciuitatis Bernenſis, in quo præcipuum oppidum eſt *Lauſana* ad lacum Lemanum, nobilitata epiſcopatu & academia: *Moudon*, Minnodunum, Germanis Milden/ ad *la Broye* amnem: *Yverdon*, Ebrodunum, ſub lacu Neocomenſi: *Auvenches*, Auenticum, noſtris Wiflisburg/ ad lacum Moratenſem a meridie, ſupra quem oppidum *Morat*, Murten noſtris, poſitum eſt, Bernatibus & Friburgenſibus communiter ſubditum. Trans lacum Neocomenſem eſt *Granſon*, ſub dominio Bernatum & Friburgenſium: & *Neufchaſtel*, Neuburg/ in Heluetio agro, ſub proprio Comite, Duce Longouillano, at ſaluo protectionis iure, quod Bernatibus manet. FREIBURG, nunc epiſcopi Lauſanenſis ſedes, vndique Bernatenſi agro coarctatur.

ur. BERNA autem culta ciuitas & in
Cantonibus validiſſima, ad Arolam flu-
ium, vulgo *Aar*, in cuius inſula *Ar-
erg* oppidum pariter Bernatibus ſub-
ectum eſt. Eorundem eſt *Arau*, Aro-
iium, eidem flumini, ſed magis in ſe-
ptentriones tendenti, adpoſitum, vbi
quatuor Reformatæ ciuitates ſuos con-
rentus habent. Tractus iuxta hoc flu-
nen, *Arrgau* appellatur, in eoque
itum eſt etiam *Burgdorf*, oppidum
cum caſtro, ditionis Bernenſis. LV-
CERNA quoque in Argoia ſita, ad la-
cum qui per anfractus ad Siluanenſem
vsque regionem porrigitur, vrbs no-
bilis ex XIII pagis, ſed ignobilioris
territorii, Bernæ ad hibernum ortum
oppoſita. SOLODVRVM, noſtris
Solothurn, Gallis *Solcurre*, & Gallici
legati ad Heluetios ſedes, in Arolæ ripa
boreali ſita, anguſti agri, ſed nitida &
culta ciuitas eſt, inter Arouium &
Biennam media.

Trans hunc amnem, Rhenum ver-
ſus territorium eſt epiſcopi Baſileenſis,
in quo ſunt *Brontrut*, Brundufia, Gal-
lis

lis *Porentru,* in Burgundici Comitatus confinio, ſedes epiſcopi Baſileenſis; & *Delsberg* , Gallis *Delemont*. Sed hæc iurisdictionis epiſcopalis ſunt, nec ad Heluetiorum fœderatam rempublicam pertinent. In eodem tractu *Bienna,* noſtris *Biel,* ad lacum cognominem, ſed libera, & Heluetiorum ſocia. BASEL autem, ſiue *Baſilea,* vrbs ad Rhenum ſita & academiæ laude clariſſima, pars eſt fœderatæ Heluetiæ, in cuius agro prope Reinfeldam in colle vicus *Augſt* cum multis antiquitatis veſtigiis conſpicitur, quæ Auguſtam ibi Rauracorum fuiſſe teſtimonio ſunt: in altera ripa prope vrbem vicus *Hüningen* a Gallis nuper valide munitus eſt.

Supra Rhenum, ſed orientem verſus, & propior Brigantino lacui eſt SCHAFHVSA, & ipſa in Cantonibus, ſed paruæ iurisdictionis, etiam extra Heluetiæ limitem, ponte tamen eidem coniuncta. Inter hanc & Baſileam *Egliſau*, Tigurinis ſubdita, ad Rhenum, cui in eadem ripa occaſum verſus

ius adiacent *Zurzach*, peramplus vicus, & Keyserstul/ Forum Tiberii, sed hoc sub dominio episcopi Constantiensis. Proximæ Basileam versus ad Rhenum sunt quatuor ciuitates Waldenses, Wald-Städte / Austriacæ ditionis, quarum quædam cis Rhenum, fere in Heluetiæ solo, si ille terminus est, videntur positæ, nempe *Reinfelden* & *Lauffenburg*; verum de his agemus in Germania cum reliquis transrhenanis. Inter lacum Brigantinum & Schafhusam est oppidum Tigurinorum *Stein* trans Rhenum, Heluetiæ tamen ponte iunctum. Ex limite ad interiora Heluetiæ reuertimur.

ZÜRCH, Tigurum, ad lacum cognominem clara ciuitas, academiam habet: inter hanc & Rhenum ad amnem Limagum (*Limmat* vulgo) est *Baden*, Aquæ Heluetiæ siue Castellum Aquarum, non tam thermis notum oppidum, quam comitiis fœderatæ reipublicæ. Paret octo antiquioribus pagis. Dicitur etiam Ober-Baden/ tanquam thermæ superiores. Adiacent in

in auſtrum *Mellingen* ditionis octo pagorum: & *Bremgarten* ad *Vrſum* flumen: at *Ruperſweil*, Ruperti villa, quæ diuidit Tigurinum lacum in ſuperiorem & inferiorem, quinque pagis ſubdita eſt.

Inter Lucernam & Tigurinum lacum eſt ZVG, Tugium, cognomini ſed minori lacui adſitum: & paullo auſtralior SCHWITZ, Suitia, vicus amplus, & caput cognominis pagi, etiam hodierni nominis, quo totam Rempublicam ſignamus, fons & origo, ad *Mutam* fluuium, poſt tergum lacus, quem vocant **der Waldſtädter See.** Sub lacu enim tractus ille ſilveſtris eſt, quem VNDERWALDEN appellant, & pagum ſiue Cantonem conſtituit, cuius caput eſt *Stanz*, vicus maior. Pagus autem hic per Quernam ſiluam in ſuperiorem & inferiorem diuiditur, & nomen ab inferiore, quod latior eſt, accepit. Mons a latere eſt inter Stantiam & Lucernam, Pilati exitu fabuloſus. Sub extremo lacu, oppidum eſt *Altdorf*, primarium

pagi

pagi VRI, cuius cetera longius in au-
strum vergunt ad *S. Gothardi* montem
Alpinum. Orientalem Heluetiæ par-
tem GLARIS & APPENZELI, duo
reliqui pagi, continent, vterque a vi-
co primario nominatus. *Glaris* inter
Valdensem lacum & Rhenum: *Abba-
tiscella* inter Ruperti villam & eundem
fluuium prædiues burgus. Quatuor
inde leucis in septentrionem distat op-
pidum *S. Gall*, id est S. Galli Fanum,
insignem habens abbatiam, cuius præ-
sul est princeps imperii Romani, & ex
præcipuis sociis Heluetiorum. *Weil*
inde in occasum recedit, vbi Sangal-
lensis abbas sedem fixit. Tractus ibi
est TVRGAW, cuius primaria oppi-
da habentur *Frauenfeld*, & ad Rhe-
num, inter Stein ac Schafhusam, *Dis-
senhoven*. Prope a S. Galli fano abest
Constantia, nostris Costnitz/ ad lacum
Acronium, Boden-See/ vbi Rhenus
ex hoc in lacum se Venetum effundit,
episcopalis vrbs, antea etiam imperia-
lis, nunc in potestate Archiducum
Austriæ. Intus in Heluetiæ finibus

 sita

ſita ſunt pleraque, quæ Conſtantienſi epiſcopus, Heluetiorum ſocius, diti one ſua tenet, vt *Epiſcopicella*, & alia.

Hactenus de Cantonibus ipſis, & po tioribus, quæ illis ſubdita oppida ſun in Heluetia. Quatuor enim Italica præfecturas, vbi *Lugano, Mendriſi, Lu carno* & *Vallis Madia* ſunt, in Italia cun Mediolanenſi Ducatu, ad quem per tinuerunt, enarrabimus. *Socii* re ſtant, e quibus Conſtantienſem epi ſcopum, & Sangallenſem abbatem, qu intra fines Heluetiæ ſunt, ac vrbem Bi ennam ſiue Biel/ Neocomum ſiue Neuburg / ſupra luſtrauimus. *Ein ſiedelenſis* autem abbatia, peregrina tionibus famoſa, ad pagum Switiam, a quo prope abeſt, pertinet. *Geneua*, in clita ciuitas ac libera, & fœdere iuncta Bernatibus ac Tigurinis, academiam & epiſcopalem dignitatem habet, ve rum epiſcopus, poſtquam ciues ſacra ſuperiori ſæculo mutarunt, plerumque Annecii in Sabaudia commoratur. Sita vrbs in ore Lemani lacus, Genfer See/ quo Rhodanus effunditur, atque

ita

ta in communi limite Heluetiorum at-
que Sabaudiæ eſt.

VALLESIA quoque, *le Vallays*, Wallifer-Land / ad hanc ſocietatem
pertinet, inter Italiam & Heluetiam
medio ſitu, per quam Rhodanus inter
ortum ſuum & Lemanum lacum de-
currit, tota inalpina, & iugis ſuis pro-
pe inacceſſa, Superior in orientem ver-
git; Inferior occaſum reſpicit. Oppi-
da iuxta Rhodanum ſunt *Sitten*, Se-
dunum, Gallice *Sion*, caput gentis,
epiſcopatu inſigne; *S. Morice*, Mauri-
tii fanum, vbi ſedet epiſcopus Sedu-
nenſis, clauis totius regionis: inter v-
trumque *Martinach*, Octodurum,
Gallis *Martigny*, paullo longius a ſini-
ſtra ripa Rhodani reductum.

In ortum adiacent, qui GRISONES
dicuntur, Graupünter / Rhætorum
pars, fœderati Heluetiorum. Termi-
nos habent ab occaſu Heluetiam, a
qua per Rhenum diuiduntur: a ſe-
ptentrione Sueuiam, ab ortu Tirolen-
ſem Comitatum: a meridie Italiæ par-
tes. Et ipſi libertate gaudent, diuiſi

in tres ordines, nempe *fœderis superioris*, quod etiam Caninum vocatur: *Domus Dei*, & tandem *decem Iudiciorum*. Caput regionis eſt *Chur*, Curia, prope Rhenum, epiſcopalis: propius hoc flumen a ſeptentrione eſt *Meyenfed*; ab auſtro Curiæ, *Furſtenau*.

Subſunt Griſonibus Comitatus CLAVENNENSIS & VALLIS TELLINA Veldlin. Clauennæ Comitatus eſt inter Griſones, Vallem Tellinam, ac Italiam. *Chiavenna*, Clauenna, Germanis Cleve / oppidum hujus comitatus ad *Mairam* fluuium: alterum huic vicinum *Plurs* montis imminentis ruina 1618 oppreſſum eſt. VALLIS TELLINA, *la Valtellina* Italis, Italiæ propinqua, ad radices Alpium Rhæticarum, ab Addua flumine rigatur, habetque *Morbegno*, Morbonium, *Tiranum*, *Sondrium* (Sonders) quibus & *Bormium*.(Worms) Comitatus nomine adnumeratur.

CA-

CAPVT V
DE
LOTHARINGIA.

QUæ Galliarum partes Narbonensi, Aquitanicæ & Lugdunensi respondent, ſupra expoſuimus: ex Belgica etiam Picardiam, Campaniam, Heluetiam cum Burgundiæ Comitatu perluſtrauimus: vnde in XVII prouincias, quæ ſolæ *Belgicarum* nomen noſtris temporibus tuentur, cum iter progreſſuris, niſi per *Lotharingiam*, non pateat, huius peragrationem in animum induximus, præſertim quod dubii hodie, ſaltim ex vulgi opinione, iuris eſt, etiam inter Galliam & Germaniam media, & quamuis a Gallis iam occupata ſit, non tamen quidquam ex ea in ius illorum, præter Epiſcopatus ad Moſam & Moſellam conceſſit, neque vlla pacificatione aut legitimis pactis abdicatio adhuc facta fuit. Olim regnum erat Lotharii, qui filius Ludouici imperatoris & regis

Franciæ fuit: post hæc alios atque alios dominos nacta, & Germanico Romano imperio, saltim ex parte, adiuncta (Mit-Stand des Reichs) quanquam absoluti iuris principe manente, provinciis subinde abscissis (qualis Brabantia est, olim *Lotharingia inferior* nominata) in hos tandem fines redacta fuit, vt ab occasu Campaniam; a septentrione Luzenburgensem Ducatum & Bipontinum: Alsatiam ab ortu: a meridie Comitatum Burgundiæ habeat. Flumina quibus rigatur, sunt *Mosa*, Gallis *Meuse*, nostris Maase/ *Mosella*, & *Saravus* siue *Sara*: *Araris* quoque (*la Saone*) in hisce oris nascitur, sed breui post fontes tractu excedit fines Lotharingiæ. Mons notissimus *Vogesus*, Gallis *le mont de Vauge*, qui Lotharingiam ab Alsatia & ex parte etiam a Comitatu Burgundiæ disterminat. Sermo gentis plerisque locis est Gallicus.

Diuiditur hæc Lotharingia, *la Lorraine* incolis, in tres partes, Lotharingiam propriam, Ducatum Barrensem & tres Episcopatus. PROPRIA LO-

THA-

THARINGIA ad ortum vergit eiusque caput eſt *Nancy*, Ducum adhuc nuper ſedes, ſupra quam in ſeptentrione *Vaudrevange* prope Saarbrück, *Chaſteau*, *Salins*, *Saarwerden*: & duabus leucis, a Nancy, *Amance*, Almentia: ad dextram adiacent *Marſal*, munitum oppidum, & *Moyenvic*, *Dieuze*, ac *Saarburg* ad Sarauum, *Salme*, Salmona, & *Pfalzburg*, in Alſatiæ limite; *Luneuille*, *Roſieres*: in meridiem a metropoli recedunt *Vaudemont*, *Mirecour*, *Neufchâtel*, *la Mothe*, *Darnei* ad Ararim fontibus vicinum: vicus *Plombieres*, thermis celebratus. Ad Moſellam *Remiremont*, *Eſpinal*, Spinalium, *Bayon*, *Chaſtel*, Caſtellum in Voſago ſiue Moſellæ cognomine.

BARRENSIS Ducatus magis occidentalis eſt, circa Moſam & Moſellam vſque. vrbs primaria *Bar le Duc*, Barroducum, inter Nancy & Chalons Campaniæ medium: *Clermont* in Campaniæ confinio: & ad Moſam *Vaucouleur*, *Void*, *Commercy*, *S. Michel*: inter Moſam & Moſellam *Vezeliſe*, prope

Vaudemont, *Stanay*, *Estein*, *Conflans*; & ad Mosellam *Pont a Mouson* oppidum academia clarum, inter Metz & Nancy medium: in Lucenburgensi limite *Lungovy*, siue *Lungvy*, Longus Vicus, nuper muniri cœptus.

EPISCOPATVS tandem in Lotharingiæ finibus sunt METENSIS, TVLLONENSIS, VERDVNENSIS, quorum cognomines vrbes *Mez*, *Toul*, *Verdun* olim imperiales erant, sed superiori sæculo abreptæ & Monasteriensi pace Gallis concessæ, ab reliqua Lotharingia possessionis iure differunt.

Metz, Metæ, Diuodurum, cognominis episcopatus, olim etiam regni caput, ad Mosellam perampla vrbs, sedes nunc supremæ curiæ siue Parlementi. Frustra obsessa a Carolo V, postquam in Gallorum potestatem venerat. *Toul*, Tullum, ad eundem fluvium, sed in meridiem plus sita ciuitas, haud longe a Nancy: cum qua commutanda dicitur pace Nouiomagensi. *Verdun* autem siue Verodunum, ad Mosam, itidem episcopalis.

CA-

CAPVT VI
DE
XVII PROVINCIIS BELGICIS.

SEptendecim prouinciæ, quibus *Belgicarum* nomen vulgo tribuitur, pars veteris Galliæ Belgicæ ſunt: poſt Burgundico Ducatui adnexæ, cum quo in ditionem Auſtriacorum venerunt, & ab his ad Reges Hiſpaniæ. Septem ex illis, Hiſpanorum dominationis & ſacræ inquiſitionis pertæſæ, ſuperiori ſæculo defecerunt fœderatam inter ſe rempublicam conſtituentes, quam Hiſpani diuturnis bellis fruſtra repetitam, Weſtphalica tandem pace 1648 declararunt liberam. Ex decem reliquis, quæ Hiſpanicæ poſſeſſioni remanſerant, Galli interea multas magnasque partes abripuerunt, pacificationibus diuerſis, Pyrenæa, Aquisgranenſi & Nouiomagenſi poſtmodum conceſſas, vt adeo hoc tempore a multis, præſertim Gallis geographis inter Hiſpanicum, Gallicum & Fœderatum

Belgium tripartito distinguatur. Nos & situs rationem & possessionis habebimus, ab iis prouinciis initium facturi, quæ explicatis Galliæ & Lotharingiæ partibus propinquiores existunt. Primum itaque generatim possessiones delineabimus: deinde provincias secundum situs positionem dispiciemus.

Quæ ex septendecim prouinciis nuper Hispanici iuris erant, nunc autem partim Hispanici, partim alieni sunt, decem numerantur, Flandria, Brabantia, Artesia (*l'Artois*) Hannonia (Hennegau) Geldriæ pars, Namur, Luxenburg, Limburg, quibus in Brabantia adduntur Antwerpiensis Marchia, & Dynastia Mechlinensis. Reliquæ septem fœderatæ sunt & liberam rempublicam constituunt, Hollandia, Selandia, Frisia occidentalis, Zutphania, Vltraiectina (Utrecht/) Transisalana (Ober-Issel) ac Gröningensis. Geldriæ partes sub Zutphania continentur, aut cum ea vnam prouinciam faciunt. Præterea extra suas prouincias fœde-

œderati Ordines nunc possident in
landria, *Hulst*, *Sluis*, & cetera infra re-
censenda: in Brabantia *Mastrich*, *Her-
zogenbusch*, *Breda*, *Graue*, *Bergen ob
Zoom*: in Limburgensi *Falkenburg* &
Dalem.

Belgium Gallorum siue Francicum comprehendit Artesiam totam, maiorem ac meridialem partem Hannoniæ, partem Flandriæ ad occasum & meridiem protensam, Ducatus Luxenburgici partem australem, pace Pyrenæa concessam, cui 1684 ipsum caput prouinciæ *Lüzzenburg* siue *Luxenburg* post operosam obsidionem adiectum, nondum autem pacificatione confirmatum fuit. Ex quibus facile ad colligendum est, quæ Hispanis ex Belgicis prouinciis relicta sint, nempe Flandriæ pars ad ortum & septentrionem, Brabantiæ plurima: pars Hannoniæ borealis: Namurcensis Comitatus: partes Limburgi & Geldriæ. Luxenburgi reliquum, amissa metropoli, nunc dubii iuris est.

Fluuii maiores in Belgis sunt *Mosa*,

die Maase/ *Scaldis* die Schelde/ *Rhenus*, qui poſt diuortia nomen fere & oſtia amittit. Dexter enim alueus in Iſalam Druſiana foſſa effluit, vulgo Iſel dictus: ſiniſter Waal/Vahalis;& *Leccus*, medius alueus, Leck vulgo, infunduntur Moſæ: vnus per Traiectum & Lugdunum ductus nomen quidem Rheni retinet, ſed ſimilior foſſæ quam fluuio, aquam ſuam non effundit. Moſa etiam poſt Dordracum diſpenſatur & ſiniſter alueus *vetus Moſa* dicitur. Mediocria aut minora flumina multa ſunt, Legia (*le Lys* Gallis, *Leye* Belgis) quæ ad Gandauum Scaldi miſcetur: *Scarpe* eidem inter Tornacum & Duacum: Sabis (*la Sambre*) in Hannonia: Tenera, Demera, & alia.

ARTESIA, incolis *l'Artois*, regio eſt Picardiæ ab occaſu & meridie: ab ortu Flandriæ & Hannoniæ contermina, Comitatus titulo vſa. Caput eius *Arras*, ſiue *Atrecht*, Atrebatum, vrbs ampla & epiſcopalis ad fluuium Scarpam: *S. Omer*, Fanum Audomari, itidem epiſcopalis: & antea munitum

um *S. Venant*, Fanum S. Venantii, in Flandriæ finibus: adhuc autem bene munitæ, *Aire*, Aria, in Flandriæ collimitio, *Bethune* ad amnem *la Biette*, octo leucis ab Atrebatio in septentrionem: *Hesdin*, Hedina, in Picardiæ limite: *Bapaumes*, Bapalma: *Saint Paul*, proprii Comitatus nomine insignitum oppidum; *Lilers*, Lilerium, vrbecula; at *Terouanne*, Tarvanna, á Carolo V excisa, adhuc in ruinis iacet ad amnem Legiam. *Lens*, Lentiacum, oppidulum disiectis munimentis. Tota Artesia hoc tempore iuris Gallici est. Huic

FLANDRIA in septentrionem obiacet, ad oceanum vsque extensa, in cuius parte GALLICA *Douay*, Duacum, ad Scarpam, academiæ domicilium, & *la Bassee*, Bassia, antea munita, in Artesiæ limite: *Ryssel*, Gallis *Lille*, Latinis *Insula*, vrbs nitida & permunita, caput totius Belgici Francici; *Dornik*, Gallice *Tournay*, Tornacum, ad Scaldim: *Orchies*, *Lanoy*: in septentrionem inde prospiciunt *Ypern*, Ipers Gallis, episcopalis: *Armentieres*, Armentariæ,

ad flumen Legiam: *Varneton* ad eundem: ad mare *Dünkirche*, munitissimum oppidum cum tuto portu: *Grevelingen* (Gall. *Gravelines*) in eodem littore permunitus portus inter Dunkircham & Caletum: intus paullo *Werne*, Gallice *Furnes*, vix vna leuca a mari, cultum & munitum oppidum: & *Vinoxberg*, Mons S. Vinoci, prope Dünkircham; atx *Martick*, quondam bene munita & vicina Dunquercæ, nunc disiecta iacet: *Menin* recens munitum oppidum ad Legiam (*le Lys*) amnem, vna leuca a Cortraco:

FLANDRIAE HISPANICAE caput est *Gent*, Gandauum, vrbs ad Scaldim amplissima; ad idem flumen *Oudenarde*, Aldenarda, & *Dendermonde* siue *Dermonde*, Teneramunda, illa Tornacum versus; hæc inter Gandavum & Antwerpiam: *Aloft* inter Gandauum & Teneramundam, Comitatus nomine, quo *Ninove* pertinet: ad Legiam *Harlebeck*, & nobilius *Cortrick*, Gallice *Courtray*, Cortracum, sæpe à Gallis ereptum & restitutum; sicut

etiam

iam *Dixmuda* ad *Iperlam* fluuium,
ter Ipras & Ostendam media: *Geerts-*
rg, Gerardi Mons, Gallice *Grand-*
ont, immunitum nunc oppidum ad
eneram flumen: propior oceano
rügg, Gall. *Bruges*, vrbs splendi-
issima, episcopatu insignis: *Dam* op-
idulum permunitum inter Brugas &
Clausulas, quasi Brugarum propu-
gnaculum: *Axel* prope Aggerem (*Sas*)
Gandauensem: *Blankenberga*, munita
amissis *Clausulis*: in litore *Ostende*, ter-
tio a Brügis lapide, portu prædita, di-
uturna obsidione 1601 ad 1604 facta
clarior: inter hanc & Dunquercam
Nieuport, Nouus Portus, egregium
munimentum cum capaci portu.

Est etiam Flandriæ pars, vt prædixi-
mus, in potestate fœderatorum Belga-
rum, Flandria Hollandica Baudran-
do, Hispanis ante Monasteriensem pa-
cificationem erepta. *Hulst* oppidum
huius partis est; & *Schluis*, Clausulæ;
& *Ardenburg*, ac mari propius *Isendick*,
munitum oppidulum, & *Sas de Gent*,
arx a Gandauo quatuor milliariis in
bore-

boream remota. *Birvliet*, munitum oppidum in insula cognomine contra Isendicum.

BRABANTIA in medio Belgicarum prouinciarum Ducatus titulo insignita, terminatur a septentrione Hollandia & inferiori Geldria: ab ortu Geldria superiori & Episcopatu Leodiensi: a meridie Hannonia & Comitatu Namurcensi: ab occasu Flandria & Selandia. Diuisa quondam in IV partes Louaniensem, Bruxellensem, Antwerpiensem & Boscoducensem: nunc ex possessionis iure commode dividitur in partem *Hispanicam*, quæ maior est; & *Fœderatorum Belgarum*, quæ septentrionalis.

In HISPANICA BRABANTIA *Brüssel*, Gallis *Bruxelles*, Bruxellæ, caput provinciæ & sedes Gubernatoris Hispanici. *Antwerpia* (nostris Antorff/Gallis *Anvers*) in maximis Europæ vrbibus ad Scaldim: *Lillo*, castrum prope eundem fluuium: Inter vtramque in ortum vergunt *Mecheln*, Gallis *Malines*, Mechlinia, archiepiscopalis, & sedes

les iuridici conuentus, ad Demeram fluuium; ad quem in ortum ſubiacet *Arſchot*, Ducatus titulo inſignitum: & *Dieſt* ſub dominio vtili Principis Arauſiaci. Inter Arſchotum & Mechliniam meridiem verſus Löven / Gallice *Louvain*, Louanium, academia clariſſimum: *Thienen*, (Gallis *Tillemont*) in Hannoniæ finibus: *Vilvorden* inter Bruxellas & Mechliniam ſitu medio: *Liere*, Lira (quibusdam Niueſdum) munitum ad *Netham* amnem altero milliario a Mechlinia in ſeptentrionem diſtans. *Gemblour*, Gemblacum, Gallis Giblou, in Namurcenſi confinio, ſub tetrarchia Louanienſi. *Seneſ* vicus, prælio inter Gallos & ſocios exercitus Belgarum 1674 nobilitatus, in limite Hannoniæ inter *Reux* & *Nivelle*.

Brabantiæ *ſeptentrionalis* pars ad *Fœderatos Belgas* pertinens, in quo ſunt *Bergen ob zom*, a paruo fluuio ſic dicta; *Breda*, tum aliis ornamentis, tum pacificatione Anglorum & Fœderatorum Belgarum 1667 inſignis: *Herzogenbuſch*, Silua Ducis (Bosleduc & *Bolduc* Gal-

Gallis) & ad Mosam *Graue:* ad eundem fluuium sed inferius in confinio Leodiensi, *Mastrich*, Traiectus ad Mosam, singulæ vrbes munitissimæ & operosis expugnationibus nostra patrumque ætate memorabiles.

HANNONIA, nostris Hennegau, Gallis *Haynaut*, inter Artesiam, Brabantiam, Namurcum & Picardiam sita, Sabi, id est *Sambre* fluuio secatur: Scaldi & Mosa a lateribus alluitur. Maior pars in ditione Gallorum est. Hispanis adhuc paret *Ath* siue *Aeth*, ad Teneram fluuium inter Montes & Altenardam media; ad eundem amnem *Lessines* vrbecula: *S. Ghislain* siue Guilain, Fanum S. Gisleni; & *Binsch*, prope Hainam amnem: *Fontaine*, ad Sabim. *Engvien* Ducatus titulo clarum; *Hall* fano B. Virginis in finibus Brabantiæ.

DITIONIS GALLICAE sunt ad Scaldim *Camerick*, Gallis *Cambray*, Cameracum, vrbs Archiepiscopalis in Artesiæ confinio, a Carolo V Hannoniæ adiecta, cum antea imperialis esset: ad eundem fluvium

vium *Bouchaïn*, Bochanium, & *Valenciennes*, Valentiana, mūnitæ vrbes: *Condé*, Condatum, ad confluentem Hainæ & Scaldis: ad Sabim *Maubeuge*, Malobodium: & *Beaumont* prope idem flumen, inter quod & Scaldim, *le Quesnoy*, Quercetum; *Bavay*, Bauacum: inter Sambram & Mosam *Avesnes*, Avennæ; *Chimay*, *Mariebourg*, *Philippeville*, Philippopolis, permunita: *Landrecy* prope fontes Sabis: & ipsa metropolis *Bergen*, Montes, Gallis *Mons*, quam nuper 1691 antea captis adiecerunt.

NAMUR Hannoniæ in ortum adiacet circa Mosam fluuium, parua regio, Comitatus titulo insignita. Caput eius *Namur* siue *Namen* est, quod & Namurcum dicitur, olim Oppidum Aduaticorum, qui in his oris sedes habuerunt. Estque episcopalis vrbs ad læuam Mosæ sita, vbi Sabim illa recipit. *Charlemont* a Carolo V conditum in monte, quem idem amnis præfluit. *Bouines*, Bouiniacum, ad eundem amnem oppidulum: *Charleroy*, Caro-

lore-

loregium, ad Sabim fluuium in Hanno-niæ confinio, arx munita: vnde ſex millibus paſſuum in ſeptentrionem aut ortum potius æſtiuum diſtat *Fleury*, vicus cruentis prœliis 1622 & 1690 nobilitatus: at *Valçourt* trans Sabin in finibus Leodicenſium. Omnia ſunt ditionis Hiſpanicæ, præter Carolomontium, quod Gallis ceſſerunt Hiſpani 1680, quibus contra Charleroy Nouiomagenſi pace reſtitutum fuit.

LIMBVRG Ducatus nomen inter Iuliacenſem agrum & Leodienſem medii. Transmoſanus tractus reſpectu Brabantiæ, *le pais d' outre Meuſe*, perſæpe vocatur. Pars meridionalis Hiſpanorum eſt, vbi *Limburg* ſita, vrbs primaria, ſed 1677 a Gallis, antequam desererent, disiectis munimentis graviter adflicta. Reliqua pars ad Belgas Fœderatos pertinet, in qua *Dalem* eſt duabus leucis a Leodio reductum: *Falkenburg*, Gallice *Fauquemont*; & Hertzogen-Rode, Gallis *Rolduc*, Rodia Ducis, quæ oppida pax Nouiomagenſis quidem reſtituit, ſed munimentis mul-

nultata. *Wick* vero, ſiue Vicus ad Moſam, e regione Traiectus (*Maſtrich*) irmiter munitus eſt. Huic Transmo-ſanæ parti in meridiem ſubiacet

LVZZENBVRGENSIS Ducatus inter Moſam & Moſellam, & in auſtrum ad Lotharingiam vsque extenditur. Caput *Luzenburg* ſiue *Luxenburg*, in media prouincia ſitum ad fluvium *Alſitz*, Alizontem, 1686 a Gallis expugnatum: præterea Gallis prope Lotharingiæ fines ad Moſellam ſubſunt *Dietenhofen*, Gallis *Theonville*, Theodonis Villa; & *Königsmachern*, Machra regia: & *Rodemachern*: ſed Moſam verſus *Monmedy*, Mons medius, permunitum oppidum: *Damvilliers* nunc ſine munitionibus: & paullo ſeptentrionalior *Chiny* ad amnem *Semoy*, Comitatus proprii caput, at Luzenburgenſi prouinciæ inſerti: ſicut & *Arlon* ad fontes huius amnis: *Carignan*, vt nouiſſime dici cœpit *Ivois*, Epoiſſus ſiue Epuſium, vna leuca a Moſa, ad Campaniæ limitem. Relicta Hiſpanis, poſtquam 1684. metro-

tropolis Luzenburg erepta fuit, incertiora ſunt, vt *Baſtonac*, Gallis *Baſtoigne*, Benſonancum: *Roche*, Rupes, & *Grefenmachern* ad Moſellam, ac alia ignobiliora. *S. Veit* & *Viande* ſunt poſſeſſiones Principis Arauſiaci.

* DVCATVS BVLLIONENSIS etiam in hoc tractu eſt ad ſiluam *Arduennam*, cuius ſunt, *Boüillon* intra ſiluam, vnde nomen ducitur: *Rochefort*, *S. Hubert*, *Mireuart*: & *Hiergues* & alia, quorum poſſeſſio Duci huius nominis Noviomagenſi pacificatione ad amicam litis compoſitionem relicta fuit.

Ex his in Geldriam progreſſuris Epiſcopatus Leodienſis medio itinere obiicitur, Germaniæ quidem accenſitus in Weſtphalico Circulo; ſed vndique cinctus Belgarum prouinciis, quem vt prius expediamus ordo inſtituti noſtri requirere videtur, quippe non tam ad poſſeſſionis iura, quam ad ſitum ac poſitionem geographo reſpiciendum eſt. LEODIENSIS ergo EPISCOPATVS, Stifft Lüttich/ caput habet

ıet *Luyk* siue *Luttich*, Leodium, Gal-
is *Liege*, episcopalis dignitatis, iuxta
Mosam, ad quod flumen, Namurcum
versus, media via est *Huy*, Belgis *Hoey* :
& infra Namurcum *Dinant*, iam in
Gallorum potestate: inter Traiectum
& Ruremundam *Maseik* ad eundem
amnem. Ad Sabim *Thuin*, Thunium,
a Gallis 1683 muniri cœptum: ad
Demeram *Hasselt* : inter Deme-
ram & Mosam *Tongren*, Tungri, siue
Aduatica Tungrorum; & *S. Truyen*,
Fanum S. Trudonis. *Spa* vicus, Fons
Tungrorum, salubribus aquis celebra-
tus in limite Limburgensi.

GELDRIAE Ducatus late etiam
Zutphaniam comprehendens; a se-
ptentrione Transisalaniam & mare Au-
strinum, Suyder-See; ab ortu Cliui-
am; a meridie Brabantiam & Juliacen-
sem agrum; ab occasu Hollandiam &
Vltraiectinam respicit. Hæc decima
& vltima prouinciarum Belgii est, in
qua Hispani adhuc aliquid possident;
quæ sequentur, omnes sunt in ditio-
ne fœderatorum Ordinum. Nos au-

tem

tem heic Zutphaniam ſeparantes, reliquam Geldriam in Hiſpanicam diſtinguimus & Fœderatorum prouinciam. Hiſpaniæ paret pars auſtralis, cuius vrbs *Geldern* nomen regioni dedit, inter Venlonem & Rhinbergam ad Nierſam amnem permunita: *Wachterdonk* ad eundem fluuium: *Ruremund* ad Moſam, vbi *Roram* (Roere) recipit: *Venlo* in eadem Moſæ ripa oppidum munitum ad Iuliacenſem limitem.

Fœderatorum Geldria diſtinguitur in *Velauiam* die Velau/ inter Rhenum & Fleuum lacum: & *Betauiam*, die Betau/ inter Rhenum & Vahalim. VELAVIAE eſt *Arnheim*, Arenacum, ad Rhenum paullo infra vicum *Iſelort*, vbi per Druſi foſſam in Iſalam deriuatur: *Wageningen*, ad idem flumen prope Rheinbergam: & ad Auſtrini maris orientalem oram *Harderwick* munitum oppidum, & noua academia ornatum; ac *Elburg*: ſed *Hattem* ad Iſalæ ripam ſiniſtram tribus leucis, ab oſtio. BETAVIAE vrbs prima *Niemegen*, Novio-

viomagus, ad Vahalim, nuperrima pa-
cificatione celebrior facta: *Tiel* & *Bom-
mel*, ad eundem fluuium: *Culenburg* ad
Rheni alueum, qui iam *Leck* vocari
cœpit: *Büren* Comitatus titulo cla-
rum oppidum inter Leccum & Vaha-
lim amnes. Oppidulum *Kessel* prope
sinistram Mosæ ripam inter Rœrmund
& Venlo, videtur castellum Menapio-
rum esse. In eadem ripa, sed in occa-
sum æstiuum, post Grave, situm est *Ra-
venstein*, cum agro sub dynastiæ titulo
ad Cliuiæ Duces pertinens, sed magis in
Brabantiæ finibus est, quam, Geldriæ,
quemadmodum Grave etiam, vicinam
vrbem, Brabantiæ adnumeramus. At-
que hæc ad occasum. In limite orien-
tali seu collimitio Geldriæ atque Cli-
viæ, *Schenkenschanz* in diuortio Rheni
munimentum, a Gallis operose 1672
captum, post Brandenburgico Electo-
ri restitutum, a quo fœderati Ordi-
nes 1681 receperunt. Alii Cliuiæ
illud accensent.

ZVTPHANIA Geldriæ pars
orientalis inter Isalam ad occasum,

Cliuiam ad meridiem, Monaſterienſem regionem ad ortum, Transiſalanam a ſeptentrione. *Zutphen* vrbs ad Iſalam, vbi Berkelam recipit: ad quem fluuiolum eſt *Lochem*; & permunitum *Groll* ad amnem Slink: *Brefort* duabus leucis a Grolla auſtrum verſus: *Doesburg* ad Iſalam, vbi foſſâ Druſiana ex Rheno augetur.

ZEELANDIAM a ſeptentrione Hollandia, ab ortu Brabantia; ab occaſu mari Germanico, a meridie Flandriæ partibus terminatur. Conſtat ex inſulis, quarum præcipuæ ſunt *Walchern* (Valachria,) *Sudbeveland*, in meridie: *Schowen* (Scaldia) & *Duveland* in ſeptentrione: intermediæ *Nortbeveland* & *Toln*. VALACHIA ex his primaria vrbes habet nauigationibus clariſſimas *Middelburg* & *Fliſſingen*: inter vtramque eſt arx *Rameken*, quæ etiam *Zeeburg* appellatur, latine Ramua: *Arnmuyden* prope Middelburgum, cum portu oblimato: *Veer* ſiue *Campveer*, Beuelandiæ boreali oppoſita, arcem & portum habet ſub do-

dominio Principis Arausiaci. In BEVELANDIA australi oppidum est *Goes* siue *Tergoes*: sed magna pars insulæ nunc mersa est, **das vertruckene Land**/ in cuius ora oppidum *Römerwal*, graviter adhuc cum mari conflictatur. BEVELANDIAE borealis sunt *Cortken* & *Campen*, ægre ex inundationibus seruata oppida. In SCALDIA *Ziricsee* & *Brouwershafen*, munita oppida & portubus instructa. TOLEN vrbem habet insulæ cognominem, bene munitam: *Martinsdyk* in Principis Arausiaci ditione. Ceteræ insulæ sine oppidis insignibus sunt.

HOLLANDIA supra Zeelandiam in septentrionem posita diuiditur in australem, septentrionalem & mediam. Plena est vrbium populosarum, munitarum & mercatura nobilium; fluminibus, fossis, maribus irrigua.

AVSTRALIS Hollandiæ sunt ad Mosæ æstuaria & Merouæi fossam (*Merwe*) alueumMosæ borealem, *Dortrech*, Dordracum, synodo Reformatorum 1618 clarum; *Yselmunda*, vbi *Issel* Mosæ

miſcetur; *Roterdam*, Eraſmi patria, *Schiedam*, vbi fluuius *Schie* influit in foſſam Merouæi; & *Vlaerdingen:* ad Moſam, vbi Vahalim recipit, *Gorcum:* & antequam recipit, *Heusden.* Vicinum Gorkumo *Worcum*, ſed in altera ripa: & *Leerdam* inter Gorcum & Viane: in Flandriæ confinio *Gertrudenberg;* in Zeelandiæ, eſt *Wilhelmſtadt:* ad Leccam, *Vianen*, *Neuport*, *Schonhofen:* inter Rhenum & Leccam ad amnem Iſſelam *Iſelſtein*, *Outewater*, *Gouda:* ad Rhenum *Woerden*, & *Leyden*, Lugdunum, academia clariſſimum: prope Oceanum *Haag*, Haga Comitum, burgus cultiſſimus, curia Fœderatorum Ordinum & conſilii locus: *Schevelingen*, vicus maritimus apud Hagam: in vlteriori angulo *Graueſand*, ſedes olim Hollandiæ Comitum: intus paullo *Delft*, Delphi, ad fluuium *Schie* vrbs inſignis cum portu inde remoto ad Moſæ æſtuarium, *Delfterhafen:* inter vrbem & Graueſand eſt *Honslardyck* arx noua & ſplendida Arauſiaci principis. Huc pertinet etiam VORNIA

Voorn

Voorn, inſula, ſub Moſæ æſtuario, cuius præcipua vrbs *Briel* eſt ; poſt eam *Garvliet*.

MEDIAE HOLLANDIAE vrbes, *Amſterdamum*, emporium nulli ſecundum, appoſitum ramo Auſtrini maris; in eodem litore eſt *Muyden*, & *Naerden* in Goeyland, quæ regiuncula Vltraiectinæ prouinciæ contermina eſt. *Harlem* autem ad lacum inde cognominatum inter Ambſterdamum & Oceanum: vicinum *Bredenrode*: intus *Edam* in Auſtrino mari, & vnius leucæ interuallo *Monickedam*.

SEPTENTRIONALIS Hollandia intercepta eſt inter Oceanum & Auſtrinum mare, ad quod oppida habet *Horn*, *Enkhuſen*, *Medenblick*: inter lacum proprium & Oceanum *Alkmar*: vicum *Egmont*, comitatus titulo inſignem, prope Oceanum. Borealiores inſulæ famoſæ, quæ naualia Hollandis præbent, *Texel*, & *Vlieland*, Fleuo, per quarum portus ex Auſtrino mari in Oceanum nauigatur. Hollandiæ in ortum hibernum adiacet

VLTRAIECTINA prouincia, cuius caput eſt *Vtrecht*, Vltraiectum inferius, ſiue ad Rhenum, academia inſigne oppidum, olim etiam archiepiſcopatu. Subſunt quatuor oppida *Amersfort* ad fines Geldriæ: *Montfort* ad Iſſelam bene munitum: *Rhenen* ad Rhenum: *Wick*, Batauodurum, ad eundem amnem, vbi *Leck* vocari incipit, antiquo alueo, qui nomen retinet, ad dextram declinante, vt per Vltraiectum & Lugdunum tranſeat.

Superſunt tres prouinciæ trans Iſalam & mare Auſtrinum, Tranſiſalana, Friſia occidentalis & Gröningenſis.

TRANSISALANA, Ober-Yſel, inter Geldriam a meridie, Friſiam & Gröningenſem a ſeptentrione, Comitatum Benthemenſem ab ortu ſita; ab occaſu Iſala eſt & Auſtrinum mare. Vrbes tres inſignes habet, Dauentriam, *Deuenter*, ad Iſalam, etiam ſchola inclitam & olim epiſcopatu: *Campen* prope oſtia eiusdem fluminis: & modice inde in ortum diſtat *Swoll*, celebre emporium. Oppida, munita pleraque,

que, sunt *Hasselt*, ad amnem *Vecht*, Vidrum, qui Austrino mari propior *Swartewater*, quasi Nigra Aqua, vocatur: proxime Austrinum mare *Swarte Sluis* & *Vollenhoven*: ibidem ad *Aæ* ostium *Blockziel*, & vna leuca superius ad eundem amnem *Steinwick*: ad Vidrum *Ommen*, *Hardenberg*: ad Geldriæ fines *Ghoer*, *Diepenheim*: ad fines Benthemensis Comitatus *Enschede*, *Oldensiel*, & *Otmarsen*, in tractu *Twente*: in limite Groningensi *Cæverden*, arx munita & clauis prouinciæ Gröningensis, in tractu, qui *Trente* vocatur.

FRISIA Occidentalis, West-Frieslandt/ in septentrionem ab Transisalana adsurgit, Oceano & Austrino mari terminata. Prouinciæ caput *Leuwarden*: ad Oceanum *Harlingen*: inter vtramque *Franecker*, academiæ sedes: *Dockum* inter Leuwardam & Groningam, mare versus: inter Harlingam & Transisalanæ finem ad Oceanum sunt *Mackum* & *Worcum*, immunita oppida seu vici maiores: *Staveren* autem, Stauria, olim regia Frisiorum sedes

& ante Ambſtelodami incrementa diues emporium. Intus *Bolſwert*, *Slota*, & *Sneck* permunitum oppidum, a mari aliquanto ſpacio remotum. Supra Friſiam ſunt inſulæ *Schelling* & *Ameland*. Inter Schellingam & Vlieland fretum *Vlie*; inter Schelling & Ameland fretum *Boerdiep*, quæ tranſitum in Oceanum nauigantibus præbent.

GRONINGENSIS prouincia ab ortu Friſiæ ſub Oceano adiacet. Caput *Gröninga*, academiam habet & valida munimenta, quibus 1672 Monaſterienſis Epiſcopi obſidionem ſuſtinuit: *Damm*, vicus celebris in ſeptentrionem ortiuum a metropoli remotus: *Delfziel*, cum portu arx & propugnaculum ad oſtium fluminis Gröningam & Damum perluentis. Cum Gröningenſi prouincia coniungitur OMLANDIA, quaſi circa Groningenſem, tractus ſine munitis oppidis, tantum in præfecturas diſtinctus.

CAPVT VII
DE BRITANNIAE REGNO.

BRitannicum regnum eſt totum in-ſulanum, & ex tribus diſtinctis regnis conſtat, *Anglico* & *Scotico* in magna inſula Galliæ ex ſeptentrione oppoſita, quæ *Magna Britannia* dicitur: & *Hibernico* in inſula occidentaliore *Hibernia*. Tria autem hæc diſtincta regna hodie ſub vnius poteſtate ſunt, & magnum Britanniæ regnum conſtituunt. Singula ſeorſum explicamus.

I. REGNVM ANGLIAE.

Anglia meridialis pars inſulæ Britannicæ maioris, a freto Belgico in ſeptentrionem porrecta ad oppidum *Barwick* & ad flutium *Twede* in orientali litore:& ad Itunæ æſtuarium (*Solwey*) ex latere occidentali. Diuiditur in duas partes, *Angliam* propriam, quæ

& *Lægria* appellatur, ac in ortum ac meridiem tendit: & *Walliam*, quæ pars eſt occidentalis. Vtraque in varias prouincias & comitatus ſubdiuiditur; plerique autem comitatus ſunt primariis vrbibus cognomines, vti ex recenſione patebit.

LOEGRIAE ſiue propriæ Angliæ VII prouinciæ ſunt maiores, olim minora regna Anglorum & Saxonum, nempe

I. CANTIVM, *Kent*, ad anguſtias freti Belgici, in quo princeps vrbs *Cantuaria*, incolis *Canterbury*, Gallis *Canterbery*, Belgis *Cantelberg*, archiepiſcopalis ad *Stouram* fluuium ſita, olim Durouernum & Dorobernia dicta. In ortum adiacent ad *Medwey* flumen *Rocheſter* ſiue *Roffa*, epiſcopalis, & *Maidſton*: ad Tameſis mari vicinæ dextram ripam *Graveſend* cum arce munita: & in æſtuario Roffenſi navale regium iuxta oppidum *Chattam* & caſtrum *Vpton*. Proxime Londinium ad eundem amnem arx *Grenwick*: ad fretum *Dover*, Dubris, portu & in Belgas traiectu nobilis.

II.

II. SVSSEXIA, quaſi auſtralis Saxonum regio, ſupra Gallicum mare inter freti anguſtias & inſulam Wight extenditur. In litore ſunt *Rye*, Rium, prope fretum, ex cuius portu Dieppam Galliæ traiectus facilis eſt: occaſum verſus *Chicheſter*, Ciceſtria: inter vtrumque *Arundel*, Aruntina, ad cognominem fluuium, ſed mari vicinum, comitatus titulo inſigne oppidum, vnde *marmora Arundellina*, Comitis Aruntini ſumtu ex oriente allata, propter vetuſtas inſcriptiones commendantur. Pars ſeptentrionalis dicitur Comitatus SVRRY, in quo ſunt regii ſeceſſus ad Tameſin *Kingſton*, & arx *Richmond*, ac paullo inferius *Nonſuch*, *Beddington*.

III. VVESTSEXIA a tractu, qui ſupra inſulam Wight eſt, in extremum angulum occidentis porrigitur. Comitatus numerantur ſeptem, SVTHAMTONIA, vbi *Suthamton* & *Wincheſter* ſupra inſulam Wight ponuntur: & portu ſuo nota *Portſmuth*. DORSETIAE, *Dorcheſter* eſt, & portus *Weymuth*: DE-

VONIAE *Plymuth* capaci portu oppidum: *Excester*, Exonia: CORNVALLIAE ſiue Cornubiæ portus *Faulmouth* ſiue *Valmuyden*, & promontorium Bolerium, *The landes end*, in extremitate anguli occidentalis. SOMERSETIA ad Sabrinæ æſtuarium pertingit, vbi *Welles*, *Bathe*, epiſcoporum ſedes, & in Gloceſtriæ confinio vrbs *Briſtol* ſiue *Briſtou* epiſcopalis cum munito portu ad æſtuarium Sabrinæ. VILTONIA ſupra Suthamptoniam & Dorſetiam poſita ſeptentrionem verſus. Oppida *Sarisburg*, *Malmesbury*, Maldunenſe Cœnobium, *Calne*, *Edington*. Tandem BERCHERIA (*Barkeſchire*) ad Tameſin pertingit, in qua ſunt *Abington*, & ad Tameſin *Wallingfort*, & *Reading*, & *Windſor*, ſeceſſus regius: ad *Kennet* fluuium *Neubury*.

IV. EASTSEXIA ſiue *Eſſexia*, quaſi Oſtſaxonia, ſupra Tameſis ripam borealem patens, duos Comitatus habet, Midleſexiam, & Eſſexiam propriam. In MIDLESEXIA eſt *London*, Londinium, vrbs regia & prænobile

bile emporium ad Tamesin (*Temse*) navigabilem amnem, cuius palatium *Witthal* dicitur; & suburbii abbatia *Westmünster* regum coronatione & sepulcris clara est. *Hamptoncourt* arx regia ad eundem fluuium. ESSEXIA Propria inde ad Oceanum Germanicum pertingit. *Tilbury* siue *Tilberg* ad Tamesis æstuarium vicus, cui nunc pro nauali munimentum adiectum: *Maldon*, Camalodunum Taciti, ad Chelmeri amnis æstuarium: intus *Chelmsford*: at *Cholchester*, ad amnem *Colne*: & paullo longius in septentrionem *Harwich* cum capaci portu.

V. EASTANGLIA, quasi orientalium Anglorum regnum, in terræ sinu, quem recedens Oceanus facit maxime orientalem, posita, in tres Comitatus distinguitur, CANTABRIG, cuius primaria vrbs *Cantäbrige*, academia illustris: *Ely*, Elia, episcopalis ad flumen *Vsam*: insula interdum dicitur, sed fluuiis cincta. SVTFOLK paullo superior, habet *Bury* siue *Edmundsbury*; & *Ipswich*, ac *Neumarket*: vnde

in boream tendit NORTFOLK cum portuoſis vrbibus *Yarmuth*, Garienni oſtium, ad Oceanum, *Lyn* ſiue *Kinget Linne*, ad æſtuarium prope oſtium Vſæ: intus *Norwich* & *Buckenham.* In occaſum ſubiacet

VI. MERCIA, obſcurum nomen, ſed ſpecialia Comitatuum clariora, quorum præcipuos enarrabimus. GLOCESTRIA inter Monmuthenſem & Oxonienſem, vrbem primariam habet *Glocester*, Cleuum, ad Sabrinæ flumen, epiſcopalem, atque ita vrbes ſuos Comitatus denominant, vt ſuperfluum ſit ſingulorum nomina exprimere; ſatis, vrbes ipſas ſignificaſſe. *Oxford*, Oxonia, Comitatus ſui caput, academia & epiſcopatu inſigne, cum oppidis *Watlington*, *Dorchester*, & arce regia *Woodſtock.* pariter comitatuum & vrbium nomina ſunt *Warwick*, *Northampton*, (ad quem comitatum etiam *Peterborow* ſiue *Petersburg* pertinet) *Buckingham*, *Herford*, *Bedfort*, *Lecester*, *Stafford* cum *Lichfeld*; *Huntington*. VIGORNIAE metro-

tropolim Latini quidem Vigorniam, Angli autem *Worcester* vocant, ad flumen Sabrinam (*Savern*) ſetam: SALOPIAE *Shrowsbury* ad Sabrinam. In ſeptentrionem reclinant *Chester* ab occaſu, & *Derby*; ac ab ortu *Lincolne*, olim Lindum, quaſi Lindi colonia, vrbs epiſcopalis, & nobilium academia, ampli Comitatus caput, in quo etiam ſunt *Grantham* & *Stanford*. in Comitatũ Rutland *Vppingham*. Inter Lincolnenſem & Staffordenſem NOTINGAMIA, eiusque vrbs prima *Notingham* in meridiem vergit.

VI. NORTHVMBRIA reliquam partem ſeptentrionalem, ad Scotiam vſque complectitur. Comitatus eius ſunt, EBORACENSIS mare verſus Germanicum, in eoque vrbes *York*, Eboracum, archiepiſcopalis; *Hall*, portu & munimentis clara, ad Abi æſtuarium, quod vulgo *Humber Flud* vocatur: præterea *Kilham*, *Richmond*, & in auſtrali limite *Halyfax*: medio loco *Rippon*, *Pontfract*, *Dancaster*. Ab occaſu & Hibernico mari attingit

LAN-

LANCASTRENSIS, in quo ſunt *Lanceſter*, *Mancheſter*, *Preſton*, & *Leverpole* cum portu, quo in Hiberniam nauigatur. Supra hunc Comitatum, boream verſus, eſt CVMBERLAND, Cumbria, eiusque vrbs primaria *Carlisle*, Carleolum, ad Itunam (*Eden*) fluuium. Ab ortu *Weſtmaria*, vbi *Apelby*: & DVNELMIENSIS epiſcopatus, cuius præcipua vrbs *Durham*, Dunelmum, vbi Beda ſepultus dicitur: ſita eſt ad Vedram (*Weare*) fluuium: ad cuius oſtium, *Wearemouth* vulgo, monaſterium fuit, in quo Beda vixiſſe traditur. NORTHVMBRIA PROPRIA vltima in ſeptemtrionem prouincia, ab ortu Germanicum mare inter *Tinæ* & *Twedæ* oſtia: ab oceaſu Twedam & montes habet, quibus a Scotia diſterminatur. *Tinmouth*, Tinæ oſtium, terminus a meridie: *Barwick* ad Twedæ oſtium, a ſeptentrione: media *Norham* ad idem flumen; *Neucaſtle*, & caſtrum *Bamborrow*, & *Emildon*, in cuius pago *Dunſton*, ſubtilis ſcholaſticus Ioannes, Scotus genere, natus fuit, inde *Duns* cognominatus. WAL-

WALLIA altera Anglici regni, sed minor pars, dicitur etiam CAMBRIA, estque ad occasum siue Hibernicum mare sita, in septentrionalem & australem diuiditur.

WALLIA AVSTRALIS, *South Walles*, sex comitatus habet, secundum alios septem. Nam MONMOVTH prope ostium Sabrinæ fluuii in hoc tractu est, quanquam ab Henrico VIII Angliæ adnumeratus siue Lœgriæ. Oppida in eo sunt *Monmouth* ad Monæ & Vagæ confluentem, qui aliquot leucis inferius in æstuarium Sabrinæ illabitur: *Neuport* ad æstuarium arcem habens & portum. Reliqui Comitatus nostris Germanis sunt minus noti quam e-rant Lœgriæ. Sunt autem Glamorgauia, vbi *Landaf* episcopalis ciuitas, & *Caerdiffe* : & occidentalior Penbrock, in quo vrbs *Penbrock*, ad fluminis *Cledhau* æstuarium: *Milford*, præstantissimus portus & duobus castris munitus, in eodem æstuario, vbi Oceano cohæret: *S. Davids*, Meneuia, etiam maritima, sed in septentrionem redu-

cta,

cta, episcopi sedes. Ceretic æ est *Cardigan* itidem ad mare: in mediterraneis, Maridunensis, *Caermerdin* ad flumen *Towy*; & *Abermarles*: Brechiniæ *Brecknock*; Radnoriæ *Radnor* & *Knigthon*.

WALLIA BOREALIS, *Nortwalles*, Comitatus quinque habet, cui sextus ex insula Anglesey vulgo adiicitur. In maritimis sunt *Harlecht* (intus autem *Bala*) Meruiniæ: *Carnarvan* & *Bangor* episcopalis, ad fretum Anglesey, Arvoniæ: *Aberconway*, Conouium, & *Flynt*, ac intus paullo *S. Assaph*, episcopalis, in Flyntschire. In mediterraneis *Denbigh*, *Ruthin*, *Wrexhara* Denbrighensis comitatus: & hinc in austrum *Montgomery* caput comitatus cognominis. Ex fluuiis Walliæ australe mare petunt post Sabrinam *Voge*, *Mon*, *Wyse*, *Towy*: in occidentale *Teyfi*, Tibius; *Devus*: in boreale *Conwy*, *Elwy*, *Dea* infunduntur.

INSVLAE MINORES
CIRCA ANGLIAM

Insulæ in Germanico mari fere nullæ ad

d Angliam sitæ sunt: in Belgico au-
em & Gallico aliquot. SCHEPEY sub
stio Tamesis propugnaculum *Char-
esse* siue *Schirenasse* habet: & vicina
ENET prope Cantuariam: WIGHT,
Vectis, cum oppido *Neuport*, in me-
lio latere australi Magnæ Britanniæ.
n ora Normanniæ sed iuris Anglici,
GARNESEY: & fertilior IARSEY, Cæ-
area, cum castro *Montorgeil*, præfecti
Anglici sede. SÖRLINGES, *the Syllyes*
Anglis, Cornwalliæ opponuntur in
occasum, creduntur que *Cassiterides*
veterum esse. Minimas alias & ob-
scuras prætermittimus. Maior au-
tem & præstantior ceteris est ANGLESEY,
olim Mona (sed distincta ab altera Mo-
na siue Man in mari Hibernico) con-
tra borealem Walliam, a quo exiguo
freto dirimitur, cuius oppida sunt
Beaumaris, Bellomariscus: *Neuburg*,
Aberfrau. MAN autem siue Mono-
pia in septentrionem hinc remota, me-
dio inter Angliam & Hiberniam situ,
oppida habet *Ruffin* ad meridiem,
Duglas ad ortum, *Peel* ad occasum.

RE-

REGNVM SCOTIAE

Scotia reliquam & ſeptentrionalem partem magnæ inſulæ Britannicæ tenet,& in ea, quæ ad orientem ſita, cultiora ſunt quam quæ ad occaſum ſolis Diuiditur in duas partes per *Tauum* fluuium, ſeptentrionalem, quaſi Transtaanam, & auſtralem ſiue Ciſtaanam Comitatuum & prouinciarum nomina noſtris hominibus fere ignota ſunt: quæ cauſſa eſt, vt memorabiles tantum vrbes perſequamur.

AVSTRALIS & cis Tauum SCOTIA in orientali latere ab oppido *Barwich*, quod in limite ſitum eſt & a multis Scotiæ adnumeratur, ad æſtuarium Tavi: in occidentali latere ab æſtuario ſupra Carleolum vltimam Angliæ civitatem, ad Lornam ſiue vltra eam extenditur. In orientali litore a Barwico ad Bodotriam ſiue Fortheæ æſtuarium (*Golfe d'Edenbourg*) nihil clarum præter *Dumbar* eſt. *Edenburg* autem caput regni in prouincia Laudonia, cum *Leith* portu ſiue nauali iuxta oram auſtralem prædicti æſtuarii: vltra quod

S. An-

. *Andreas*, Andreapolis, ad mare, se-
es archiepiscopi & academiæ; *Aber-
eth* autem, Pictonum vetus regia, ad
ram australem æstuarii Taui: intus
unt, *Glasquo* etiam archiepiscopatu
& academia celebris: *Hamilton* arx:
Sterlin ad *Forth* amnem: *Dum-
blan*, & *Perth* siue *S. Iohnsthoun*, ad
Tauum. In ora occidentali longius in
austrum cedit. *Annan* ad *Solway* id est
Itunæ æstuarium; post illud *Kirken-
brick* cum portu, & *Withern*: ad Glo-
tæ æstuarium (*Dunbriton Fyrth*) sunt
Bargem, *Ayr*, & *Dumberton* siue Dun-
britton, (quasi Britannorum vrbs) per-
validum munimentum: trans æstuari-
um Comitatus *Argyle* sine claris oppi-
dis, & supra hunc, septentrionē versus,
LORNIA, eiusque oppidum *Lorne* ad
lacum, post quem *Dunstafag*, Stepha-
nodunum, ad fretum Mulæ insulæ
cum portu munitum, olim etiam, cum
diuisa Scotia esset, regum sedes. Lon-
gius hinc & multiplex recessus inter
lacus & æstuaria ad Glotam vsque, in
quo *Tarbat*, *Kilmor* & alia sunt.

SEP-

SEPTENTRIONALIS a Tauo ad insulæ extremitatem, quam Orcades excipiunt, procurrit. Ab ortu in inferiori parte recedit in mare lato sinu, in quo sunt ad Taui æstuarium, *Dunde*, Donum Dei, ad mare *Monstrose*, & paullo interior *Berchin* episcopalis; rursus in litore *Dunnotir* castrum, *Aberdon* academia & episcopatu celebris: ac flexo sinu *Elgin*, in prouincia *Murray* sedes episcopi Murauiensis; & *Invernes*: mediterraneæ *Dunkelt* ad Tauum, episcopalis; *Fordon*, *Kildrum*. Vlterius in septentrionem ad mare Germanicum *Dornok* in Sutherlandia, vbi Episcopus Cathenesiæ, quæ vltima prouincia est, commoratur. Cathenesiæ oppidum est *Thurso*: ad occasum *Schir Assin*, & australior prouincia ROSSIA, cuius est *Chanonry*, Rossensis episcopi sedes, & *Cromarty*, cum portu & sinu cognomine. *Kinteil*, in Loguhabria. Interiora montes candidi marmoris & alabastri tenent, quasi orientalem regionem ab occidua diuidentes.

IN-

INSULAE CIRCA SCOTIAM.

Insulæ ad Scotiam permultæ sunt: ab occasu HEBRIDES siue HEBVDES, *The westernes Iles*, quarum quamlibet XL vulgo aut plures numerantur, vix tamen decem notiores sunt & in his *Ila* ac *Iura* Knapdaliam versus; *Mula* iuxta Lorniam: *Skia* freto a Rossia diremta. In ora Mulæ occidentali parua insula *Cholmkil*, S. Columbi, adiacet, in qua degit episcopus Hebridum insularum: vicus insulæ huius *Sodore*, vnde Sodorensis etiam ille episcopus appellatur. In Glotæ æstuario sunt *Arran*, olim Glota, & *Rosay*: a septentrione ORCADES, *Orkney* Britannis, in quibus proxima continenti *Mainland*, Pomonia, cum oppido *Kirkwal*, vbi sedet episcopus Orcadum. Diuiduntur in XII meridionales & XV septentrionales, sed omnes obscuris nominibus, nec plures quam XIII cultæ sunt, ceteræ desertæ iacent. Supra Orcades, ad gradum LXI latitudinis, sunt insulæ *Schetlandiæ*, quæ etiam *Hitland* appellantur. Longius inde in

in occaſum æſtiuum diſtant inſulæ *Far-re* vel *Fero*, quæ vna cum Hitlandicis in poteſtate Danorum ſunt.

REGNVM HIBERNIAE.

Inſula Hibernia, vulgo *Irland*, Britanniæ magnæ ab occaſu adiacet, minor quidem quam illa, neutiquam tamen in paruis numeranda. Diuiditur in IV partes, Lageniam, *Leinſter*, ab ortu; Momoniam, *Mounſter*, a meridie; Connaciam, *Connaught*, ab occaſu: Vltoniam, *Vlſter*, a ſeptentrione. Pleræque ciuitates ſunt epiſcopales: ideo ad ſolas archiepiſcopales dignitatis notam adponemus.

LAGENIAE ſunt *Dublin*, Eblana, ad mare orientale, proregis, archiepiſcopi & academiæ ſedes, etiam emporium: *Wicklow*, & *Arklo* ſiue *Arglas*, ac *Wexford*, ad idem mare ſed auſtrum verſus, portubus inſignes ciuitates: *Droghede* ſiue *Dredag*, Pontana; & *Dundalk* a ſeptentrione Dublinum adſpiciunt: intus *Killdar*, *Laghbyn*, *Ferne*, *Kilkenny*, Fanum Canici, vrbs elegans & munita,

ta, ſedes iam epiſcopi Oſſerienſis ſiue regionis *Oſſery*. Tractus MEDIA, *Mith* incolis, *Meath* Anglis, eſt pars Lageniæ, vnde Midenſis epiſcopus appellatur.

MOMONIAE, ad mare auſtrale *Waterford*, *Cork*, *Kinſal*, *Roſſe*; intus *Caſhel*, archiepiſcopalis, ſed parum culta, & *Liſmore*, *Limerick*, vrbs ampla, *Shannone* fluuio diuiſa: ad occiduum mare *Adard*.

CONNACIAE *Toam*, archiepiſcopalis, ad heſperium mare fere in ruinis iacens: *Gallway* ſiue *Galloway*, *Killmaghoug*, & *Slego*, iuxta idem mare: in mediterraneis *Atlone* ad fluuium *Shennon*, munita: *Elphin*, *Clonfert*.

VLTONIAE ad ortiuum mare *Carlingford*, *Down*, & *Knocfergus*, Rupes Ferguſii: ad occiduum *Dungall*: ad boreale, *Derry* ſiue *Londonderry*, *Ropoe* & *Colran*: interiores *Armagh*, archiepiſcopi & primatis ſedes: *Kilmor* ad lacum; & *Antrym*. In Dungallenſi comitatu, in parui lacus inſula eſt crypta, quam *Purgatorium S. Patri-*

cii, apoſtoli Hibernici, appellant, de qua accolæ mira fabulantur.

CAPVT VIII

REGNVM NORWEGIAE.

EX Britannicis inſulis, præſertim Scotiæ boreali parte, in Norwegiam traiicimus, quæ quamuis regi Danorum paret, quod tamen peculiare regnum eſt, & ſitu vltimum in ſeptentrione; ſeparatim malumus explicare, quam cum aliis coniungere. Præmittemus autem de *Islandia* Norwegici regni inſula, & *Grönlandia*, quod in hac etiam, ſi quæ poſſidet Danus, regis Norwegici titulo poſſidet.

ISLANDIA magna inſula ſeptentrionis, per quam polaris circulus tranſit, inter Norwegiam & Grônlandiam poſita. Plurimis videtur veterum *Thule* eſſe. In parte ſeptentrionali, quæ cultior habetur, *Hola* eſt, epiſcopalis vrbs: in auſtrali *Skalholt*, Schalotum, itidem epiſcopi ſedes, & occaſum verſus arx *Beſtede*, Beſſaſtadium, quæ

&

&*Königesgrad* vocatur, præfecti insulæ, a Daniæ rege missi, domicilium. Mons igniuomus *Hecla* etiam in hac parte est, in ortum a Schaloto remotus. Ceterum insula pascuo diues, in XII prouincias, sed obscuri nominis, diuiditur, quas nominare superuacaneum censemus.

GRONLANDIA extrema septentrionis ad occasum inclinans in Europa regio, sæculo X detecta ab Islandis, aliquando tributaria fuit regi Norwegiæ, & episcopum habuit in orientalis litoris oppido *Garda*, sub archiepiscopo Nidrosiensi, quod vero nunc excisum iacet, & intermissa proximis sæculis nauigatione diu nihil de Gronlandia notum fuit. Denique patrum memoria iterum nauigatum fuit in has Aquilonis oras, & a Danis, Anglis, Gallis portus quidam in meridiana parte detecti hodieque frequentantur, quæ *Noua* sæpe Gronlandia dicitur, quasi septentrionalis *vetus* sit, quam nostra ætate Belgarum nautæ vsque ad

LXXVIII gradum latitudinis in litori
bus perlustrarunt.

NORWEGIA ipsa inter Oce
num ab occasu, & Sueciam ab ort
longissime in extremum septentrio
nem porrigitur. Diuiditur in quin
que præfecturas, quarum prima es
BAHVSIANA, maxime australis & Hal
landiæ contermina, cum castro muni
tissimo *Bahus* in insula fluuii *Trolhetta*
qui inter Bahusium & ostia capacioren
insulam *Hisingen* facit, propugnaculi
quibusdam munitam & portu *Carlsha*
fen iuxta australe ostium: & *Ny Els*
burg infra illam insulam: supra Bahu
sium in peninsula scopulosa est *Mar*
strand oppidum cum portu, & in adia
cente eiusdem nominis parua insul
munitæ arces, *Augustusburg* & *Carl*
stein; etiam in minore, *Hedwigsholm*,
regione insulæ *Thiorn*, hisce omnib
maioris. |Sed tota hæc præfectura cum
castris & oppidis auulsa a Norwegiæ
regno pace Rothschildiensi, & quan-
quam recepta a Danis 1677, quo bel-
lo nostratibus innotuit, quibus insulis
ae

ac munimentis conſtet: tamen noua nunc pacificatione 1679 facta, Suecorum ditioni iterum ſubeſt.

AGGERHVSANA proxima eſt ab arce *Aggerhus* denominata. Caput prouinciæ eſt *Opslo*, Gallis & Belgis *Anslo*, quæ & *Chriſtiania* dicta, epiſcopalis vrbs, ſicut & quondam *Hammer* erat, nunc Ansloenſi epiſcopatui vnita: præterea *Fridrichsſtadt*, *Tonsberg*, *Salzberg*, *Oddewald*: ad Codanum ſinum oppidula cum portubus ſunt *Dargen*, *Schipil*, *Langeſund*, & in inſula virginum *Weſtkiel*.

BERGENHVSANA inde in aquilonem adſurgit, cuius *Bergen* eſt, nobile emporium & iam caput regni, vnde haud longe diſtat arx *Bergenhus*, præfecti ſedes, quæ nomen dedit prouinciæ. In meridiana parte eſt *Stafanger*, epiſcopalis vrbs & huius præfecturæ poſt Bergen præcipua, portu capaci ad mare occiduum prædita. Cetera huius magnæ præfecturæ obſcuriora ſunt.

NIDROSIANAE metropolis eſt *Nidroſia*, vulgo *Drontheim*, ad Nideri amnis

oſtium vrbs archiepiſcopalis, olim Norwegorum regia, incendiis adhuc ſæpe vaſtata, quibus etiam templum S. Olai, totius ſeptentrionis pulcherrimum, conflagrauit. Diuiſa eſt præfectura in Nidroſienſem propriam, quæ auſtralis eſt; & Saltenenſem partem, a *Salten*, maritimo oppido, denominatam. Permultæ inſulæ iuxta hæc litora ſunt, e quibus tantum *Hiteren*, & *Heiligland*, vt notiores nominamus: in limite boreali charybdis ſiue vorago eſt *Maelſtröm* vocata.

Suprema pars & vltima WARDHVSANA præfectura ab arce *Wardhus* dicitur, quam vltra extremum promontorium *Nord Cap* ſiue *Nordkyn* in orientem vergit, glaciali oceano adpoſita. Huius præfecturæ maior pars eſt FINNMARCHIA, ſuperior ſcilicet, Wardhuſium verſus & inſulas *Suroam* & *Maggeroam*. Hæc ſufficiant de Norwegiæ regno, quod excepta Bahuſana præfectura, nunc totum in poteſtate Danorum eſt, etiam cum diſſitis inſulis *Hitlandicis* ac *Fero* (de qui-

quibus in Scotia, cui adiacent, actum fuit) ac *Islandia*; & litoribus quibusdam *Gronlandiæ* & *Spitzbergæ*.

CAPVT IX
DE
REGNO SVECIAE

SUecia siue Suedia ab occasu Norwegia atque Dania, a meridie Baltico mari siue Ost-See/ ab ortu Moscouia, ab aquilone Finnmarchia & Wardhusana præfectura terminatur. Diuiditur in sex maiores prouincias: quælibet harum in plures minores subdiuiditur.

I. GOTHIA, veterum Gothorum patria, maxime australis Suecorum regio in Ostgothiam, Westgothiam, Sudgothiam, quæ late Scania dicta est, dispensatur. OSTROGOTHIAE est ad austrum Blekingam versus, SMALANDIA, cuius vrbes ad Balticum mare munitæ ac mercatura & portubus insignes sunt *Calmar*, & borealior *Westerwick*: at *Vexsio* ad lacum proprium, in occasum

a Calmario ſitum: *Ionköping* ſub lacu Vetero ſiue *Weter*, qui Gothiam in partes iam dictas fere diuidit. In confinio Smalandiæ & Blekingæ eſt *Torſas*, & *Bromſebroo*, vbi pax inter aquilonis reges 1645 conuenit. Supra Smalandiam in ſeptentrionem ſita OSTGOTHIA Propria, & ad Sueuoniam vſque adſurgit iuxta mare Balticum. Oppida habet *Stegburg*, *Suderköping*, & intus, lacum Veterum verſus, *Northolm* & *Lingköping*. Præterea ad hanc orientalem partem pertinent *Oeland*, oblonga inſula, Calmariæ oppoſita, cum caſtris *Borkholm* & *Oſtenby*: longius a continente in ortum remota inſula *Gothlandia*, Baltici maris facile maxima, Brömſebroenſi pace Suecis conceſſa, recepta a Danis 1677, ſed reddita 1679: aliquot oppida habet, in quibus *Wysbuy* præcipuum. WESTROGOTHIAE partes ſunt WESTROGOTHIA PROPRIA, vbi *Gothenburg*, munitum oppidum cum portu, altero milliario a Bahus: *Elsburg* arx: *Scare* ad Trolhettam: *Wenersburg*, *Lidcoping*, ac *Falcoping* ad

ad lacum *Wener:* inter quem & lacum Weterum *Mariestadt:* WERMELAND in ortum plus reclinans cum oppidis *Carlstad* & *Philippstad:* & tandem DALIA, *Daal*, inter Bahusanam & Vermelandiam. Oppida *Dalenburg* & ad Wenerum lacum *Bretta.*

SVDERGOTHIA, siue Scania latè sumta, pace Roschildiensi Suecis concessa, & post bellum denuo 1679 reddita & confirmata. Huius sunt itidem tres partes, HALLAND ab occasu ad sinum Codanum, cuius caput *Halmstad* est, vnde in septentrionem mediocriter distant *Falkenburg* & *Warberg:* in austrum *Laholm*, omnia munita & maritima oppida, nisi quod quorundam munitiones proximo bello disiectæ dicuntur: SCANIA propria, **Schonen**/ habet in mediterraneis metropolin *Lunden*, archiepiscopatu olim, nunc etiam academia insignem: ad fretum Danicum vulgo **Sund** vel (**Oresund**) oppidum *Helsinburg* (ad os freti) castro Danorum Croneburg oppositum: & *Landscron*,

Coroniam, cum præualida arce: & ex Hafniæ aduerſo *Malmoe*, quæ etiam *Elnbogen* ex ſitu vocatur, cum arce permunita: *Carlscron* nouus portus latius effodi nuper munirique cœptus. Inſula etiam Hween ſiue *Huene* in freto Oreſund tanquam ad Scaniam pertinens, nunc a Suecis poſſidetur, quam arx Tychonis de Brahe *Vraniburgum* pridem nobilitauit. Iuxta auſtrale litus Blekingam verſus, *Yſtadt* ſiue *Vſted* oppidum eſt. Tertia pars BLEKINGEN orientale litus occupat, in quo ſunt *Chriſtianſtadt* in limite Scaniæ, *Ahus*, *Elcholm*, *Rotemby*, & nouum nauale *Carlshafen* cum firmis munitionibus, & tandem *Chriſtianopel* prope Calmarienſe fretum. Blekingæ ſubiacet inſula *Bornholm*, Danici iuris, prædiis quibusdam Scaniæ, arbitrorum iudicio, ad quos pacificatione 1660 controuerſia reiecta fuerat, penſata: caſtrũ in ea eſt *Hammerhus*, ſedes præfecti.

II. SVECIA propria ſiue SVEVONIA diuiſa in SVDERMANNIAM Südermanland/ in qua ſunt *Nicoping*

ping prope mare Balticum, cum arce & portu: præterea *Stregnes* & *Torsil*: NERICIAM, cuius est *Orebro* ad Hielmerum lacum: WESTERMANNIAM inter Vpland & Nericiam: cuius vrbes *Westeras*, quæ etiam *Arosia* dicitur, parua, sed episcopalis, ac argentifodinis quondam inclita; & *Arbogen*: sed VPLANDIA regio præcipua atque cultissima, in qua *Stockholm*, Holmia, vrbs splendida & regis sedes est, portum habens inter paruas insulas, quæ Scheren vulgo appellantur; proxime adiacet *Jacobsthal*, *Waxholm*, *Grimsholm* & *Königsoer*, *Enköping*: sed *Vpsal* archiepiscopatu nobilis & academia, VII milliariis ab Holmia in septentrionem distat. Inter Vplandiam & Finnoniam plures paruæ insulæ: *Aland* nobilior, in qua *Castellholm* oppidulum memoratur. DALECARLIA cuprifodinis nota, sine oppidis clarioribus. Inde

III. NORDLANDIA in septentrionem extremum excurrit, sub qua est GESTRICIA, *Gestrik*, Vplandiæ ab

aquilone finitima, fodinis ferri & in mediterraneis cupri abundans, vbi etiam *Coperberg* ſitum eſt. HELSINGIA excipit, eiusque oppidum *Hudwiks wal* prope ſinum Botnicum: ſupra hanc prouinciam MIDDELPADIA, nullis oppidis inſignis: & vlterior ANGERMANNIA, cuius præcipuum oppidum eſt ad eundem ſinum *Herneſand*: intus *Natra, Solet, Nora.* Adiacet in occaſum IEMPTIA, Jemptelând/ pars olim Norwegiæ, ſed Brombroenſi pace Suecis conceſſa. Non vrbibus, ſed caſtris *Riſſund*, *Docre* & *Lidh* munita eſt. BOTNIA ad ſinum cognominem inter Angermanniam & Lapponiam patet, præter *Torne*, prædicto ſinui adpoſitam vrbem, nullo oppido memorabilis: LAPPONIA tandem, quidquid reliquum Suecis in ſeptentrione paret, lato ambitu complectitur, regio horrida & inculta, ab ortu habens Lapponiam Moſcouiticam, cuius *Kola* oppidum eſt: ab occaſu Norwegiæ partem, videlicet Finmarchiam & Strickfinniam, quæ etiam interdum

dum Lapponiæ nomine insigniuntur.
Trans sinum B tnicum

IV. FINNIA **Finland** est, quam a Liuonia alius sinus, inde Finnicus dictus, disterminat. Vasta regio & in plures prouincias diuisa. Cultior ceteris FINNIA PROPRIA in angulo, quem Finnicus sinus cum Botnico facit, in cuius parte australi *Abo* est ad ostia fluuii Auroioki in sinum Finnicum se effundentis, e regione insulæ Alandiæ, caput totius regionis & academiæ sedes: in boreali *Biorneburg:* supra hanc ad Botnicum sinum CAYANIA est, quæ etiam Botnia orientalis vocatur: NYLANDIA ad Finnicum sinum extenditur, cuius oppida sunt *Helsingfors* & *Ratzeborg*. TAVASTIA mediterranea cum castro *Groneburg* siue *Tavasthus*: SAVOLAXIA orientalis, inter lacus Moscouiæ collimitantes: CARELIA ad extremitatem sinus Finnici episcopali & munita vrbe *Wiborg* nobilior est. Adiacet KEXHOLM tractus pace Stolbouæ sancita a Moscis 1617 concessus, cuius *Kexholm* oppidum est, prope lacum *Ladogam* situm. V.

V. LIVONIA tandem, siue **Lifland**, maiorem nunc partem in potestate Suecorum est, cui a septentrione sinus Finnicus, ab ortu Moscouia; ab austro Lithuania & Curlandia obiacent: latus occidentale sinus Liuonicus siue Rigensis cum parte Baltici maris claudit. Septentrionalis pars ESTHONIA, *Esthen*, vocatur, in qua *Revel* ad Finnicum sinum egregium emporium est: *Hapsal* maritima ex aduerso insulæ Dagho: *Pernau* ad sinum Liuonicum: mediterraneæ ad austrum *Fellin*, & *Derpt*, Dorpatum, academia ornatum: ad boream prope Naruam *Wesenberg*: medio loco *Wittenstein*: in Ingriæ confinio prope Finnicum sinum *Narva* permunita vrbs ad fluuium cognominem, qui Liuoniam a Moscouia distinguit. Meridialis pars LETTEN siue *Litlandia* nominatur, diuisa per *Duinam* fluuium a Semigallia. *Vrbs* primaria *Riga* in limite australi iuxta Duinæ ostium, mercatu, gymnasio & archiepiscopatu florentissima: altero ab Riga lapide ad idem ostium *Düne-mund*,

und, & arx munita *Cobronschantz*: ad
uum præterea Liuonicum est *Salis*:
l *Teyderam* amnem *Segewalt*, *Wenden*
: *Wolmar*; inter Rigam & Wendam
imburg: ad Duinam *Kokenhaus*: &,
uod Russis iam paret, *Duneburgum*.
)rientalem enim Lithiæ partem, sed
ninorem Suecicâ, Moscoui possident.
nsulæ ab occasu Liuoniæ in mari
altico sunt OESEL, Osilia, castris
onneburg & *Arensburg* munita; &
AGHO, isti a septentrione proxima,
d fauces sinus Rigensis cum castris
Poden & *Dageroort*, Brombroensi pa-
ificatione ambæ Suecici iuris factæ,
um antea in ditione Danorum essent.

VI. INGRIA, Ingermanland / mu-
nita regio inter Finnicum sinum & *La-
dogam* lacum, ante Moscouorum, pa-
ce Stolbouiensi accessit Sueciæ regno,
Esthoniæ ab ortu, Finniæ a meridie
contermina. Oppidum primarium
est *Notteburg* in ora lacus Ladogæ: mu-
nimenta Naruam versus sunt *Iama*,
Coperie, & Naruæ trans flumen oppo-
sita arx *Ivanagrod*.

CA-

CAPVT X

DE
REGNO DANIAE

DAniæ propriæ dictæ regnum, v[illegible] a Norwegia ſeparatum eſt & Rot- ſchildenſi aliisque pacificationibu[s] Hallandia, Scania & Blekinga ablata ſunt, totum ex inſulis Baltici maris ac quibusdam peninſulis conſtat, ſed po- puloſis & prædiuitibus. Ab ortu Hallandiam habet & Scaniam: a ſe- ptentrione Sueciam & Norwegiam: ab occaſu & meridie mare Germani- cum prouinciis quibusdam, quæ par- tim Danici iuris ſunt, ſed in Germa- nia, vbi ſitæ ſunt, cum ceteris expli- candæ. Primaria regni & maxima inſula eſt

SEELANDIA, & in eius orienta- li latere ad mare *Koppenhagen*, Hafnia, caput totius regni tum regia ſede tum academia illuſtre, cum portu *Chriſti- anshafen* iuxta inſulam ſuburbanam Amak: eodem latere in auſtrum ab re- gia

gia vrbe vergit *Kiöge*,oppidum ad ma-
e: in ſeptentrionem oppidum *Hel-
ingoer* & munitiſſima arx *Cronenburg*,
uxta os famoſi freti, quod vulgo der
Sund appellatur, vbi vectigal ſolui-
ur a nauigantibus per freti anguſtias.
Propius inde in boreali latere, ſed re-
ductius a mari abeſt *Fridrichsburg*, re-
gum ſeceſſus, & *Slangenrup*: ac intus
ad ſinum anguſtum longiſſime in ter-
ras incurrentem *Rotſchild* ſiue *Roskild*,
epiſcopalis vrbs & regiis ſepulcris no-
bilitata, etiam pacis compoſitione 1658.
In eadem plaga occaſum verſus *Hol-
bek* & *Nicöping*. Lateris occidenta-
lis oppida maritima ſunt *Kallenburg* &
Korsör, interius *Schlagel*: auſtralia
Schelſör, *Neſtwede* & *Wordingburg* ſiue
Warburg,& *Pröſtö*: mediterraneæ ſunt
Sora, nobilium academia, *Ringſtadt*,
& aliæ.

Ad Seelandiam iacent aliæ minores
inſulæ AMAK, proxima Hafniæ adeo,
vt ponte coniungi poſſit: SOLTHOLM
paullo vlterior in orientem: HVENE
inter Hafniam & Cronenburg in fre-
to,

to, ſed Suecici iam iuris, vt capit IX prædiximus: contra BORNHOLM quæ Blekingæ prouinciæ Suecorum ſubiacet, Danorum ditioni ſubdita manet. Ab auſtro Seelandiæ latus orientale attingit MÖNE, cuius *Stege* oppidum eſt, iuxta quod 1676 prœlium navale commiſſum eſt. FALSTER a Mona freto *Grönesund* diuiſa, oppida habet, *Nicoping* cum arce munita ab occaſu iuxta fretum, quod inſulam a Laland diſtinguit: & *Stubköping* propius Seelandiæ. LALAND autem, vt diximus, ab occidente obiacet Falſtriæ, bene culta oppidis *Naſcau* ſiue *Naxſcou* bene munito; *Saſſcoping* ac *Grimſtadt*. Selandiæ autem litus occidentale LANGELAND reſpicit, inter quas fretum paullo latius, ſed minus altum eſt, quam Croneburgenſe, ideo paruarum tantum nauium patiens, maioribus per Croneburgenſe (Oreſund) euntibus. In hac inſula *Rudköping* eſt & arx regia *Traneker*.

FIONIA, *Fünen* vulgo, maior hisce, ſita inter Selandiam, cui æqualis fere

: eſt, & Jutlandiam, a qua anguſto fre-
o dirimitur. Caput in meditullio in-
ulæ *Odenſee*, Ottonia, epiſcopalis
urbs: ad orientale litus *Neuburg* mu-
itum oppidum cum portu eſt, vbi ve-
ctigal pendunt minores naues, quæ
lia via, quam per Croneburgenſe fre-
um in orientale mare (Oſt-See) ex-
currunt. Auſtrum vergit *Swinburg*
iuxta inſulam Toſſing: in latere occi-
dentali ad freti anguſtias eſt *Middelfart*
cum vicina arce *Hingsbagel*, ex aduerſo
Coldingæ Jutlandicæ: in auſtrali parte
Aſſens, *Hagenſchou*, & *Foburg*; in bore-
ali, *Eſcheburg* arx regia, & *Kertemün-
de* cum portu.

Inſulæ paruæ circa Fioniam per-
multæ ſunt, in quibus nominatiſſimæ
SAMSÖE, Samus Danica, a ſepten-
trione Fioniæ; BROMSÖE & FENÖE ab oc-
caſu in Mittelfardienſi freto, inter Ha-
dersleben & Coldingam, ſuperiori bel-
lo celebratæ, ex Bromſoa enim initium
expeditionis glacialis 1658 factum
fuit; ab auſtro TASSING prope
Schwinburgum: ARROE cum caſtro
Kö-

Köping ad ducatum Sleswicenſem pertinent, ſicut etiam ALSEN, de qua in Iutia auſtrali acturi ſumus.

IVTIA ſiue IVTLANDIA cherſoneſus Cimbrica eſt, inter oceanum Germanicum & ſinum Codanum. Septentrionalis proprie ad Daniam pertinet: auſtralis eſt pars Germaniæ, licet in ea etiam multa poſſideat rex Danorum.

SEPTENTRIONALIS IVTIA in quatuor epiſcopatus diuiditur, ſiue diœceſes, Alburgenſem, Vibutgenſem, Arhuſanum & Ripenſem, ab vrbibus epiſcopalibus denominatos. Sinus *Limfort*, ſupremam partem fere totam ab ortu in occaſum percurrit & nouam inde peninſulam WENDSYSSEL abſcindit, cuius oppidum eſt *Wendſyſſel*, & in extremo angulo *Schagen*. Ad ſinus anguſtiam ſiue orientalem partem ab auſtro adiacet *Alburg*, epiſcopalis ciuitas. TYA iſthmus eſt inter hunc ſinum & oceanum, vbi *Tyſtedt*, & inſulæ in ſinu ab occaſu laxiore MORSINGA (*Mors*) cum oppido *Niccoping*, ac TYRHOLM. In mediterraneis *Wiborg*, altera

ra episcopalis, quæ *Randersen* & *Grimam* siue *Grimstadt* ab ortu habet, & *Ebeltodt*, ex aduerso insulæ *Hielm*. Subiacet in austrum *Arhusen*, tertia vrbs episcopalis, in ora sinus Codani cum portu: cui arx *Scanderburg* propinqua ab occasu: insula *Samsoe* ab ortu, de qua modo diximus. Ex adverso Fioniæ *Tyrsbek*, *Weel* ad æstuarium; & *Fridrichsöde* celebre propugnaculum, freto Middelfardiensi appositum, quod laceratum superiore bello nunc in vrbis formam sub *Fridericiæ* nouo nomine instauratur: *Coldingen* e regione oppidi Middelfarth; *Stendorp* contra Bromsoam insulam, & paullo inferius *Hadersleben*. Hæc orientem versus: ab occasu *Holstebro*, & ad Germanicum oceanum *Ringköping*, &, quæ quarta episcopalis vrbs est, *Ripen* ad flumen *Nipsicum*. His finibus immixta est IVTLANDIA AVSTRALIS sive Ducatus Sleswicensis, olim iuris Danici, post Ducibus Holsatiæ concessus, quorum longa possessione ad Germaniam censetur pertinere, exceptis

qui-

quibusdam, vt *Flensburg* & paucis a-
liis, quæ Dani retinent. Cetera
vt Holſatis Ducibus propria, in Germa-
nia exponemus.

CAPVT XI
DE
GERMANIA.

GErmania ampla regio ab ortu Po-
loniam habet & Vngariam: a
meridie Italiam; ab occaſu Galliam &
Belgicas prouincias: a ſeptentrione
oceanum & Balticum mare. Ordi-
nem prouinciarum ſecundum domi-
nia diſponemus, ita, vt initium ab
Auſtriacis partibus, hoc eſt ab ortu in
meridiem vergentibus, faciamus.

AVSTRIA ab ortu Vngariam: a
ſeptentrione Morauiam: ab occaſu
Bauariam: a meridie Stiriam ſpectat
& epiſcopatum Salisburgenſem. Di-
uiditur in ſuperiorem, quæ ad Bauari-
am eſt, & inferiorem, quæ Vngariam
contingit. SVPERIORIS caput *Linz*
ad Danubii dextram ripam, vrbs niti-
da

la & emporium: iuxta eandem ripam *Efferdingen* in occaſum: *Ens* in ortum ad fluuium cognominem, qui poſt paruum interuallum Danubio infunditur: in ſeptentrionem ad fines Bohoemiæ *Freiſtadt* vergit; in auſtrum a Danubio *Wels*, ad Traunam fluuium; *Steir* ad amnem cognominem: *Vocklabrück* ad Vocklam, qui Traunæ miſcetur: *Gemünd* ad lacum proprium (Gemünder See) quem Trauna perfluit. INFERIORIS caput Wien / Vienna ſiue Vindobona ad Danubium, ſedes Romani Imperatoris, epiſcopi, & academiæ, 1529 & 1683 a Turcis fruſtra obſeſſa. Ad dextram ripam Danubii, occaſum verſus, ſunt *Cloſterneuburg*, *Tuln*, *Melck*, *Ips*; ad ſiniſtram *Kornewburg*, *Krems*, *Thirenſtein*, *Grein*. A Vienna in ortum ſub hac ripa *Ebersdorf*; vnde in auſtrum recedit *Laxenburg*, pariter illuſtris ſeceſſus; ac *Baden* thermis nobile; & *Neuſtadt* munitum oppidum: inde longius in occaſum diſtat *S. Pölten*, Hippolyti fanum, ad *Träſen* fluuium. Boream trans Danu-

nu-

nubium ſpectant, hoc eſt, ad Morau am inclinant *Laha, Rez, Weidenhofe Horn.*

STIRIA, Steyermarck/pars Nc rici & Pannoniæ ſuperioris, circa M ram & Drauum fluuios, in *ſuperiore* & *inferiorem*, hoc eſt in occidentaler & orientalem æque ac Auſtria, reſpe ctu decurrentium fluminum diuiſa Terminatur a ſeptentrione Auſtria, a ortu Vngaria: a meridie Carniola: a occaſu Carinthia & Salzburgenſi ar chiepiſcopatu. In finibus Auſtriæ a Salzam amnem eſt *Marienzell*, locu religioſis peregrinationibus ſacratus paullo infra, *Eiſenertz*, fodinis diues ad Muram fluuium *Murau*, *Iudenburg* primaria ſuperioris Stiriæ; *Brück* cum fluuii cognomento, Muripons, *Grätz* totius Stiriæ caput; *Mureck*, & *Rackelsburg* in Vngariæ collimitio peruali dum munimentum. Trans Muram ad Geylam amnem caſtrum *Seckau*, ſedes epiſcopi Secouienſis. Ad Dravum *Marchburg*, Marciana, *Pettow*, Petouio, *Friedau*, & prope Vngariæ fi-

nes

nes *Czackenthurn*, munitum oppidum: trans Drauum *Windisch Grätz*: & prope Sauum ad Saanam *Cilly*, caput cognominis comitatus. In austrum Stiriæ subiacet

CARNIOLA, Krain / ad Italiam vsque & Croatiam pertingens, pars occidentalis Pannoniæ Sauiæ (nam ad Sauum sita) & Norici mediterranei. Caput est *Laubach*, Labacum, episcopalis vrbs ad fluuium cognominem, qui mox Sauo infunditur: *Oberlaubach* longius inde in meridiem distat; in occasum *Krainburg* in Saui ripa bene munitum: *Seisenburg* inter Sauum & *Legeam* mirabilis naturæ paludem, (nunc Czirknitzer-See ex adiacente oppido Czirknitz dictam) nam diuerso tempore pisces, frumenta & venationes præbere dicitur. Pars ducatus Carniolæ censetur MARCHIA VINDORVM, Windisch Marck / Croatiæ contermina, vbi *Rudolfswerth* siue *Neustedel*, thermis vicinis celebrata vrbecula, modico interuallo a Sauo distat; & *Metling*, Metulum, vrbs an-

tiqua Iapodum. Auſtrales partes Fo-rum Iulii contingunt & Hiſtriam: in illius limite Goritia ſiue *Görtz* eſt, ab aliis Italiæ adnumerata: in hac maritimum oppidum *S. Viti* fanum cum cognomine Fluminis, am Flaum/ ad cuius oſtium in Liburniæ antiquæ principio ſitum eſt.

CARINTHIA, Kärnten/ ſupra Drauum inter Tirolenſem comitatum ab occaſu, & Stiriam ab ortu ſita, etiam pars veteris Norici eſt. Caput provinciæ *Clagenfurt* altero a Drauo lapide amotum; ſupra quod Muram verſus *S. Veit*, fanum S. Viti, & *Gurk* ad fluuium cognominem epiſcopale oppidum; & *Strasburg*, vbi ſedet epiſcopus Gurcenſis: ad Drauum *Volckmarck*, Virunum, & *Lavanmünd*, vbi Drauus Lauantum recipit; & *Draburg*: ad Lauantum *S. Andreæ*, olim Lauantum, communi cum fluuio nomine, ſedes epiſcopi Lauantini. Sunt etiam in Carinthia, quæ Bambergenſi epiſcopo parent, *Villach* nempe ad Drauum, *Wolfsberg* ad Lauantum, *S.*

Leon.

Leonhard prope eundem fluuium & nonnulla alia.

TIROLIS siue Tirolensis comitatus, pars Rhætiæ orientalis, a septentrione Bauaria terminatur, ab ortu Salzburgensi tractu & Carinthia: a meridie Italia: ab occasu Heluetia. Montosa regio, ab Alpibus Tridentinis bifariam quasi secta, rigatur fluminibus Æno, Inn / & Athesi, Etsch. Metropolis *Inspruck*, Ænipons, ad Ænum, archiducum sedes: *Hall* & *Schwaz* ad eundem fluuium, illud factitio sale, hoc fodinis metallicis commendatum: *Stams* in occasum a Ponte situm monasterium, illustrium sepulchris & reliquiis nobile: & *Kuffstein* ad hunc amnem, sed in Bauariæ limitibus: prope Lechum in Sueuiæ confinio arx *Ehrenburg*: iuxta Eisacum (*Eisek*) fluuium *Clausen*, castrum in alta rupe positum, quo Italiæ via occludi potest: ad idem flumen *Brixen*, Brixia, episcopalis vrbs, & *Sonneberg* cœnobium: ad confluentem Eisacci & Athesis *Bozen*, Bolsanum, celebre em-

porium: ad Athesim *Trient*, Triden tum, episcopatu & nouissimo concili notissimum: *Tirol*, Terioli, iuxta eun dem fluuium olim vrbs, nunc tenu castrum, vnde nomen prouinciæ est etiam *Meran* prope Athesin ad radice Pyrenæorum montium (Brennerberg olim caput prouinciæ, nunc oppidu lum. Trans montes in Grisonum confinio ad Tirolem referuntur *Feld kirch* & *Pludentz* comitatuum propr orum titulis ornata oppida, inter Br gantinum lacum atque Curiam media & ipse comitatus Brigantinus, cuiu metropolis *Brigantia* ad oram lacu orientalem sita. Tandem etiam in Hel vetiæ finibus ad Austriacam Domur pertinet.

CITERIOR REGIO AVSTRIACORVM **die vörder Oesterreichische Lande** aliâs Sueuia Austriaca, in qua præc puæ sunt quatuor VRBES SILVATICAE Wald-Städte/ iuxta Rhenum inter Ba sileam & Schafhusam sitæ, *Waldshu* quæ regiminis nunc curiam habet postquam Freiburgum Brisgouiæ

Ga

Gallis tenetur; *Lauffenburg*, *Seckingen*, & *Reinfelden*. Præter has Siluaticas *Havenſtein* & *Nellenburg* cum titulo Landgrauiatus, & quædam alia. Ipſa *Conſtantia*, Coſtnitz / ad os lacus Acronii in limite Heluetiæ ſita, huc pertinet, in quam nunc academia Friburgenſis translata eſt: epiſcopus autem Conſtantienſis *Merspurgi*, trans lacum in Sueuiæ latere ſedem habet. De ceteris in Sueuia acturi, nunc quæ ad orientem præteriimus Auſtriacas partes perſecuti, ordine explicamus.

SALZBVRGENSIS archiepiſcopatus inter Auſtriam & Stiriam ab ortu eſt, & Bauariam Tirolemque ab occaſu, pars Norici veteris. Caput *Salzburg* ad *Salzam* fluuium, olim Iuuauia, ſiue Iuuenſe Caſtrum, ſedes nunc archiepiſcopi. *Lauffen* & *Ditmaning* ad eundem fluuium, & alia minora. Tota montoſa eſt regio, fluminibus tamen & riuis, qui ex montibus decurrunt, admodum irrigua. Et quia hic Auſtriacis prouinciis finitimus Archiepiſcopatus in Circulo Bauariæ cen-

ſetur, de Bauaria nunc proxime agendum nobis erit.

BAVARIA, Bayern / a meridie Tirolenſi Comitatui eiusque montibus iuncta, ab ortu ad Salisburgenſem Archiepiſcopatum & Auſtriæ partem ſuperiorem ad *Anaſſum* fluvium, vulgo die Ens / contingit: ad Bohœmiæ & Franconiæ fines ſeptentrionem verſus vltra Danubium porrigitur, & inde in occaſum per Sueuiæ terminos ad Licum flectitur. Ita magnam Vindeliciæ & Norici veteris, Nariſcorum etiam partem occupat, hodieque integrum imperii Circulum conſtituit. Diuiſa fuit varie pro numero & arbitrio Principum. A trecentis tamen annis *Bavariæ* nomen illi proprie adhæſit regioni, quæ nobis trans Danubium maxima parte ſita eſt, Ducalis lineæ Principibus tunc adſignata, iterumque in Superiorem, occaſum verſus; & Inferiorem, quæ ad orientem vergit, diſtributa, vnde nunc vtriuſque, vnitæ licet, titulus a Principi-

cipibus continuatur. At illi Bauaricæ Ducum ſtirpi, quæ olim Palatinatum Rheni cum Electorali dignitate adquiſiuit, pars citerior obuenit, indeque *Palatinatus Superioris* appellationem adſumſit, pars etiam huius ex nouis diuiſionibus *Neoburgici.*

BAVARIAM PROPRIAM vltra Danubium fluuii plurimi irrigant. Ad orientem, Auſtriam verſus, Ænus eſt, circa ſe oppida habens *Scherdingam*, *Braunam*, *Oetingam* cultu B. Virginis celebrem, *Burckhauſen*, *Muldorf*, & munitius ceteris *Waſſerburgum*. Ad Iſaram, quæ mediam fere Bauariam ſecat, *Monachium*, (München) vrbs nitida & palatio ſplendidiſſimo ornata, vbi Ducum familiæ a longo tempore aula fuit, nunc celebrior, poſtquam Electoralis illi dignitas patrum memoria acceſſit. Infra eam *Landshutum*, olim Ducum ſedes, dein *Dingelfinga*, *Landau* & plura: ad Licum *Landsbergā* cum non nullis aliis: ad Danubium poſt

Danawerdam, cuius in Sueuia mentionem facimus, *Ingolſtadium* ſiniſtræ ripæ impoſitum, vrbs munita & ob academiam celeberrima. Sed longe infra illam (interiacent enim multa non Bauaricæ tantum, ſed alîus etiam ditionis) *Straubinga*: ad Æni vero & Danubii confluentem *Paſſauium* eſt (Patauium etiam ſcribunt, vulgo Paßau) ex ſancito ibi religionis fœdere notiſſima ciuitas, loco Batauorum quondam Caſtrorum, cui in altera Æni ripa opponitur *Inſtadium*, olim Boiodurum. Sed Paſſauienſis Epiſcopatus Imperii Principatus eſt, Bauarici Circuli pars, non Ducatûs. Eodem iure fruitur Præpoſitus *Berchtoldsgaden*, nam & hic in comitiis ſuffragium habet inter Principes; non æque *Chiemſeenſis* epiſcopus, cui nomen eſt a loco in lacu *Chiemo* (Chiem See) in finibus Salisburgenſibus. *Friſingæ* autem epiſcopus, quod prope Iſaram eſt oppidum, indubitatus eſt Imperii Princeps. Inter Straubin-

bingam & Ingolſtadium ſita eſt *Ratispona*, vulgo Regenſpurg / ab amne *Regen* dicta, qui prope vrbem Danubio miſcetur. Ciuitas libera eſt & imperialis, ob frequentia comitia aliisque cauſſis celeberrima. Epiſcopus vrbis eſt itidem Imperii Princeps. Tres quoque intra mœnia *Abbatiæ* comitiorum iure gaudent, vnum virorum ad *S. Heimeranum*; duæ Virginum, ad *S. Mariam*, & ad *S. Erhardum*, quarum illa Monaſterium Superius, Ober-Münſter; hæc Inferius, Nieder-Münſter dicitur. Hæc de Bauaria Propria vltra Danubium & ad flumen iacente, ad quam tamen & citerioris oræ pars refertur circa Ingolſtadium & Ratisponam, latius alicubi, alibi anguſtius procurrens.

At in adſcenſu Danubii Sueuiam verſus ea pars Bauariæ Cisdanubianæ ſita eſt, quæ a *Neoburgo*, arce & oppido (quanquam trans flumen ſitis) Ducatus vel Palatinatus NEOBVRGICVS appellatur, quia, vt dictum

eſt, ad ſtirpem Bauaricam, quæ Palatinatum Rheni poſſedit, peruenerat. Huic ſubſunt *Lauinga* ad Danubium, olim gymnaſio clara; *Hochſtett*, & alia. In clientela quadam huius principatus eſt celebre prope Donawerdam monaſterium Keyſersheim ſiue Keyßheim (*Cæſaream* vocant monachi) a Comitibus olim potentibus fundatum, qui ab arce ad confluentes Lici & Danubii, Lechsgemünde/ nomen habebant. Portio, Neoburgenſis Ducatus Franconiam verſus, circa initium huius ſæculi poſtgenitæ Palatinorum familiæ certo iure adſignata fuit, ab arce & oppido *Sulzbaco* denominata Pfaltz Sultzbach.

Maxima verò regionis Bauaricæ Cisdanubianæ pars eſt PALATINATVS SVPERIOR, **die Ober-Pfaltz**/ alias NORDGOVIA dicta. Hæc olim portio fuit egregia Electoratus Palatini ad Rhenum, ſed ab ea bellis hoc ſæculo geſtis auulſa & Bauariæ tradita eſt, cui etiam manet, quamuis nuper exſtin-

ſtincta ſtirpe Heidelbergenſi Palatinatus ille Rheni ad Neoburgicum Ducem hereditario iure tranſierit. *Amberga* huius prouinciæ caput eſt ad amnem *Vilſam* in finibus Franconiæ & Bohœmiæ. Multa alia oppida habet non ignota, *Neumark*, *Cham*, *Kemnat*, *Auerbach*. Eſt & ad *Nabum* fluuium *Weida*, ſed mixti inter plures dominos iuris; & *Pfreimda*, quæ exſtinctâ non ita pridem Landgrauiorum, qui a vicina arce *Leuchtenberg* nomen habebant, familiâ, Bauaricæ ditionis facta eſt.

In finibus huius tractus, Bohœmiam verſus, haud procul Egra diues eſt Ciſtertienſis ordinis monaſterium Wald-Sachſen / imperialis, ſed cum Palatinis olim controuerſi iuris. Ingens quoque Nobilitatis in Bauaria vltra citraque Danubium numerus eſt, ex qua multi Comitum Baronumque titulum gerunt, ſed pauciſſimis libertas imperialis competit. Suffragia tamen in comitiis habent Comites *Ortemburgici*, ab oppido

in media Bauaria ſito, cognominati: *Wolffſteinii* in Nordgouia, & ſi qui ſunt alii. Etiam ante paucos annos in gratiam principis *Lobkouitii* Bohœmi tractus quidam Nordgouiæ prope Sulzbacum Principatus titulo nobilitatus eſt, in quo oppidum *Neoſtadium* aulæ ſedem præbet.

SVEVIA, **Schwaben**/ in quantum integrum regionem Germaniæ, quam circulum vocant, comprehendit, a meridie Heluetiam habet & Tirolem: ab occaſu Brisgouiam; ab ortu Bauaria & cis Danubium Franconia terminatur; & a ſeptentrione Palatinatu Rheni. In nulla Germaniæ parte maior imperialium ciuitatum numerus, quam in Sueuia, reperitur, inter quas tamen modicæ ſunt quædam & tenues. Primus in Sueuia tractus ab ora lacus illius, qui a *Brigantia* vrbe, & arce *Bodmen* nomen habet, in occaſum procurrit, diciturque *Hegoia*, ſiue *Hegouia*, forte a veteri Comitatu & arce diruta *Heven*, quaſi Heuengoia.
In

In eo territorium est episcopi Constantiensis, qui sedem, vt supra memorauimus, *Merspurgi* habet, *Buchhornio* & *Vberlingæ*, imperialibus oppidis in ora prædicti lacus (Boden-See) sitis, interpositi; at *Reichenau* (Augia diues) in insula lacûs, Abbatia olim imperialis iuris, nunc Constantiensi episcopatui vnita: de vrbe autem *Constantia* supra a nobis actum fuit: neque in Sueuico illa latere, sed Heluetico potius sita est. Hegouiæ partem tenet Austriaca Domus, *Sueuiæ Principatus* titulo insignitam, in qua præfecturas habet, quæ dicuntur Reichs-Landvoigteyen. Sed & Comites heic suas possessiones habent, inter quos illustres sunt *Montfortenses*, *Königseccii*, *Dapiferi* siue *Truchesii Waldburgenses* aliique. In eodem tractu castellum munitissimum est, quod superioribus bellis expugnari non potuit, *Tuita Alta* siue Hohen Twiel/ Würtenbergicæ ditionis: oppida præterea imperialia *Pfullendorfium*, & *Buchauia* ad lacum *Plumarium*, Feder See.

Sequitur *Algoia* ſiue *Algouia* (quibusdam *Albegoia*, quaſi Alpium regio; aliis quaſi *Alemangoia* quia *Alemanni*, exitiabiles Romanorum hoſtes, tribus fere poſt Auguſtum ſæculis in hoc tractu inclareſcere cœperunt) in ortum Hegoiæ oppoſita, ab orientali parte lacus Brigantini circa vtramque ripam fluminis *Ilaræ* longe extenditur. Ad lacum iſtum aut potius in inſula eius, ponte cum continenti iuncta, ſita eſt imperialis vrbs *Lindau*: ad Ilaram *Campodunum*, Kempten/ oppidum etiam imperiale, & Abbatia Principis Imperii honore & iure ornata: & ſupra hanc *Memminga*, eiusdem libertatis: inter amnem & lacum *Rauenspurg*, *Wanga*, *Iſna*, *Leutkirch*; ac propius Danubium *Biberacum*; prope Licum (Lech) ſiue ortum verſus *Kaufbeura*, ſingula Imperii libera oppida. Ad Lici fluuium & terminum Algoiæ tam amplitudine, quam opibus & ſplendore inſignis vrbs ſita eſt *Augusta vindelicorum*, Augſpurg/ tum aliis dotibus ſuis, tum maxime propter comitia 1530,

qui-

quibus Proteſtantes Ordines, vti in Germania vocabantur, religionis confeſſionem ediderunt, clariſſima. Vrbs libera eſt, habet tamen epiſcopum, qui *Dillingæ*, oppido ad Danubium academia noto, habitat, cetera ditionis ſuæ iuxta Lechi amnem poſſidens. Senatorum Auguſtanorum familiæ nobiliſſimæ ſunt, interque eas eminent *Fuggeri*, dudum ad Baronum & Comitum dignitatem euecti, quorum oppida ſunt *Kirchberg*, *Weiſſenhorn*, & alia.

Circa Auguſtam, Danubium verſus, Auſtriaci poſſident *Marchionatum Burgouiae*, ab oppido exiguo & caſtello veteri denominatum; ſed *Günzburgi* ad Danubium arx eſt magnifica, plerumque ſedes Præfecti Auſtriaci, des Landvoigts/ qui ex illuſtri familia conſtitui conſueuit. Monaſteriorum vtriusque ſexus in partibus Transdanubianis magna copia eſt, eorum maxime, quæ Imperatori ſubiecta ſunt & in comitiis curiati ſuffragii ius habent, inter quæ primas tenet *Vinearum* monaſterium, Weingarten/ non procul

Ra-

Rauenſpurgo ad pagum Altdorf, vnde Guelforum Comitum Principumque origo fuit, qui etiam monaſterium fundarunt.

Citra Danubium egregium terrarum ſpacium Ducatus WVRTENBERGICVS occupat, cui primus inter ſæculares proceres in Sueuia locus eſt, ex multis principatibus comitatibusque concretus. Incipit fere a Danubii fontibus & ad Palatinatus & Franconiæ fines protenditur. In hoc tractu infinita pæne arcium vetuſtiſſimarum rudera conſpiciuntur, illuſtriſſimarum quondam familiarum domicilia & munimenta, inter quæ eſt *Stauffa*, Sueviæ Ducum & inde ad Imperium euectorum Friderici I ac poſterorum ſedes: multa etiam habet monaſteria, quæ poſt reformatam religionem in ſcholas mutata ſunt, in quibus nominatiſſima eſt *Maulbrunnæ*. Aula Principis *Stutgardiæ* eſt vrbe ampla nec inamœna: *Tubinga* oppidum arce & academia illuſtre ad *Nicrum* (Necker) amnem, qui Ducatum interfluens, vbi a

ſil-

ſiluarum & montium aſperitate receſſir, mitiores colles alluit, generoſiſſimi viri feraces. *Schorndorfium* munitiſſimum regionis oppidum eſt: magnus præterea minorum numerus, inter quæ *Waiblinga*, Sueuorum Principum patrimonium, Gibellinæ factioni nomen dediſſe exiſtimatur. Præterea ad Nicrum *Canſtadt*, *Marbach*, *Lauffen*: vltra amnem *Aurach*: arx *Würtenberg*, vnde nomen regioni eſt, prope Canſtadium. Imperialis libertatis in hac ora ſunt *Eslinga* ad Nicrum, & auſtrum verſus *Reutlinga*, quæ poſt Noribergam prima auſa fuit religionis confesſionem Auguſtæ edere; item *Weila*. At *Rotenburg* ad Nicrum in auſtrali fine huius regionis ad Auſtriacam Domum pertinet.

Rhenum verſus adiacet Würtenbergicæ regioni MARCHIONATVS BADENSIS, in duas partes diuiſus, quarum altera a *Badena*, altera a *Durlaco*, principum ſedibus pro linearum diſcrimine, cognominatur. Illa pars dicitur Marchionatus ſuperior, in quo

Baden

Baden caput eſt, vno ab Rheni flumin milliario; dein *Stollhofen*, *Raſtat*, & alia hæc, Marchionatus inferior, cuius primaria vrbs *Durlach* eſt, cui ſubſunt *Pfozheim*, & ſuperius Baſileam verſus *Friedlinga*, *Hochberg*, & *Badenweiler*.

Sed hæc ab occaſu Würtenbergiæ, ab ortu eſt Præpoſitura ELWANGENSIS, ad quam non niſi nobili genere nati perueniunt, & qui ea potitur, inter Principes imperii locum habet. Oppidum *Elwangen*, templo & arce conſpicuum, ad *Iaxtam* amnem ſitum eſt, in Franconiæ collimitio.

Comitatus illuſtres in hac Ciſdanubiana parte ſunt *Hohenzollerenſis*, cui nomen ab arce vetuſta eſt, quaſi altum collem dicas: aula *Hechingæ* habetur. In Principum ordine primogenitus huius inclitæ gentis cenſetur, ex qua ante aliquot ſæcula prodiere Burggrauii Noribergenſes, poſtea Marchiones atque Electores Brandenburgici facti. In tractu eodem inter Nigram Siluam & lacum Bodamicum *Fürſtenbergii*, quibus & Landgrauiatus *Barenſis*, ſed infra

infra Comitum dignitatem, subest: aliqui tamen huius familiæ principali dignitate & titulo gaudent. In inferiore Sueuia Franconiam versus, OESTINGENSIS Comitatus est, nuper ex parte in principatum euectus, in fertili & amœna regione, quæ vulgo das Rieß dicitur. Primarium oppidum *Oetinga* est, & arx *Wallerstein* prope Nordlingam. PAPPENHEIMIORVM etiam Comitum antiqua in Sueuiæ finibus familia claret, ex qua Senior Imperii est Submarschallus, Electoris Saxoniæ vicarius hereditarius. Arx eius nominis & oppidum prope Aichstadium ad Altmulam iacet.

Vrbium imperiali libertate fruentium partis cisdanubianæ præcipua est *Vlma* in sinistra Danubii ripa egregie munita & ponte instructa: floret commerciis & circumiecto agro late imperat: inde iuxta Franconiæ fines *Nordlinga*, ad quam bis grauibus prœliis pugnatum fuit superiori bello: huic vicinæ *Bopfinga*, *Gienga* & *Aala*: plures autem sunt circa Würtenbergiam.

giam, vt in ſeptentrionem ad Nicrum *Heilbrun*, vini emporium, & *Wimpina*, Wimpfen: inde in ortum *Hala* Sueuica ad Cocheram amnem, ſalinis nobilis in finibus Franconiæ: & *Gemünda* pariter cum Sueuiæ cognomento ad Remſam: *Rothweila* in auſtrum ad Siluam Nigram vergens, imperiali iudicio nota: interiores aut Siluæ ac Rheno propiores *Offenburg*, *Cella*, *Gengenbachum*: in ipſo Würtenbergico tractu *Eslinga*, *Reutlinga*, & *Weila*, de quibus ſupra diximus. Etiam *Danawerda* ad Danubium imperialis erat, ſed patrum memoria in Bauaricam venit poteſtatem.

Equeſtris ordo heic numeroſus eſt, a Principum iurisdictione exemtus. Olim in quatuor pagos (viertel vocant) diuiſus erat: quintus circa tempora Maximiliani I acceſſit ex illis, qui in Sueuiæ & Palatinatus confinio (*Craichgoa* dicitur) habitant, Franconibus aliquando adiuncti.

Sueuiam a ſeptentrione contingit FRANCONIA, Franckenland/ in cuius

cuius parte orientali Danubium versus AICHSTADIENSIS episcopatus, in confinio Sueuiæ & Palatinatus superioris est. *Aichstadium* oppidum ad *Altmulam* flumen, cui imminet arx *Wilibaldsburg*, sedes aulæ episcopalis: sed reliqua pars ditionis aliquot inde milliaribus occidentem versus sita est.

BVRGGRAVIATVS NORIBERGENSIS siue Brandenburgicus in Franconia tractus, in septentrionem proximus est, is nempe qui *inferior* dicitur, unterhalb des Gebirgs/ cuius est *Onoldsbach* siue Anspach/Principis sedes: præterea circa Altmulam *Gunzenhausa*, inde *Creilshemum*, ad Tubarim *Creglinga*, Noribergam versus *Suabacum*,(Schwabach) & *Hailsbrunna*, olim monasterium, nunc gymnasium vtriusque Marchionatus commune. Est & supra Onoldsbacum prope *Weissenburgum*, imperiale oppidum, in Nortgouiensi tractu (Nortgow) munita in monte arx *Wilsburgum*, tum alia oppida minora hinc inde sparsa. *Superior* Marchionatus pars ad orientem in montana Franconiæ

niæ protenditur, vnde dicitur Oberhalb des Gebirgs / cuius *Bayreut* primaria vrbs eſt, Principis aula & gymnaſio inclita: item *Culmbach* cum arce munitiſſima *Blaſſenburgo*: duæ inde præfecturæ Voigtlandicæ Marchioni ſubiectæ ab oppidis *Hof* (Curiam Variſcorum vocant) & *Wonſidelio* denominatæ. In illo tractu eſt mons Fichtelberg/ amnium Mœni, Egræ, Salæ, & Nabi, in diuerſas plagas decurrentium, fontibus decantatus. Inter vtrumque Marchionatum, Bayrutenſem & Onoldsbacenſem, fere media eſt *Noriberga*, Nürnberg/ vrbs imperialis & oculus Germaniæ, ac bene conſtitutæ reipublicæ exemplar, cui ſubſunt *Altdorf*, academia prænobile oppidum, & *Lichtenau* munitum, & alia.

Sed auſtrum verſus circa amnem *Iaxtam* & in Sueuiæ finibus eſt comitatus HOHENLOHICVS, cum *Oeringa* oppido & arcibus *Neuenſtein*, *Langenburg*, *Waldenburg* aliisque, in regione vini frumentique feraciſſima. Inde vrbs imperialis *Rotenburg* ad Tubarim,

quæ

quæ amplum etiam agrum plurimis vicis habitatum possidet. Supra est *Winsheim* siue *Windesheim*, itidem imperialis libertatis oppidum, ad fluuium *Aisch*, vbi & *Neostadium* cum præfectura ampla est, sed ad Marchionatum superiorem pertinens. Haud procul Rotenburgo est *Mergetheim* siue *Mergethal*, quasi Mariæ domus, etiam ad Tubarim, sedes Magistri equitum ordinis Teutonici, qui inter Principes Imperii præclarum locum tenet: ad Tubaris Mœnique confluentem *Wertheim*, Comitum inde denominatorum domicilium.

Maximam Franconiæ fertilissimamque ac cultissimam partem EPISCOPATVS HERBIPOLITANVS, Stifft Würtzburg/ occupat, ab occidente in *Ottonis silua*, vulgo Odenwald/ incipiens, inde ad Coburgensem vsque Ducatum trium dierum itineribus in longitudinem extensus. Caput est *Herbipolis* siue Würtzburg/ ad Mœni ripam, Episcopi, qui Ducis Franconiæ titulum gerit, & academiæ sedes, ar-

cem

cem pulcherrimam munitiſſimamque in altera ripa habens cum ſuburbio, quod ponte vrbi iungitur. Oppida ſubſunt ad Mœnum ſupra Herbipolim ſita *Ochſenfurt, Kitzingen, Schwarzach, Dettelbach, Völckach, Hasfurt*, & arx *Mainburg* cum præfectura prope vrbem imperialem Schweinfurt itidem Mœno impoſitam. Infra metropolim in flexu Mœni, quem is non ſemel facit, multa alia oppida ſunt epiſcopalis ditionis, quædam vero ad Moguntinum & Fuldenſem pertinent. Superior epiſcopatus pars campeſtris eſt, vbi præfectura *Raueneccenſis*, oppida *Seslach, Ebern*, & notiſſimum ob munimenta valida *Königshofen*: tum & ad *Salam* amnem (ſed alium, quam qui in Thuringia & Saxoniæ finibus fluit) *Neoſtadium*, & arx *Salsburg*, vbi Caroli Magni aliquando putatur ſedes fuiſſe: præterea *Melrichſtadium* & *Münnerſtadium*: deinde occidentem verſus tractus alius ad montes, qui dicuntur die Röhn/ in eoque Biſchoffsheim & *Fladungen*.

Epi-

Episcopatus BAMBERGENSIS magis in ortum situs est quam Herbipolitanus. Vrbs præcipua & episcopi sedes *Bambergа* ad Rednicium, qui haud procul ab vrbe Mœno insinuatur: inter metropolin & Noribergam ad idem flumen medio loco est *Forcheim* egregium munimentum; & *Auracum Ducis* siue Hertzogen Aurach/ & alia: in septentrionem *Staffelstein*, *Lichtenfels*, & munitionibus validum *Cronach*.

Adiacet in occasum Ducatus COBVRGENSIS, tribus abhinc sæculis dotali iure ex Hennebergica ditione Saxoniæ Domui adquisitus. Caput *Coburgum* est Principis aula, gymnasio & adiacente in monte propugnaculo clarum: cetera oppida *Rotach*, *Hilpershusa*, *Römhild*, *Königsberg*, *Heldburg*, & in Hennebergiæ ora *Eisfeld*. Ex his *Coburg*, *Römhild* & *Heldburg* Ducum fratrum ex Domo Gothana sedes sunt: *Königsberga* ad austrum sita & Herbipolensi territorio fere vndique cincta, Vinariensi olim Ducatui ob vini prouentum attributa, nunc Gothanæ ditionis est.

HENNEBERGIA hinc in hibernum occasum vergit, olim Comitatus, maiori post Principatus titulo propriis dominis, qui & alia circa Herbipolim & Mœnum multa possidebant, parebat: exstincta autem illorum stirpe in tractum illum, qui hodieque *Hennebergensis* regionis nomen habet, ex fœdere successerunt Duces Saxoniæ qui etiam communi regimine, quod *Meinungæ* fuit, per LXX annos aut amplius administrarunt. Post diuisione instituta Electorali portioni, ad Domum Saxo-Numburgensem deuolutæ, cesserunt quæ siluæ Thuringicæ propiora sunt, *Schleusinga* olim Comitum ac Principum, nunc communis gymnasii sedes: *Sula*, armorum officinis nota: & *Kundorf* arx cum præfectura, ac vico *Benshusa*, qui etiam aliquando præfecturæ nomen habuit. Omnia autem ad fluvium *Vierram*, (Werre) sita, qui tandem Fulda auctus Visurgis nomen adsumit, nempe *Meinungen*, & arx *Masfeld* cum adiacentibus pagis plurimis; (in quibus etiam est *Henneberg*, cum

cum eiusdem nominis montana arce, nunc in ruinis iacente, quæ initia huius comitatus fuerunt) *Themar*, *Wasungen*, *Breitungen*, quæ a Dominarum monasterio cognominatur Frauen-Breitungen/hoc tempore, exstincta Altenburgensi linea (cuius Meinunga, Masfeldum & Themara fuerant) subsunt familiæ Gothanæ, & *Meinungæ* tertio genitus Ernesti Ducis filius sedem fixit, cui & *Salzunga*, salinis notum oppidum, subiectum est, Vierræ appositum, olim ad Saxonicos in Thuringia Comitatus relatum. Vnicum quod Hennebergenses trans siluam in Thuringia oppidum tenuerunt *Ilmenau*, argenti fodinis olim nobile (in quibus restituendis nunc sedulo laboratur) ad Vinarienses diuisionis pacto translatum fuit, & quæ ex horum subdiuisione Dux Isenacensis nunc possidet, Zilbacum, Zillbach/ trans Vierram, venatoria domus cum saltibus: & eodem tractu *Northemium*, quod Frigidius cognominant, cum vicina arce *Lichtenberg*; ac oppidum *Ostheim*,

Franconici ſitus, ſed Saxonici iuris, Præfectura *Fiſchbergenſis* ſiue *Fiſchbacenſis*, in Hasſiæ & Fuldenſi limite, diviſionis ſorti exemta, pro communi gymnaſio, quod Schleuſingæ eſt, reſervatur. Pars etiam olim Hennebergiæ fuit, & hodieque ad Circulum Franconicum pertinet, vrbs *Smalcaldia* ad Thuringicæ ſiluæ oram, non minus Proteſtantium conuentu 1537, quam fodinis ſuis & ferrariis officinis nota, iam cum adiacente territorio, in aliquot præfecturas diuiſo, in poteſtate Hasſiæ Landgrauii Caſſellani.

Sunt etiam alius ditionis præter nominatas, permulta in tractu Franconico, ſicut Moguntinus Archiepiſcopus non ſolum quædam ex comitatu Rineccenſi, ſed ad Tubarim etiam *Biſchofsheim* & *Königshofen*; Abbas Fuldenſis *Hamelburgum* ad Salam posſidet: comites Caſtellani ſupra Herbipolim in tractu montano, qui Steigerwald dicitur, & infra ad Mœnum ſuas habent arces: Limburgenſes etiam Dynaſtæ & Comites, qui pincernæ Imperii dicun-

cuntur: nec ita pridem principatus nomine auctæ ſunt poſſesſiones Comitum *a Schwarzenberg*, ab arce ita dicta in regione Steigerwald cognominati, vt alios taceamus, qui ex equeſtri nobilitate ad altiores dignitates adſcenderunt, nouosque comitatus & dynaſtias formarunt, quod in Franconia facilius, quam alibi, fieri poteſt, quia Nobilitas omnis (excepta, quæ in Coburgenſi Ducatu, & in Marchionatus Bayruthenſis præfecturis Voigtlandicis habitat) a principum poteſtate libera eſt, Imperatori ſubiecta, ideoque die Freye Reichs-Ritterſchafft appellatur, quali iure etiam Sueui & Rhenani gaudent equites. At Franconiæ ordo equeſtris in ſex veluti pagos ſiue tractus (Ort vulgo vocant, id eſt loca) diſtributi ſub præfectis, ex ſuo electis ordine, communionem quandam conſiliorum & tributorum colunt.

In RHENANVM tractum reuertimur ad quem in prima circulorum Imperii diuiſione relata ſunt omnia ab Heluetiorum finibus ad Belgium &

Westphaliam vsque; & in latitudine, a Sueuia & Franconia ad Burgundiam & Gallorum fines comprehensa, cum Lotharingiæ parte & episcopatibus Metensi, Tullensi, Virodunensi, & Bisontino. Sed mutata isthæc sunc omnia; Basileensis tamen episcopatus iuris Rhenani adhuc censetur, sed de eo iam supra diximus, vt etiam de quibusdam oppidis ad Siluam Nigram & Rhenum sitis, Austriacæ ditionis, cuius olim (vt nunc reliqua persequamur) tota erat cis Rhenum ad Siluam prædictam BRISGOVIA, das Breißgau/ sed duo primaria eius oppida in Gallorum potestatem venerunt, *Brisacum* ad Rhenum, Bernhardo Vinariensi Duce 1638 expugnante: & 1677 *Friburgum*, paullo remotius a flumine, academia nobile, quæ nuperrime Constantiam transferri cœpit, sicut regimen statim post expugnationem, Waldshutum. Rhenum medio inter Basileam & Brisacum situ est etiam *Neuburgum*, Austriaci adhuc iuris, in quo laudatus Dux Saxoniæ 1639 mortem obiit. Cetera sunt ignobiliora.

Trans

Trans Rhenum ALSATIAE Landgrauiatus eſt, diuiſus in ſuperiorem & inferiorem. Huic in limite ad Burgundiam, niſi in ipſa Burgundia, regiuncula adpoſita eſt Germanici iuris & ditionis Wurtenbergicæ, Comitatus ſiue principatus MONTISBELGARDENSIS, cuius oppidum præcipuum eſt *Mompelgard* ſiue *Montbeliard*, ad Vogeſi radices. Alſatiæ ſuperiori vel vt pars, Helvetiis & Burgundis propior, inſerta, vel vt finitima adpoſita eſt SVNTGOIA, in qua eſt *Mulhuſa*, vrbs olim imperialis, ſed Heluetico fœderi innexa: *Pfirt*, Ferreta, olim ampli comitatus caput: *Befort*, & alia. In SVPERIORI illa Alſatiæ parte *Enſishemium* eſt ad *Illum* amnem, Auſtriaci quondam regiminis ſedes, quod Galli (quibus pace Weſtphalica ceſſit Alſatia, in quantum Auſtriaca erat, cum Suntgoia) Briſacum transtulerunt. Sunt & pleræque ex decem ciuitatibus, in quas titulo præfecturæ prouincialis (der Landvoigtey) iura quædam habebat Domus Auſtriaca, *Colmaria* nempe & *Sletſtadium* ad

Illum, & minora illis, *Monasterium* (Münster) in valle Gregoriana, *Ehenheim* superius, *Turingkheim*, *Rosheim* & *Keisersberg*: & Baronatus olim illustris *Rappoltsteiniensis*, & oppidum *Rappolts weiler*, exstincta illa familia ad Palatinos Birckenfeldenses pertinens. *Murbachium* abbatia nobile est, quæ principis Imperii dignitate gaudet.

Episcopus quoque Argentoratensis amplam iurisdictionem habet, in eaque *Ruffach*, & *Benfeldum* ad Illum, superioris tractus; cetera pleraque inferioris, nempe *Tabernas* Alsaticas (Elsaß Zabern) aula episcopali, sicut *Molshemium* Iesuitica academia non ignota oppida: præterea *Dachsteinium*, & non nulla etiam cis Rheni fluuium. Sed *Villa Episcopi*, vulgo Bischweiler/ Palatinæ Birkenfeldensis, quam nominauimus, familiæ est. Comitum etiam Hanouiensium ex comitatibus Lichtenbergensi & Ochsensteiniensi heic aliqua circa Rhenum possessio est, in eaque sedes aulæ *Busweiler*. Sed primaria & celeberrima Alsatiæ inferioris vrbs est

Ar-

Argentoratum siue *Argentina*, Straßburg/ episcopali cathedra, academia & mercatu pernobilis, valde etiam munita, sed iniquis Germaniæ fatis 1681 in Gallorum manus illapsa. Imperialis etiam libertatis, sed sub præfectura, vt diximus, & in decem ciuitatum numero, in inferiori Alsatia sunt *Hagenoa*, *Landauium*, *Weissenburgum*, quod Rhenanum vel Cron-Weißenburg dicitur ad discrimen alterius in Nortgoia, non minus imperialis ciuitatis. Munimentorum numerum in hac Alsatiæ parte auget etiam Ludouicianum, *Fort Louis*, quod nuper in Rheni insula inter Stollhofam & Rastadium (quæ Badensis Marchionatus oppida cisrhenana sunt) Galli ædificarunt.

Alsatiam tractus inter Rhenum & Mosellam excipit, quem quidam AVSTRASIAM, sed arctiorem, quam pro veteri limite, vulgo Westrich vocant, in quo præcipue sunt Bipontinus Ducatus cum cognatis aliis ex oppidorum diversitate quæ Principibus sedes præbent, varie denominatis, siue Palatinorum

Rheni extra Electoratum portio: & pars Comitatus Nassouiensis ad *Saram.* Hoc enim flumine, & *Lutra, Blissa, Naha* aliisque rigatur.

BIPONTINVS Ducatus nomen habet ab oppido *Biponto*, Zweybrück/medio inter Saram & Lutram situ: Lotharingiam versus sunt montanæ arces *Lutzelstein* & *Lichtenberg*, munimentis, quibus præstabant, per Gallos nuper exutæ: iuxta Lutram *Lautereck* & *Meisenheim*: hinc ad septentrionem in tractu, qui vulgo Hundsrück/ vel vt alii putant, ab Hunnorum præsidiis Hunnes-Rück vocatur, *Birkenfeld*, ac ad Mosellam *Veldenz*, pleraque oppida aut castra, quæ Principibus Palatinis, in plures familias diuisis, adhuc nomina, saltim habitationes dederunt. Olim heic Comitatus SPONHEIMENSIS fuit, ab arce vel monasterio *Sponheim* appellationem trahens, nunc Palatini iuris, ex parte etiam Badensis, cuius oppidum in prædicto Dorso *Simmera* aliquando separatam ex Electorali familiam Palatinam denominabat, postea ad caput gen-

gentis, Electorem, rediit: *Creuznach* vero ad Naham, vti etiam *Trarbach* ad Mosellam, iuris mixti sunt inter Palatinos & Badenses Principes.

Ad Saram, olim Sarauum fluuium (die Saare) situm est *Saarbrück*, Comitis e gente Nassouia sedes, cui etiam *Ottweiler* Blissæ impositum oppidum, & castrum *Homburg*, & alia, quædam etiam controuersa cum Lotharingis, subdita sunt: sed alius Pons Saraui, Gallis *Sarbourg*, Lotharingiæ pars est; & aliud *Sarburgum* ad eundem amnem, sed confluenti Mosellæ propiorem, in Treuirensi territorio recensetur.

LEININGENSIVM quoque Comitum in tractu hoc portio est, vbi munitam eorum arcem *Daxburgum* Galli 1679 diruerunt: altera linea paullo inferius circa Wormatiam suas arces & oppida habet, in quibus *Türkheim* est: alia itidem in Hassiæ & Westphaliæ finibus, quæ *Westerburgensium* cognomen gerit. Etiam Rheni Comites, Wild und Rheingrafen/ suas heic possessiones tenent, vt *Taunum*, *Kyrnam*, *Wildenbur-*

gum & alia: & SALMENSES a *Salma*, in Lotharingiæ finibus ſito oppido; ac FALKENSTEINENSES a *Falconis petra*, IV milliaribus a Crucenaco in meridiem, VI a Wormatia in occaſũ diſtante caſtro appellati, & alii forſan huc referendi ſunt.

PALATINVS ELECTORATVS, Chur-Pfaltz/ infra Alſatiam incipit, Rheno inæqualiter diuiſus, & aliis territoriis variè permixtus. Cis Rhenum ad Nicrum caput eius *Heidelberga* eſt, ſedes Electoris & antiquæ academiæ: ad idem flumen ſuperius eſt *Mosbach*; inferius *Ladenburg*, diuiſi iuris inter Palatinum Electorem & Wormatienſem Epiſcopum: altero ab Heidelberga milliario in ſeptentrionem eſt *Weinheim* ad viam, quæ montana dicitur, die Bergſtraß; pari interuallo in auſtrum, *Wiſeloch*: in Würtenbergico limite ſiue Craichgoiæ, *Eppinga*, & *Bretta*, patria Melanchthonis: in Franconiæ, *Boxberga*: dein Mœnum verſus *Vmſtat* cum Haſſis Principibus commune: ad Rhenum in Alſatiæ finibus, & quidem in ſiniſtra ripa *Germershe-*

mium,

mium, a Gallis nuper occupatum: in ripa dextra iuxta confluentem Nicri *Manhemium*, munitum & ad Belgicam elegantiam non ita pridem instauratum oppidum cum arce *Fridrichsburg*, nunc a Gallis exustum: cui vicina fuit arx *Egelsheim*, ex qua nunc turris restat, cui Ioannes XXIII. P. R. in Constantiensi concilio exauctoratus, aliquamdiu inclusus fuit. Hinc, interiectis alienæ ditionis partibus, in sinistra Rheni ripa est *Oppenheim*: & post Moguntiam *Ingelheim* non procul a Rheno, patria, vt existimatur, Caroli Magni: & infra Bingium eidem fluuio *Bacharach* adiacet, & in opposita ripa *Cauba*, generosioris vini prouentu nobilitata loca. Sunt, qui sibi Bacchi aras heic in Rheno, quando æstate decrescit, inuenisse videntur, vnde nomen alteri oppido subnatum esse existimant. In medio flumine castellum quoque est *Palatii* nomine, Pfaltz/ præsidio Electoris custoditum. Sed ad citeriora reuertimur. Propter Naham fluuium *Creuznach*, Crucenacum sedet, quod supra nomi-

nauimus: inde Wormatiam versus *Alzeia*, arx, oppidum, & præfectura spaciosa: inter Wormatiam & Manhemium *Frankenthal*, munitum haud procul Rheno oppidum: ad Lutræ fontes *Lutra Cæsarca*, Keyserslauter/ & hinc austrum versus *Neapolis* Nemetum, siue Neustadt an der Hart/ ad riuum, qui Spiram defluit, ibique Rheno miscetur, der Speirbach/ vnde nomen Spiram vrbem traxisse quidam coniiciunt. Nam in finibus Palatinatus huius ad Rheni sinistram ripam positæ sunt imperiales vrbes, episcopatibus insignes, nempe, quam modo diximus, *Spira*, Nouiomagus Nemetum, imperiali iudicio illustrissima. Episcopo eius parent *Tabernæ Rhenenses*, Rhein Zabern/ in Alsatico Rheni litore *Bruchsalia*, Brüxsal siue Brüssel vltra dextram Rheni ripam, ad montes, qu[i] nomen habent der Brürain: *Philippo burgum* autem, antea *Vdenheim*, a Philippo Christophoro Spirensi episcop[o] valide, & validius a Gallis posthac munitum ad idem flumen dextrorsus, pos[...]

ex

expugnationem 1676 sub præſidio Imperatoris Romani erat, cui rurſus Galli 1688 eripuerunt: oppidi autem iura & commoda penes epiſcopum Spirenſem eſſe debent *Wormatia*, Worms / diei vnius itinere in eadem ſecundi fluminis ripa inferior, quam Spira eſt, in veteri Vangionum tractu, multis imperii comitiis clara: eius autem epiſcopo præter vicos circumiectos, ſubeſt, vt diximus, ex parte *Ladenburgum*, Nicri ripæ adpoſitum oppidum. Sed nunc tam Wormatia, quam Spira, ruinis ſuis Callorum ſæuitiæ triſte documentum ſunt.

MOGVNTINVS Archiepiſcopus & Elector, ſi quis alius Imperii princeps, disiectis & diſſeminatis prouinciis præeſt. Nam in Franconia ad Mœnum ac Tubarim multa, in Thuringia Erfordiam, in Brunſuicenſium cishercinienſi tractu Eichsfeldiam regionem: in media Haſſia Frideslariam, Naumburgum, & Amelburgum & alia poſſidet, quæ ſingula ſuis locis enumeramus, nunc ea tantummodo perſequentes, quæ circa Rhenum ſunt ac Mœnum

amnes

amnes. *Moguntia*, Maintz/ metropolitana ecclesia, electorali sede, & academia illustris vrbs, Rheno adiacet, vbi is Mœnum recipit. Patrum memoria in confluentiæ angulo munimentum *Gustauiburgum* Suecorum rex posuerat, cum statiua ibidem haberet, quod nunc derelictum collapsumque iacet. Ad Rhenum præterea sita sunt *Elfelda* in tractu Rhingouiensi (Rheingau) & in eadem ripa *Gerlzheim* siue *Gerresheim* inter Oppenheimium & Wormatiam: ad Nahæ confluentem *Bingium*, cui propinqua in medio Rheno est famosa turris, quæ a muribus cognominationem trahit. Ad Mœnum inter Moguntiam & Francofurtum *Höchst*, & remotiora ab flumine *Hofheim* ac *Vrsellæ* oppidula. Quæ supra Francofurtum ad eundem amnem sunt, in Franconiæ quidem fines incurrunt, quod vero propinqua sunt Rhenanis, ad hunc locum enumerationem seruauimus. Caput illorum est *Asciburgum* siue Aschaffenburg prope *Spesharti* silvam, arce & ponte, quo Mœnus iungitur,

tur, exornatum, ſupra quod oppidum *Klingenberga* eſt & *Milteburgum*; infra illud *Seligenſtadium* & *Steinhemium*, parua quanquam & vilioris nominis. Omnium autem oculos ad ſe conuertit, in hoc tractu ſita ad Mœnum S. Imperii libera ciuitas, iam aliquoties a nobis commemorata, *Francofurtum*, Imperatorum electione ac inauguratione, & frequentiſſimo mercatu, aliisq; nominibus celeberrima, inter Franconiæ, Wetterauiæ & Moguntinos fines media.

TREVIRENSIS archiepiſcopatus & electoratus ad Rhenum & Moſellam ſuas poſſeſſiones habet præcipuas, quasdam etiam ad Saram, Bliſſam ac Lanum: alias inter hæc flumina. Ad Moſellam metropolis eſt & electoralis ſedes *Treuiri*, Trier/ vrbs antiquiſſima; infra quam Caſtellum Tabernarum, *Berncaſtell*, & trans flumen Vitelliacum, *Witlich* eſt cum arce ſplendida *Ottenſtein*, ab Ottone archiepiſcopo exſtructa, quæ ſæpe aulam continet; & contra Trarbachum *Mont Royal*, novum Gallorum munimentum ad Moſel-

ſellam: & inferius *Kocheimium*: & *Münſter* cum Meynfeldiæ cognomento, quod ab oppido *Mayen* habet, tractum illum Moſellanum denominante. Vbi Moſella Rheno infunditur, *Coblenz*, Confluentia eſt, cui trans Rhenum munitiſſima arx *Hermanſtein* ſiue *Ehrenbreitenſtein* opponitur. Ad Rhenum ſupra confluentiam *Ober-Weſel*, Veſalia ſuperior, & *Bopartum*, Bodobriga, in ſiniſtra ripa: infra illam *Engers* in dextra: ad Saram *Sarburgum*, de quo ſupra diximus: ad Bliſſam *S. Wendel*, Fanum S. Wendelini: ad Lanum *Limburg* in limite Weſterwaldiæ, ſed intus magis *Montaborium*, Mons Thabor. EIFFALIAE etiam pars ſub dominio Treuirenſis electoris eſt: in qua præter alia oppida eſt *Sleida*, hiſtorici clariſſimi Io. Sleidani patria: reliqua pars Iuliacenſis ditionis eſt: ſed & Comites MANDERSCHEIDENSES ſuas quoque poſſeſſiones in Eiffalia & ipſam arcem *Manderſcheid*, nominis & gentis originem, habent.

COLONIENSIS Archiepiſcopatus

tus & Electoratus secundo Rheni flumine subsequitur, cuius respectu in superiorem & inferiorem, Ober- und Nieder- Stifft diuiditur. SVPERIORIS sunt ad sinistram Rheni ripam *Andernacum*, *Bonna*, sedes Electoris, & *Colonia*, Cöln/ vrbs ampla & imperialis, metropolitana ecclesia, academia, & antiquitatis monumentis clara, cui in altera ripa Tuitium, *Duyz*, tanquam suburbium opponitur, sicut fere Andernaco *Hammerstein* propugnaculum cum paruo oppido; & *Linz*, atque *Vnkel* & *Königswinter*, in eadem dextra ripa inter Andernacum & Bonnam: & paullo remotiora quædam a flumine. Trans Rhenum haud procul a flumine *Brüel*, Brulla, sita est, & in Eiffaliæ limite *Lechenich* & *Zülch* siue *Zulpich*, Tolbiacum olim, aut Tulpiacum. INFERIORIS, & quidem in Rheni sinistra ripa *Zons*, *Woringen*, *Neus*, Nouesium, *Ordingen*, Castra Hordeonis, cum vicino *Lyn*: & tandem *Rheinberga* (quæ & simpliciter *Berck* dicitur) in limite Belgarum: in ripa dextra infra Düsseldorfium *Keyserswertha*, probe

be munita: & iuxta Erpam, fluuium *Hulckrad* prope Nouesium, ac in Geldriæ confinio *Kempen*. Cetera quæ possidet Coloniensis Elector, mox in Westphalia enarrabimus.

Westphalia proxima est, quæ si laxe intelligitur pro Circulo Germaniæ, præter propriam Westphaliam comprehendit Leodiensem quoque Episcopatum, etiam Iuliacensem, Cliuensem & Montensem Ducatus, nec non orientalem Frisiam, Oldenburgensem Comitatum & Ducatum Bremensem. Nos singula persequemur, excepto Leodiensi episcopatu, supra a nobis cum Belgicis prouinciis, inter quas situs est, explicato.

IVLIACENSIS Ducatus, inter Lützenburgicum tractum ab occasu, & Coloniensem archiepiscopatum ab ortu terminatus, a Palatino Neuburgico, controuerso tamen iure, possidetur. Caput eius *Iülich*, Iuliacum est, munita vrbs ad Ruram amnem. Cetera oppida *Düren* ad eundem fluuium, *Berchem* ad Erpam, *Euskircha* inter vtrumque

me-

media: & *Gladbeck* in Geldriæ confinio. Pars EIFFALIAE etiam Iuliacensi agro innexa est, in qua Monasterium *Münster Eiffel*, primarium oppidum habetur. Et vrbs imperialis *Aquisgranum*, Aach/ Caroli M. aula & sepulcro, ac multorum imperatorum inaugurati one nobilis, in tractu Iuliacensi sita est.

Ducatus BERGENSIS eiusdem iuris & possessionis, primariam vrbem habet *Düsseldorffium* ad Rhenum, adhuc aulæ Palatinæ Neoburgicæ sedem: *Mülhemium* ad idem flumen, ex aduerso Coloniæ: *Sigburgum* ad Sigam, sed Rheno proximum & abbatia nobile oppidum. Situs est inter Coloniensem archiepiscopatum & comitatum Marchiensem iuxta Rheni flumen. Inde in septentrionem ad Geldriam & Transisalanam Belgii pertingit

Ducatus CLIVENSIS ad vtramque Rheni ripam positus, ab ortu Monasteriensem episcopatum prospiciens & comitatum Marchiæ. Possidetur ab Electore Brandenburgico, iure cum

Saxo-

Saxonibus controuerſo. Oppida ad Rheni dextram ripam munita ſunt *Weſel*, Veſalia, iuxta Lupiæ confluentem; *Emmerick* prope diuortium, cui Schenkii munimentum impoſitum eſt: *Rees* loco inter hæc medio: ſuperius iuxta Roeram, Weſtphalicum amnem, ſed proxime Rheno infundendum, *Duisburgum* academia ornatum. Trans Rhenum minora oppida *Santen*, *Griet*, *Calcar*; & quod caput regionis eſt, eique nomen dat & Principis arcem, *Cleve* ſiue *Clivia*: munitiora ſunt *Burick* ex aduerſo Veſaliæ, & *Orſoy* prope Reinbergam, qua parte comitatus MVRSENSIS adiacet, ditionis nunc Arauſionenſis, cuius caput *Mœurs*, ſiue Murſa exiſtit. *Gennepum* autem ad Moſam longius remotum oppidum, vbi illa Nierſam recipit, cum arce adiacente & munita, iurisdictionis Cliuenſis eſt.

WESTPHALIA a Ducatu Montenſi, qui ad Rhenum eſt, ad Friſiam vſque & Comitatum Oldenburgenſem late ſeptentrionem verſus extenſa, ab ortu Haſſiam & Brunſwicenſes terras, ab

ccasu Transisalanam Belgicam prospectat. Rigatur *Visurgi*, Weser; *Amisio*, Emse/ *Lupia*, Lippe; & *Rura*. Variis dominis subest. Nam, vt ab iis ncipiamus, quæ cum antea explicatis onnexa sunt, Elector Brandeburgicus, anquam Cliuiæ Dux, possidet Comitaus Marchiæ & Rauensbergæ. MARCHIAE circa Ruram & Lupiam spatiosa egio multis oppidis exculta, e quibus rimaria sunt *Vnna* prope Ruram, & *Werdenum*, abbatia nobile: & ad Lupiam *Hamm* siue Hamona: inter hos luuios *Soest*, Susatum, & occasum versus *Dortmünd*, Tremonia, quondam traque imperiales ciuitates, nunc Susaum Brandeburgicæ ditionis. RAVENSBERGAE comitatus hinc in septentrioem distat inter Lippiensem situs & rincipatum Mindensem. præcipua ius oppida *Bilefeld*, & *Herford* siue *Herwerden*, & hoc insigni abbatia moialium illustre; *Engern*, Angria, Wiekindi monumento famosa: & *Vlota* ad Visurgim: arces cum subditis ræfecturis *Sparenberg*, *Limberg*, & vnde

de nomen comitatui est *Ravensberg* prope fontes amnis *Hesselæ*.

Coloniensi Electori etiam tractus inter Rhenum & Lupiam paret, nempe Ducatus ANGRIAE & WESTPHALIAE cum comitatu ARENSBENSI, in quibus sunt *Arensberg* ad Ruram, *Werla* inter Vnnam & Susatum media, *Gesek*, *Meschede* ad Ruram, *Belik*, *Balue*, *Fredeborg* & alia. Portio inde in occasum sita, (sed Coloniæ & Rheno ad boream & ortum) im Vest/ id est West vocatur, item RECKLINGHVSANVS tractus, cuius sunt *Recklinghusa*, *Hornburg*, & ad Lupiam *Dorsten*. Sequuntur Episcopatus & primum quidem.

MONASTERIENSIS, inter Transisalanam ad occasum: Oldenburgensem comitatum a septentrione: Ravensbergensem ab ortu: Marchiensem & Ducatum Westphaliæ a meridie. Caput *Monasterium*, Münster/vrbs episcopalis & notissima pacificatione illustris: ad Lupiam *Werna*, *Haltera*, *Dulmen*: ad Amisium *Warendorp*: media *Kœsfeld*, *Meppen*, *Vecht*, *Cloppenburg*, *Ahus*, *Telligt*, *Borken*, *Buchold*, & alia. OS

OSNABRVGENSIS hinc in ortum distat. *Osnabruga* episcopalis ad *Hasam* amnem, pacificatione, quam modo diximus, clarior facta: aula episcopi (qui alternis vicibus catholicus & ex domo Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium Lutheranus est) *Iburgi* plerumque sedet altero ab Osnabruga milliario. Cetera oppida sunt *Quakenbrück* ad idem flumen *Hase*; & *Vœrda* inter vtramque fere media. *Mella* ad Elsam: *Hontenburg* ad lacum *Dummerum*: præterea *Forstenau*, & alia.

Plus in orientem ad Visurgim vsque vergit MINDENSIS olim episcopatus, nunc principatus, Electori Brandeburgico Westphalica pacificatione concessus, saluis tamen iuribus *Mindensis* ciuitatis, quæ primaria huius tractus est, ad Visurgim permunita. Oppida subsunt *Petershaga* ad idem flumen: *Berga*, & *Lubbeke* prope Heruordiam, & trans Visurgim *Bargen*, & alia.

PADERBORNENSIS episcopatus in austrum magis & ad Hassiæ fines declinat inter Lippiensem & Waldeccensem

comitatus. *Paderborn* vrbs episcopalis prope *Lipspringam*, quod ad Lupiæ fontes oppidum est. *Warburg* (aliis *Wartberga*) ad Dimelam fluuium. *Beuerunga*, *Drieburgum* cum acidulis, *Dringeborg*; & *Solt-Kotten* a salinis nominatum oppidum.

Abbatia CORBEIENSIS finitima in ortum solis, cuius abbas, imperii princeps, non modo *Corbeiam*, Visurgi appositam, sed etiam *Huxariam*, vulgo *Höxter* ad idem flumen sitam ditione tenet; quanquam Huxaria sub tutela est Domus Brunsuicensis & Lunæburgensis.

Illustres quoque Comitatus in his oris sunt. In finibus Monasteriensis episcopatus Transisalanam versus, comitatus BENTHEMENSIS situs est, cui STEINFVRTENSIS & trans Amisium TEKLENBVRGENSIS accedunt. Oppida *Benthem*, & *Steinfurt* gymnasio clarum, *Schuttorp*, *Northorn*, & *Neobusium* ad Vechtam. In iisdem finibus LINGENSIS comitatus est ab oppido *Lingen* in Amisii ripa, nomen trahens, sub dominio iam principis Arausicani.

DIE-

DIEPHOLTANVS magis inde in ortum distat circa lacum Dumerum; nunc Duci Lunæburgico Cellensi subiectus. Ex oppidis nota sunt *Diepholt*, & *Leuwarten*. Inter hunc comitatum & Visurgim HOIENSIS, ex maiore itidem parte Brunsuicensis & Lunæburgicæ ditionis, nomen ducens ab *Hoia*, ad Visurgim sita, quamuis *Nienburgum* pro capite regionis habeatur. Alia oppida vel arces præfecturarum sunt *Liebenau*, *Diepenau*, *Bruchusa* vtraque *Barenburg*, *Stoltzenau*, *Steigerberg*. At in *Vchtam* & *Freudenbergam* ius habent Hassorum principes Cassellani, quas ipsi Tecklenburgicis comitibus in feudum contulerunt. In austrum post Mindensem principatum subiacet LIPPIENSIS, vbi *Lippia* (Lipstadt) est ad cognominem amnem ue *Lupiam*, oppignerationis pacto Cliensi Duci, nunc Electori Brandenburico, exceptis quibusdam iuribus, quæ itibus manent, subiecta: *Dethmolda* des Comitum, *Lemgouia*, *Vfla*, *Blumerga*. PYRMONTANVS comitatus, ab ppido *Pyrmont* appellatus in hoc et-

iam tractu est, cuius possessio Waldeccensibus comitibus Westphalica pace confirmata fuit. Celebrantur hîc acidulæ, quæ *Pyrmontanæ* cognominantur. SHAVENBVRGICVS autem comitatus Visurgi flumine dissectus, in Westphalica ripa *Rintelium* habet, academia ornatum, ditionis Cassellanæ: in altera ripa *Oldendorpium*, & longius a flumine *Stadhagam* præcipuam comitatus, *Saxenhagam*, arcem *Schauenburg*, denominationis originem, & *Bücken-burg*, sedem Lippiensis Comitis. Hassis quidem Casselanis Germanica pace hic comitatus adiudicatus fuit, salua tamen pactione, quæ inter hos & Lippienses Comites intercedit.

Septentriones & oceanum spectat OLDENBVRGICVS comitatus, cui adnexus DELMENHORSTENSIS, vterque a primario oppido cognominatus, & exstincta nuper familia propria, Daniæ nunc regi hereditatis iure subditus. Oppidum autem *Ieueram*, cum dominio adiacente, haud procul ab *Iad* æstuario situm, ex eadem hereditat

prin

principes Anhaltinæ Seruestani acceperunt; quanquam arx præsidio Danorum teneatur. *Christianiburgum* nouum munimentum Danorum est prope vicum *Varelium*. Propior oceano ORIENTALIS FRISIA siue principatus EMDANVS est, cuius caput *Emda* ad Amisii ostium sita, libertatem præsidio Belgarum tueri perseuerat. *Aurik* autem sedes principis: & *Norda* portu nobilis: præterea *Fredenburg*, *Grietsiel*, & minora alia. *Leer* prope Amisium, vbi Ledam recipit: *Stickhusa* arx munita ad eundem Ledam fluuium.

HASSIA succedit inter Westphaliam & Thuringiam media. Diuiditur in superiorem, quæ Rheno propior; & inferiorem, quæ ad Thuringiam ac ducatum Brunsuicensem vergit, siue, vt ex imperantium familiis atque sedibus nominantur, in *Cassellanum* principatum, qui inferior ratione situs est, licet ordinis prærogatiuam habeat; ac *Darmstadinum*, qui superior. *Superioris* maiorem partem comitatus CATIMELIBOCENSIS absoluit, ceteras Wet-

terauia præbet, & Mons auium, ac finitima loca. Sed comitatus *Catimelibocensis inferior*, qui circa Rhenum est, a principe proprio, ex Cassellana domo oriundo, possidetur. Caput eius *S. Goar*, vulgo *S. Gewer*, Rheno adpositum, cui imminet arx *Reinfelsa*, sedes illius principis: in quo tractu etiam sunt vtrumque *Catimelibocum*, vetus & nouum, & acidulis celebre *Swalbacum* altero a Moguntia milliario. DARMSTADINAE partis est totus comitatus *Superior*, & quædam ex inferiore, cum aliis adiacentibus. Præcipuum oppidum *Darmstadium* aula Principis illustre: a quo ad Heidelbergam *via montana*, die Bergstraß/ ducta, iuxta quam *Zwingenberga* sita; & *Eberstadium*: *Braubach* in inferiore comitatu oppidum cum arce prope Reinfelsam, sed in dextra Rheni ripa: *Rüsselsheim* munimentum ad Mœnum prope Moguntiam. *Vmstad* autem mixtæ iurisdictionis cum Palatinis: *Homburg* vor der Höhe (montes ita vocantur) principi proprio paret ex

Darm-

Darmstadina domo originem ducenti. Adiacet dynastia *Epstein* cum oppido huius nominis & arcibus, ex quibus vero Moguntinus Elector etiam aliquid possidet. In Wetterauia, aut prope illam, *Gissa* ad Lanum academia & munitionibus clara: *Buzbachium* ex quarta parte Solmensi comiti subiectum: *Nidda*, olim comitatus caput: at *Wezlaria* imperialis; etiam *Fridbergæ* castrum, cum aliquot pagis, a nobilibus & liberis familiis possessum, qui sibi præficiunt Burggrauium. Ad Auium montes (Vogelsberg) *Grunberga*, *Vlrichstein*, *Schottena*, & ad Swalmam fluuium *Alsfeldia*, cui propinqua arx venatoria *Rumroda*, vbi præfectura illius tractus est. Ad Ohmam *Homburgum* cum huiusdem fluuii cognomine. Waldekiam versus ad Ederam *Battenberga*: in quo limite etiam est dynastia ITTERENSIS cum oppido *Itter* & arce *Völe*.

INFERIORIS HASSIAE *Cassella* caput, ad Fuldam vrbs permunita & principum sedes: ad idem flumen *Melsunga*, *Rotenburgum*, & *Herschfeldia*, abbatia olim,

nunc principatus nomine insignis. In Fuldensis abbatiæ confinio ad Vierram, vt secundo flumine descendamus, *Vach*, & in Thuringiæ finibus *Trefurt*, ex tertia parte, reliquæ Electoris Saxonis sunt & Moguntini: *Wanfrida*, *Eschwega*, *Allendorfium* salinis notum, *Wizenhusa*: inter Fuldam & Vierram *Spangenberga*, *Lichtenauia* ac *Friedenwaldum*: inter Fuldam & Schwalmam *Homburgum* cum Hassorum cognomento: ad Schwalmam *Ziegenhain*, munitissimum oppidum, quondam caput comitatus cognominis; & *Treisa*: prope Ederam amnem *Gudesberg*, in quo tractu *Frizlaria* dicto flumini imposita, est ditionis Moguntinæ: inter Fuldam & Waldeccensem comitatum *Elsinga* ac *Zierenberg*: Lano alluitur *Marpurgum* academia nobilitatum oppidum, quod cum Gissa & aliis præfecturis, quæ superiorem principatum, das Ober-Fürstenthum constituebant, Ludouicus senior, 1606 sine liberis defunctus, ad agnatos Mauricium Cassellanum & Ludouicum iuniorem Darmstadinum testa-

testamento transmisit. Sed enatæ inde sunt controuersiæ damnosæ, & non nisi ante annos XL transactione finitæ, qua Marp[urgum cum] proximis præfecturis *Rauschenberga, Franckenberga* & aliis ad Cassellanos peruenit; Gissa cum pluribus præfecturis supra enumeratis, atque ita paullo plus quam dimidia Marpurgensis successionis pars Darmstadinis mansit: sed *Ohmaburgum*, siue *Amelburgum*, montanum ibi ad Ohmam oppidum, Electoris Moguntini est.

Comitatus, præter Hassorum ditioni subiectos, multi Hassiam circumiacent, aut finibus illius innexi sunt. Inter Rhenum & Westphaliam tractus est montosus *Westerwald*, in quo plures comitatus se contingunt. Non enim LEININGENSIS modo, qui a *Westerburgo*, eius regionis castro, denominantur, ibi possessiones habet, sed ISENBVRGENSIS etiam, & amplior his NASSOVIENSIS, in duas stirpes dudum prorsus separatas diuisus. Earum vna, ex qua Adolfus imperator fuit, a possessionibus ad

Saram transrhenanis *Saræpontanæ* cognomen ſumſit, ad quam cis Rhenum & in Wetterauiæ finibus pertinet *Idſtein* & *Weilburg*; itemque *Wisbadena*, & prope Giſſam *Gleiberga* in monte, aliaque: altera ſtirps a caſtro & oppido *Dillenburg* generaliter denominatur, in multas lineas diuiſa, quæ omnes noſtro tempore Principum axioma adeptæ ſunt. Ex iis, qui paullo poſt ſæculi ſuperioris initia, Cabilonenſi ſtirpe exſtincta, matrimonii & ſucceſſionis iure Arauſionenſem in Gallia Narbonenſi principatum, & Belgicas poſſeſſiones, quas Princeps Arauſionenſis adhuc habet, adquiſiuerunt. Reliqui *Dillenburgi*, *Hademariæ*, *Sigenæ* & aliis locis ſedes habent. *Naſſau*, vnde nomen eſt genti illuſtriſſimæ, arx diruta cum oppido cognomine in dextra Lani ripa, tertio a Confluente milliario, diuiſi inter familias iuris eſt. At *Beilſtein*, itidem trans Lanum; & tertio a Giſſa milliario *Herborna* gymnaſio clara, Dillenburgenſibus parent, quorum etiam eſt portio comitatus DIEZEN-

ZENSIS cum oppido Diez, in ſiniſtra Lani ripa, Confluentes verſus: altera pars, in qua *Emſe* cum thermis celebratur, eſt Haſſorum Darmſtadienſium.

Supra Darmſtadium, trans Mœnum Franconiam verſus & in ſilua Othonica Comitatus eſt ERPACENSIS, a caſtro cognomine dictus, qui aulam habet *Furſtenauiæ*, & munitam arcem; ſed communis cum Leonſteiniis ſiue Wertheimenſibus poteſtatis, *Breubergam*. WITGENSTEINENSIS ad Lanum cum oppidis *Laſpke & Berleburgo*; SAYNENSIS comitatus pars, vbi *Altenkirchen* & *Fridewald* ad Saxoniæ Duces Iſenacenſes; pars, *Hachenburgum* nempe & *Freysberga*, ad Comitum aliorum familias matrimonii iure translata eſt. WALDECCENSIS autem inter Weſtphaliam & Haſſiam ſuperiorem ſitus *Waldeccam* ad Ederam habet antiquam Comitum ſedem ac nominis originem: *Corbachium* primarium comitatus oppidum: *Wildungam* acidulis nobilem, *Arolſam* arcem & præfecturam, *Mengringhuſam*, *Landau*, *Freienhagam*, & monaſterium

Nezzam, quod Comitum ſepulcra continet. Hunc comitatum ex parte principatum appellamus, forti heroe huius gentis nuper ob merita præclara in principum locum euecto. SOLMENSIS comitatus in Wetterauia poſitus & ab antiqua arce *Solms* dictus, ſecundum oppida *Hungam*, *Laubacum* & *Lichium* ſuos comites diſtinguit. Quibus adduntur *Braunfelſa* munita, *Greiffenſteinium*, & *Rüdelheim*. BVDINGENSIS cum Iſenburgenſi coniunctus, *Budingam* habet ad Semam fluuium: & HANOVIENSIS inter Hasſiam, Franconiam ac abbatiam Fuldenſem. *Hanouia*, Hanau / nitidum munitumque oppidum comitatus primarium eſt: poſt illud *Schlüchter*, *Windecken*, *Bobenhuſa*: ſed *Münzeberga* variæ iurisdictionis. De ceteris ad Rhenum poſſesſionibus in Alſatia dictum fuit. *Gelnhuſa* in Hanouienſi tractu libera & imperialis eſt.

ABBATIA FVLDENSIS, poſt hunc comitatum inter Franconiam & Hasſiam ſita, facile omnium abbatiarum primas tenet.

tenet. Abbas imperii princeps & Imperatricis archicancellarius, *Fuldæ*, vrbe ad cognominem fluuium, ſedem habet, multis præfecturis diues, ſed oppida, quæ ſubſunt, fere ignobiliora, *Geiſa*, *Salmünſter*, ac alia. BVCHONIA alias, ſiue Buchen/ hic tractus appellatur a ſiluis faginis denominatus, inter quem & Haſſiam oppidula interiacent, nobilium equitum poſſeſſiones, vt *Schliz*, & *Lauterbach* cum arce *Eiſenbach*, & pagis circumiectis. *Fiſchbergenſis* præfectura, olim pars abbatiæ, ad Henne-bergiæ dominos oppignerationis iure communiter pertinet.

SAXONIA INFERIOR Ducatus ampliſſimos continet, Brunſuicenſem, Luneburgenſem, Magdeburgicum, Bremenſem, Verdenſem, Holſatum, Meklenburgicum, Lauenburgicum, cum principatibus Halberſtadienſi, Suerinenſi, & Ratzenburgenſi, ac liberis aliquot ciuitatibus.

Ducatus BRVNSVICENSIS & LVNEBVRGENSIS, eiusdem quanquam gentis, diſtincti principatus ſunt, &

Brunſuicenſis in Guelferbytanum, Calenbergenſem (qui nunc Hannoueranus eſt) & Grubenhagenſem ſubdiuiditur. Erat etiam Göttingenſis portio aliquando peculiaris principatus, ex Calenbergenſi deductus: hodie vero ſecundum familias, quidquid huius gentis eſt, dividitur in Luneburgicum Cellenſem, Brunſuico-Guelferbytanum, & Calenbergicum Hannoueranum principatum, ad quem Grubenhagenſis maiores partes referuntur.

GVELFERBYTANI vrbs primaria eſt *Brunſuiga*, ampla nec non munita, 1671 obſidione breui a ſuo principe ſubiugata: *Guelferbytum*, (Wolffenbüttel) bene munitum, aulam principis habet & bibliothecam incomparabilem: *Helmſtadium* vero academiam Iuliam: & *Regia Lutter a* (Königs Lutter) abbatiam præſignem cum ſepulcro Lotharii II, R. imperatoris: *Schœninga* ſalinarum fontes: præterea *Scheppenſtedium*, arx *Heſſem* aliaque oppida & prætoria permulta eo pertinent: ſed hæc in circuitu iuxta Brunſuicum & Helm-

Ielmſtadium: prope *Leinam* fluuium
Gandershemium virginum abbatia illu-
tre: ad Viſurgim *Holzmünda* & paullo
emotius a flumine *Oldendorſium.*

Hinc GRVBENHAGENSIS principatus,
cum Calenbergenſi fere hoc tempore
coniunctus, in occaſum & meridiem
vergit. Ciuitates ſunt *Eimbek* & *Oſte-
roda:* in Herciniæ autem tractu mon-
tana oppidula *Clausthal* prope Celler-
feldam: *Mons Andreæ, Altenau, Elbinge-
roda*, arx *Herzberg*; prælatura *Wal-
kenried*, quam pignoris iure hodie poſ-
ſidet Dux Saxo Gothanus; & cœno-
bium *Ilefeld*, ſcholarum poſt reforma-
tam religionem domicilia: *Argentifo-
dinæ* autem in Hercinia cnm oppidis
metallicis *Cellerfeld, Wildeman, Grund*
& *Lautenthal*, & a ſalinis nominata
Hala Iulia ſub vetuſta arce *Harzburg*,
communes ſunt & diuiſionis ſortibus
exemtæ. *Goslaria* huius tractus ciui-
tas libera & imperialis eſt. Ad auſtrum
Thuringiæ finitima eſt EICHSFELDIA
a longo tempore Moguntini iuris, cu-
ius primarium oppidum *Duderſtadium*
ad

ad *Bodam* fluuium: dein *Heiligenſtad*, *Worbis*, & alia minora.

In CALENBERGENSI ſiue Hannoüerano *Hannouera* ad Leinam metropolis eſt: adiacet eidem flumini ſecundo *Neoſtadium*; aduerſo *Callenberg*, *Northeim* & *Göttinga* Eichsfeldiæ finitima: prope iſtud flumen *Pattenſa* inter Hannoueram & Hildeſiam, & *Wunsdorf*; ad Vierræ & Fuldæ confluentem *Münda*: ad ſiluam Sollingenſem *Vslaria*, *Lauenſtein*: & ad Viſurgim *Bodenwerder* ac *Hamela* munitæ ciuitates.

In Luneburgenſi Ducatu *Luneburgum* vrbs prima eſt, ſalinis diues: *Bardewicum* vicinum, olim peramplum, nunc vicus; *Cella* ad Alleram nitidiſſima & ſedes Principis: ſupra hanc ad eundem amnem *Giſhorn*: inter Cellam & Hannoueram medio ſitu *Burchdorfſum* receſſus principis: inter Albim & Alleram *Vlzen*, & permulta minora oppida, prætoria, ac monaſteria: ad Okeram amnem *Meinerſen*: in Verdenſi confinio *Walsroda* virginum cœnobio ornata: ad Ietzam *Danneberga*, ali-

aliquando principum ſedes: vbi fluuius Albi inſinuatur, *Hizger* ſiue *Hizacker*: ad Luham, vbi Albi confunditur, *Winſena*: ad Albim *Harburgum* cum caſtro egregie munito.

Comitatus qui ad Domum Brunſuigo-Luneburgenſem pertinent ſunt ad Herciniam ſiluam *Blanckenburgenſis*, cui *Reinſteinienſis* coniunctus eſt; oppida *Blankenburg* & *Haſelfeld*, in quo tractu eſt ingens ſpecus ſpectris, vt fama eſt, horribilis, die Baumanshöhle: *Daſſelienſis* ad Sollingam ſiluam ex oppido *Daſſel* nominatus: *Hallermundenſis*, *Ierxheimenſis*, & alia dominia.

Inter Hannoueranos Wolferbytanosque fines epiſcopatus HILDESHEIMENSIS continetur, cuius *Hildeshemium*, eccleſia cathedrali ornatum, vrbs præcipua eſt: cetera oppida *Peina* ad Fuſam, *Alfeldia* ad Leinam, & alia.

Ab ortu Brunſuicenſem tractum Ducatus Magdeburgenſis & principatus Halberſtadienſis attingunt. MAGDEBVRGENSIS quondam archiepiſcopatus, ſed Weſtphalica pace ducatus ditio-

tionis Brandenburgicæ factus, vrbes habet *Magdeburgum* ad Albim, metropolitana ecclesia insignem: *Hallam* salinis prædiuitem ad Salæ fluuium in Misniæ confinio, archiepiscoporum etiam administratorum quondam domicilium: minora circa Salam & Albim oppida *Wettinum*, *Calba*, *Acken*, *Wolmerstat*, *Aluensleben*, *Wansleben*, *Haldensleben*, *Ierichau*, *Sandau*, & alia minoris nominis: ac in Halberstadiensi limite *Stasfurtum* salinis non ignobile, cuius, sicut & *Salzæ* itidem salis fonte celebris, senatus ex equestribus constat familiis, exemplo non vulgari. Iüterbock, Burg & Dam, pace Pragensi exemta oppida, in principatu Querfurtensi referemus.

HALBERSTADIENSIS celebris olim episcopatus, nunc principatus Westphalica pacificatione, Brandenburgico Electori paret situs inter Brunsuicensem tractum ab occasu, Magdeburgensem a septentrione, Anhaltinum a meridie. Oppida sunt *Halberstadium* primarium, *Grüninga*, sedes quon-

quondam episcopi, ad Bodam fluuium, *Aschersleben* ad eundem: *Osterwik* munitionibus cinctum. Etiam pars comitatus *Honsteiniensis*, consistens in dynastiis *Lora* & *Klettenburg*, prædicta pactione huic principatui confirmata fuit, sed in feudum postea concessa Comitibus Wittgensteiniensibus.

Infra Magdeburgicum Ducatum ab Albi ad Visurgim Ducatus BREMENSIS cum VERDENSI est, itidem ex ecclesiastico statu in hanc formam Germanica pace mutatus, & Suecorum ditioni subditus: *Bremæ*, ad Visurgim celebri emporio libertas pristina relicta fuit & eodem fœdere confirmata. In Ducatu BREMENSI autem sunt *Stada* ad Swingam fluuium prope Albim, sedes regiminis nunc Suecici: *Buxtehuda* ad riuum Essam, *Bremervöerda* ad Auwam sedes quondam archiepiscopi: arx *Ottersberga* ad Wemmam: *Carlsburgum* ad Visurgim, recens oppidum, regis conditoris nomen referens: omnia hæc probe munita, nisi quod ipsi Sueci, nuperrimo bello edocti, quorundam mu-

munimenta deieciſſe & ad breuiore
redegiſſe numerum dicuntur.

VERDENSIS ex epiſcopatu principa
tus nunc eiusdem ditionis, metropo
Verda gaudet ad Alleram prope Viſur
gim ſita vrbe: præter hanc *Rotenburg*
ad Wemmam; quibus *Wildeshuſium*
adiungitur in Weſtphaliæ finibus a
Huntam poſitum oppidum.

LAVENBVRGENSIS Saxonum Ducatu
anguſtis finibus circumſcribitur. Eiu
oppida ſunt *Lauenburg* ad Albim, *Möl*
len, a Lubeccenſibus nuper reſtitutum
& arx *Razeburgum*, cum oppido, & ſe
des vltimi Ducis *Neuenhaus*, ac alia
etiam pars *Hadeliæ* tractus inter oſtia
Albis & Viſurgis, vbi *Otterendorp* ad
fines Ducatus Bremenſis eſt: in Bohœ-
mia *Schlackenwert*, & alia eiusdem Du-
cis fuere ex materna hereditate.

HOLSATIA inde per auſtralem
cherſoneſi Cimbricæ partem ſepten-
trionem verſus excurrit in plures partes
diuiſa, Stormariam circa *Storam* a-
mnem; Ditmarſiam ad oceanum: Du-
catum Sleſwicenſem; Holſatiam pro-
priam

riam, & Wagriam ad mare Balticum, FORMARIAE ad Albim eſt *Glückſtadium* t *Wedelia:* ad Storam *Izehoa:* medio oco *Grempa, Bramſteda, Vterſen*, & coaitatus *Pinnebergenſis*, ab oppido *Pinneberga* nominatus: trans Storam *Wileberga* nominatus: trans Storam *Wil'ria* & alia. DITMARSIAE *Lunda* ad Eileræ oſtium, *Heida, Meldorpium, Brunsbütel* prope oſtium Albis. Huius auſtralis pars, vbi Meldorpium eſt, itidem Danorum Regi paret.

SLESWICENSIS Ducatus ad Duces huius nominis, vt feudum Danicum, adhuc pertinuit. *Sleswicum*, caput regionis, ad *Slyam* æſtuarium, cum vicina arce *Gottorf* Ducum ſede: *Glücksburgum* pariter Ducis habitaculum iuxta ſinum Frensburgicum: *Huſum* quoque ad Heueræ oſtium, ex aduerſo inſulæ *de Strand* appellatæ, domicilium Ducum vel Viduarum eſt; *Töninga* ad ſinum, in quem *Eidora* influit, munitionibus clara: *Fridericopolis* in peninſula *Eiderſtadia*, iuxta oſtium Eidora: præterea *Appenrade* contra inſulam Alſen: *Eklenfort* ad ſinum cognomi-

minem: *Suebestadium*, *Gardinga*, & in superioris Iutlandiæ limite *Tondern* ad oceanum occidentalem. HOLSATIAE autem PROPRIAE sunt *Rensburgum* & *Segeberga* Danici iuris, etiam castrum *Christianpreis* siue *Fridrichsort*, cui proximum Kilonium (*Kiel*). habet academiam Ducis Holsati, cui etiam eiusdem oræ subdita sunt alia. WAGRIAE tandem est *Plöena*, Ducum certæ familiæ, sed eiusdem gentis, habitaculum: *Ranzau*, vnde comites nominantur: *Eutinum* sedes Lubecensis episcopi, itidem ex domo Holsata: *Oldesloa* ad Trauam, *Trittouia*, *Oldenborg*, *Neustadium* ad Balticum mare. Sed omnium clarissimæ sunt in his oris liberæ ciuitates ac emporia nobilissima, *Hamburgum* ad Albim, cui Danicus vicus *Altenà* propinquus & quasi suburbanus est; & *Lubecca* ad Trauam amnem, altero ab eius ostio (cui *Trauemunda* portus caussa apposita est) siue a Baltico mari, lapide. Insulæ in hoc mari ad Holsatiam pertinent, ALSEN, angusto freto a continente seiuncta: Ducibus sedes præbent arcibus præcla-

ris.

ris exornatis, *Sonderburgum* nempe & *Nordenburgum*, quibus familiæ celsissimæ discriminantur: & EEMERN, Fimbria, Wagriæ opposita, & his minor ARROE, Fioniæ ab ortu hiberno subiecta. Sed in has quoque insulas ius sibi rex Daniæ vindicat.

Inter Holsatiæ limites & Pomeraniæ medius est MECKLENBVRGICVS Ducatus, qui etiam *Megalopolitanus* dicitur, duobus principibus subiectus, pars nempe occidentalis & Holsatiæ finitima SWERINENSI; orientalis siue Pomeraniam attingens, GVSTROVIENSI, ita enim ab vrbibus, quas inhabitant, denominantur. Illius partis sunt *Swerinum*, quod episcopatum habuit, qui vero Westphalica pace, vti & Razenburgensis, in principatum mutatus fuit: oppido autem *Ratzenburgo*, Lauenburgico Duci manente, præter exiguam partem seu vnum vicum controuersi iuris, quem episcopatus possessor sibi postulat. Præterea Suerinensis Ducis sunt *Bützow*, quod ecclesiam collegiatam habet: *Wittenborch*, *Neusta-*

dium,

dium, *Cribitz*, *Lübitz*, *Parchim*, & ad Albim *Boizemburg*, ac vbi Eldam recipit, *Dömitz* egregium munimentum. Partis GVSTROVIENSIS, *Gustrow* Ducis ſedes, *Swan*, *Teterow*, *Malchin*, *Goldberga*, *Gadebuſcum*, *Plau*, ad flumen cognomine, *Waren* ad lacum: *Ribbenicium* propugnaculum iuxta oſtium Reckenicii fluuii oceano ſe infundentis: item *Stargardum* Vetus, & Nouum *Brandeburgum*. Commune tribunal vtriusque Ducatus eſt *Sternberga* ad Warnam amnem, ſicut *Roſtochii* communis Ducum & ſenatus oppidani academia, quæ ciuitas multis priuilegiis ornata eſt. *Wiſmaria* autem caput Mecklenburgici tractus, portu & mercatura & aliis nominibus inſignis ac munita vrbs, inter Lubecam & Roſtochium ſita, Germanica pace in Suecorum poteſtatem venit.

Hactenus de inferiore Saxonia: ad ſuperioris circulum progreſſuri ab auſtro prouincias repetimus, in quo tractu prima THVRINGIA ab occaſu Haſſiam, a ſeptentrione Brunſuicenſem duca-

ducatum & comitatum Mansfeldensem, ab ortu Misniam & Voigtlandiam, ab austro Franconiam prospicit. Diversis dominis subiecta est, maiori tamen ex parte Ducibus Saxoniæ & Thuringiæ Landgrauiis, æquis fere inter Electoralem & Ducalem lineam portionibus, diuisione nempe post obitum Wilhelmi Ducis, qui solus possedit, ante ducentos annos facta, ita vt Vnstruta amne fere pro termino constituto, quæ ad austrum iacent, Ernesto Electori; quæ ad boream, Alberto Duci tribuerentur, Erfordia in medio relicta.

Vt vero methodi nostræ ductu ab occasu incipiamus, Hassiæ finibus contiguus est Ducatus ISENACENSIS, cuius primaria vrbs & Principis sedes *Isenacum* est, cui arx *Wartenburgum* imminet. Præfecturas habet ad Vieram, *Crainbergam*, arce diruta; & oppida *Gerstungam*, *Berkam* (hoc quidem communis cum Hassiæ Principe iuris) ac *Cruciburgum*: at *Marcksula* est arx venatoria cum pago, vno ab Isena-

co lapide, Vierram verſus. Cetera huius principatus, in Franconiæ ſita limite, in Hennebergia enumerauimus; & alias præfecturas ac oppida in Vinarienſi & Ienenſi tractu dicemus.

GOTHANVS Ducatus a *Gotha* nomen habet gymnaſio clara, ſed celebriori ob ſedem Principis in arce, quæ olim *Grimmenſtein* vocabatur, ſed ex fundamentis reſtituta ab Erneſto Duce laudatiſſimo, melioris ominis cauſſa *Friedenſtein* appellata fuit. Haud procul abſunt præfecturæ ad radices Thuringicæ ſiluæ, arx *Tennenberga* cum ſubiecto oppido *Waldershuſa*; & quæ monaſteria fuerunt, *Reinhardsbrunn*, monumentis Landgrauiorum adhuc conſpicuum, & *Vallis Georgii*: ex altera parte ad Geram *Ichtershuſa*, etiam quondam monaſterium, cui proxima eſt arx *Wachſenburg* cum ampla præfectura: at quæ in oppoſito monte ſita eſt *Mulberga*, fere diruta, ex Saxonica in Moguntinam poteſtatem ante annos xx rediit ſoluto pignoris nexu: tertio monti *Gleicha* incumbit, de qua

poſt-

poſtea dicendum eſt, & ab hac tres iſtæ arces *Gleichenſes* vocari ſolent, quamlibet diuerſæ ditionis. Vno a Gotha milliario ſplendidiſſimum prætorium nuperrime exſtruxit, Fridericus Dux, in vico Erfa, cui a ſuo nomen dedit *FridrichsWerth*. Hinc ortum verſus

VINARIENSIS Ducatus eſt: *Vinaria* ad Ilmum amnem, a comitibus Orlemundanis ad principes translata, per aliquot ſæcula his ſedem præbuit. Arcem in ea nouam & ampliſſimam Wilhelmus Dux noſtra memoria, exſtruxit & a ſe *Wilhelmiburgum* nominauit. Vinariæ ſubeſt *Buttſtadium*, mercatu boum non ignotum, & alia in viciniis minora oppidula: & ex Altenburgenſi nuper Ducatu per pacta Principum decerpta præfectura *Roslavienſis* cum oppidulo *Sulza*, exceptis tamen ſalinarum fontibus, qui Altenburgici iuris manſere, quamquam ægre nunc ab aqua inſipida repurgantur. Erfordiam verſus mille & amplius iugerum lacus eſt, a cygnis nomen ſor-

titus (der Schwan-See) ſed diuiſione fraterna Iſenacenſis ditionis cum circumiectis pagis factus. De Ilmenauia in Hennebergide diximus.

Qui vero nuper IENENSIS principatus a Bernhardo, Wilhelmi Vinarienſis filio, conſtitutus erat, exſtincto 1689 Ioanne Wilhelmo, Bernhardi filio vnico, diſſolutus diuiſione eſt, & *Iena* oppidum cum præfectura, (non autem Academia, quæ communiter a Principibus, vt antea, poſſidetur;) & in ſeptentrionali Thuringia *Alſtedium*, olim Palatinatus Saxonici pars, ex Altenburgenſi Ducatu nuper huc translatum, Iſenacenſibus acceſſere: *Dornburgum* autem ad Salam, arcem & oppidum cum adiacentibus pagis; & arcem *Cappeindorf* cum præfectura, Vinariam verſus; & trans Salam *Bürgellam*, oppidum & præfecturam, Vinarienſes Duces ſorte acceperunt.

ALTENBVRGICAE in Thuringia ditionis ſunt ad Salam *Salfeldia*, abbatia olim imperiali, nunc Gothanæ familiæ Principis ſede nobilis: *Orlemunda*,

da, vbi Sala fluuius Orlam recipit, oppidum, a quo potentes olim Comites nominabantur: arx *Leuchtenburgum* cum subiecto oppidulo *Kala*: & infra Ienam, Numburgum versus, *Camberga*, singula cum præfecturis in vtramque Salæ oram extensis: ad Thuringicam siluam, qua Coburgum itur, *Græfenthal*. Cetera partis Altenburgicæ in Misnia recensemus.

In centro fere Thuringiæ, vt hodie terminos habet, inter Gotham & Vinariam medio itinere sita est *Erfordia* siue *Erfurtum*, vrbs celeberrima, valide munita, & totius prouinciæ maxima, cum pagis multis Moguntino archiepiscopatui subiecta. Arces habet munitas duas, vnam nostra memoria intra mœnia exstructam in monte, vbi S. Petri monasterium est: alteram, quæ a S. Cyriaco nomen ducit, extra vrbem, olim virginum monasterium. Academia Erfordiensis in antiquissimis Germaniæ numeratur. Mediam vrbem amnis *Gera* perluit, qui altero ab ea milliario in *Vnstrutam* defertur. Hic

circa *Mulhuſam* imperialem in Thuringia, ſed prope Hasſiacos fines, ciuitatem ortus, totam inde regionem vario flexu permeans, infra Numburgum Salæ miſcetur.

In tractu hoc quatuor præfecturæ ſunt maiores, quæ ad hodiernam Electoralem lineam, ab Alberto Duce propagatam, diuiſione, de qua diximus, peruenerunt. Primaria eſt in vrbe *Langenſalza* prope Vnſtrutam: *Weiſſenſea* proxima, a lacu nomen habet: *Sangerhuſa* remotior ad ſeptentrionem, & tandem Salam verſus *Eccartsberga*. Iſtæ autem præfecturæ omnes ſubſunt Principi Saxonico WEISSENFELSENSI, ſecundum pacta, quæ cum Electore Saxoniæ habet, ſed huic ſpeciatim reſeruata eſt iurisdictio in Equites, quos *Schrifftſaſſios* vocant, ſiue præfecturis non ſubiectos. Retinuit etiam Elector *Tenſtadium*, oppidum inter Salzam & Weiſſenſeam, & partem oppidi ac præfecturæ *Trefurtenſis*, de quo in Hasſia, in cuius finibus Trefurtum ſitum eſt, prædiximus. Sunt & mino-

minores in Thuringia præfecturæ Principis Weissenfelsensis, *Sachsenburgum*, arx cum pagis aliquot ad Vnstrutam, a Vinariensis lineæ Ducibus superiori sæculo ad Electorem Augustum translata: & inde propius distans castellum *Heldrunga*, nostra memoria fortius emunitum: arx *Wendelstein* cum pagis, itidem ad Vnstrutam; & *Sittichenbach*, quod monasterium fuit: sed hæc ad nouum principatum Querfurtensem, de quo postea dicemus, referuntur.

Hactenus de iis, quæ Ducibus Saxoniæ in Thuringia subiecta sunt: reliqua fere in *Comitatus* describuntur, quorum amplissimus est SCHWARTZBVRGICVS, principatui non exiguo æquiparandus: multa tamen habet clientelæ nexu Saxoniæ Ducibus vtriusque lineæ obstricta, cetera Cæsarei aut Bohœmici iuris, itemque Moguntini. Diuisus hodie est in duas agnatorum stirpes; alterius partem integram nunc tenet, qui *Rudolphopoli* ad Salam (Rudelstadt) arce egregia cum oppido, residet, cuius etiam est ca-

ſtrum *Schwartzburg*, quod genti illuſtriſſimæ nomen dedit, ad amnem Swarzam, prope ſiluam Thuringicam: nec procul inde oppidum *Königſee*, quaſi Lacum Regis dicas, ſitum eſt; tum *Ilmena*, (Stadt Ilmen) ad amnem eius nominis infra Ilmenauiam: dein Salam verſus *Blankenberga* & *Leutenberga*. & iſta quidem in auſtrali Thuringia: in boreali eidem ſubiecta eſt *Frankenhuſa* ſalinis nota; *Heringa* & *Kelbra* in tractu, qui ob fertilitatem dicitur die güldene Au/ Planities aurea. Alterius lineæ portio inter duos fratres hodie diſtributa eſt. Natu maior *Sondershuſæ*, in aquilonali Thuringiæ parte aulam habet, eiusdemque eſt *Ebeleben*, arx a Nobilibus eius nominis redemta, quæ aliquando ſedem comitibus præbuit; & *Greuſſena* prope Vnſtrutam: iunioris aula eſt *Arnſtadii*, meridiem verſus, duobus ab Erfurto milliariis, oppido eleganti cum arce ſplendida: vterque minora alia poſſident: communem habent arcem *Gerenam* (Gehren) cum pagis haud paruis ad

ad ſiluam Thuringicam, feudum imperiale.

Comites STOLBERGENSES in Thuringiæ finibus apud Herciniæ radices *Stolbergam* tenent: quædam eius comitatus a Schwartzburgenſibus pignoris iure poſſidentur: alia Stolbergenſium in aliis prouinciis ſita ſunt, vt *Werningeroda* in limite & diœceſi Halberſtadienſi, feudum Electoratus Brandenburgici: *Ortenburgum* & *Gedera* in Wetterauia: & *Schwarza* in Hennebergico territorio inter Kundorfium & Sulam. HOHNSTEINENSIS Comitatus duas arces & præfecturas habet *Loram* & *Klettenbergam*, & oppidulum *Bleicherodam* in confiniis Herciniæ & Eichsfeldiæ, ſed, quod Weſtphalica pace Halberſtadienſi principatui adiecta ſunt, de iis in Saxonia inferiori egimus.

Familia Comitum GLEICHENSIVM multas olim poſſeſſiones in Thuringia habuit, ſed exſtincta illa ante annos LX, diſtractæ omnes fuerunt. *Blanckenhayn* ſupra Ienam, Ilmum

verſus, arcem & oppidum, feudum Moguntinum, maiori ex parte Comites Hazfeldii tenent: pars litigioſa eſt, vt & *Cranichfelda* inferior ad Ilmum; ſuperior autem Gothano Duci paret. *Rembda* ab exceſſu Gleichenſium ad Duces delata, academiæ Ienenſi ad ſalaria adſignata eſt, ſicut & *Apolda* ad Ilmum, Vicedominorum olim patrimonium. *Ehrenſtein* arcem cum aliquibus pagis, feudum Cæſareum, ante annos fere LXXX Gleichenſes Comites Schwarzburgico Rudelſtadienſi vendiderunt, ſitam haud procul Cranichfelda. *Obrdruſium* oppidum non ſpernendum, ad ſiluam Thuringicam in territorio Gothano, vltimi Gleichenſis Comitis ſedem, Hohenloici ex Franconia Comites obtinuere: TONNAM dynaſtiam, Gothano agro Vnſtrutam verſus finitimam, ex Gleichenſi hereditate per Schenckios ad Waldeccenſes Comites deuolutam, Dux Gothanus Fridericus emtione adquiſiuit, in qua *Tonna Comitum* (Gräfen Tonna) arx cum oppidulo, præcipuus locus eſt.

Ca-

Caſtrum *Gleichen* inter Gotham & Arnſtadium, vt diximus, in monte Mulbergæ oppoſito, feudum Moguntinum, Hazfeldiis collatum eſt, qui Comitum Gleichenſium titulum gerunt perinde ac Hohenloici.

Comitatus BEICHLINGENSIS exſtincta ante ſeſquiſæculum familia, itidem diſſipatus eſt, maiorem tamen eius partem ipſumque caſtellum *Beichlingam* cum pagis plurimis circa Vnſtrutam & Loſſam amnes ſitis, equeſtris, ſed ſplendidisſima Wertheriorum familia in territorio electorali Saxoniæ tenet, clientela tamen feudali Comitibus Stolbergenſibus adſtricta, qui & tributorum partem per conuentionem cum Electore ex iſtis aliisque ſuæ clientelæ locis percipiunt.

SCHENCKIORVM ſiue Pincernarum, de *Tautenburg* cognominatorum, illuſtris familia non multo poſt Gleichenſem exſtincta eſt. Inde *Tonna*, quam ex Gleichenſi ſucceſſione habuerant, ad Waldeccios (ſic pactis cautum erat) vt ſupra dixi, conceſſit;

Tautenburgum & *Brisnitia Dominarum* (Frauen Prießnitz) cis Salam; & *Trebra inferior* vltra flumen, ad Electorem Saxoniæ feudi iure deuoluta, nunc in ditione Ducis Saxonis Numburgensis sunt.

Ordo Teutonicus, de quo in Franconia dictum est, in Thuringia etiam aliquot arces & prædia habet, quas *Commendas*, Teutsche Häuser siue Commentur-Höfe vocant. Quatuor earum cum pagis suis (distractis aliis) BALLIVIAM THVRINGIAE (die Balley Thuringen) hodie constituunt, suntque *Zwezena* ad Salam prope Ienam, Balliuii siue præfecti sedes: & prope eam *Lehstena* in monte: nec procul *Liebstet*, vno a Vinaria milliario: sed *Neilstedt* ad Vnstrutam prope Tonnam est. Elector Saxonicus territorii ius in Ordinis prædia & pagos habet, & præfecti siue commendatores primum inter Equites in comitiis prouincialibus post Marescallum, qui nobilitatis caput est, sedem sumunt: sed ab annis plus quam LXXX Balliuia Thu-

Thuringica alicui ex Saxoniæ Ducibus conferri consueuit. Ad Vnstrutam amnem haud procul Weissensea situm est *Griffstedt*, aliud prædium huius ordinis, quod vero ad Balliuiam Hassiacam refertur.

Imperiales ciuitates Thuringiæ duæ sunt, *Mulhusa*, quam supra memorauimus, in Hassiæ finibus sita: & *Nordhusa*, Herciniam versus in Hohnsteinensis & Schwarzburgensis comitatuum collimitio. Vtraque tamen Saxoniæ inferioris circulo adscribitur.

MISNIA Thuringiæ ab ortu adiacet, vulgari nunc appellatione omnia a Sala ad Albim, & sic non veterem modo Misniam, sed & Plisnensem & orientalem prouinciam, das Osterland und Burggrafftḩum an der Pleiße complectens. Pars occidua duos Episcopatus habet MERSBVRGENSEM & NVMBVRGENSEM. Illius caput *Mersburgum* est, ad sinistram Salæ ripam, cathedrali ecclesia, & olim Episcopi, nunc Administratoris aula insigne oppidum: dicitur & Martisburgum, quamquam ve-

rius a paludibus, quas veteres *Mær* vocabant, quam a Marte nomen videatur accepisse. Reliqua oppida cum præfecturis sunt *Sceudiz* Lipsiam versus: *Lützenum* inter Lipsiam & Weissenfelsam, cruenta Suecorum victoria 1632 nobile: & trans Salam *Lauchstett*, Palatinatus olim Saxonici pars. Regitur hic episcopatus a Principe Saxonico ex domo Electorali, eique parent ex vicina Misnia orientem versus oppida & præfecturæ *Delitsch*, *Zörbigk*, & ad Muldam *Bitterfelda* in Anhaltini principatus confinio. Alterius episcopatus *Numburgum* vrbs primaria est, ad Salam sita, non minus nundinis suis celebris, quam cathedrali ecclesia, cui etiam pars quædam vrbis exemta subiicitur: secunda *Zeiz*, Ciza, ad amnem Elystrum (Elster) episcoporum aula & collegiata ecclesia nec olim ignobilis; nunc noua arce *Mauricioburgo* magnifice ornata Duci Saxoniæ ex Electorali familia, Administratori episcopatus, sedem præbet, cui præter ea, quæ in Hennebergia ac Thuringia diximus, atque

atque mox in Voigtlandia dicemus, in Misniæ oris ad Elystrum *Pegauia* oppidum cum præfectura paret, altero a Ciza milliario Lipsiam versus, singulari titulo antehac ab Electore adquisitum.

Inter Mersburgum & Numburgum ad Salam *Weissenfelsa* siue Leucopetra sita, quæ etiam sedem dat Principi Electoralis familiæ, & arcem habet splendidissimam, a conditore Augusto, archiepiscopatus Magdeburgici Administratore vltimo, denominatam, cui etiam gymnasium oppidi *Augusteum*, & fundationem & nomen debet. Huic præter illa, quæ in Thuringia memorauimus, duæ præfecturæ Cisfalanæ parent, quamuis in conuentu prouinciali Thuringicis accensitæ, *Weissenfelsensis* omnium in his regionibus maxima; ac *Freiburgensis*, etiam satis ampla, ab arce montana *Freiburgo*, prope Numburgum appellata, infra quam oppidum eiusdem nominis ad Vnstrutam iacet, qui fluuius non procul inde Salæ infunditur; & ad hanc pertinent etiam alia minora oppida, *Laucha* ad eundem

amnem

amnem Vnſtrutæ, & *Müchela* cis Salam. Nobilitas autem vtriuſque tractus præcipua Electori Saxoniæ ſubeſt.

Meridiem ortumque verſus ALTENBVRGENSIS Ducatus eſt, Gothanæ nunc ditionis poſt exſtinctam lineam Altenburgenſem anno 1672. *Altenburgum* nomen dedit, celebris ciuitas prope Pleiſſam, arcem capacem habens & ampliſſimam præfecturam, cuius etiam ſunt minora oppida *Smöllen* & *Lucca:* meridiem verſus *Ronneburgum* peculiarem præfecturam conſtituit. Vltra Elyſtrum, ad occidentem *Eiſenberga* arx & oppidum, cui non exigua præfectura adiuncta eſt, Principi ex Gothana familia aulam præbet: contermina eſt alia præfectura inter Eiſenbergam & Leuchtenburgum in Thuringiæ finibus ab oppido *Roda* nomen trahens. Cetera in Thuringia diximus.

Reliqua fere cuncta Miſniæ, ELECTORI Saxonico ſunt ſubdita. Vt a Thuringiæ finibus incipiamus, *Porta*, celebre quondam Benedictinorum monaſte-

nasterium iuxta Salam prope Numburgum,scholam habet e tribus, quæ *Principum* dicuntur, (Fürsten Schule) fere maximam, vbi etiam ecclesiastica præfectura in Nobiles, Electori proxime in hoc tractu, vt diximus, subiectos, exercetur. Inde sex milliarium iter est, per Numburgensem, Weissenfelsensem & Mersburgensem diœcesin ad *Lipsiam*,celeberrimam Electoris vrbem, Pleissæ fluuio adiacentem, qui castello intra mœnia *Pleissenburgo* nomen dedit. Hæc vrbs non solum litterarum studiis & laudatissima academia, sed mercaturæ etiam opibus, & prouinciæ tribunali clarissima, merito inter primas Germaniæ ab exteris etiam connumeratur. In Austrum nunc conuertimur,vt secundo Muldæ flumini adposita perlustrare posſimus. Voigtlandiæ ibi proxima est *Zwickau*, Cygnea,quam Mulda alluit, ciuitas inter quatuor, quæ primariæ in comitiis Saxonicis habentur, post Dresdam, Lipsiam & Wittebergam numerata. In descensu Muldæ infra Schonburgiorum regio-

nem,

nem, de qua post dicemus, *Rochlicium* est: & infra hoc *Coldicium*, vtrumque arce, hoc etiam spatioso viuario insigne: citerior ad Pleissam *Borna* est; sed ad Muldam *Grimma*, vbi schola est Electoralis: vlterius *Leisnicium*, post quod oppidum, minoribus omissis, sequitur ad Muldam *Wurzena*, tribus a Lipsia orientem versus milliaribus, vbi Episcopatus Misnensis regimen habetur; & infra eam *Eulenburgum*, & *Diebena* prope Bitterfeldam, vltimum Saxonici iuris ad Anhaltinos fines oppidum. Adscendentibus iterum ad Bohœmiæ confinia præfecturæ aliæ sunt Electorales, ab arcibus aut oppidis denominatæ, *Schwarzenberga*, *Stolberga*, *Wolkenstein*, & *Lauterstein*, nec ignobile oppidum *Chemnitium* ad amnem eiusdem nominis: nec procul inde arx abest eximii operis, cui conditor Augustus Elector nomen dedit *Augustiburgum*: inferius *Waldhemium* arx & oppidum, dein *Nossena*, arx itidem conspicua cum oppido ad alium *Muldam* ex montibus metalliferis venien-

nientem, qui maiori eius nominis, de quo diximus, poſtea miſcetur. Illi ſupra Noſſenam adiacet *Freiberga*, vrbs egregia, vbi celeberrimæ argenti fodinæ ſunt, arx, Heinrici Ducis, religionis in ſua parte inſtauratoris, a quo Electoralis hodierna Linea deſcendit, quondam ſedes: & templum B. Virgini olim dicatum, in cuius crypta Electorum, Albertinæ lineæ, ſepulcra habentur. Inter alia oppida metallica in hoc montano tractu (das Ertz-Gebirge) ſunt notiora *Annæberga*, *Mariæberga*, & prope Zwiccauiam *Schneeberga*: præfectura vero rei metallicæ Freibergæ exercetur. Infra hunc montium tractum vltra Muldam *Oſchatium* oppidum occurrit cum ſpatioſa præfectura, dein *Miſna* (Meiſſen) ad Albim, quæ prouinciæ nomen dedit, cathedrali eccleſia, eaque ingenua ſiue exemta ab archiepiſcoporum ephoria; itemque Marggrauiorum & Burggrauiorum aulis etiam olim nobilis, nec hodie incelebris caſtello electorali & illuſtri ſchola. Tribus ſupra hanc milliaribus *Dres-*

Dresda vtramque fluminis ripam occupat ponte lapideo iunctam. Electorale in ea palatium tanto Principe dignum, ipsa publicis priuatisque ædificiis, si qua alia Germaniæ, splendidissima, etiam munitissima ac populosa est. Supra illam flumini adiacet Bohœmiam versus *Pirna* oppidum haud spernendum cum arce munita *Sonnenstein*: & in proximo mirandi situs & operis munimentum *Königstein*: in ripa trans fluuium *Hohenstein* & *Mauricioburgum*, arx egregia, Electoris qui condidit, nomen referens. Haud procul absunt hinc Bohœmiæ trans Albim, inde Lusatiæ termini: inter vtrosque Electoralis ditionis sunt *Schandauia*, *Radeberga*, *Bischofswerda*: & *Stolpena*, episcoporum Misnensium olim sedes. Infra Dresdam & Misnam *Mülberga* est clade Ioannis Friderici Electoris, Vinariensis lineæ progenitoris, famosa: dein contermina Saxoniæ, quæ propria dicitur, *Torgauia*, Electorum Ernestinæ lineæ sedes, cum ponte, quo Albis iungitur, & arce prisci quidem operis,

peris, ſed quod dominorum magnitudinem referat. Hæc præcipua Electoralis Miſniæ, prætermisſis minoribus oppidis, quæ anguſtia breuiarii non capiebat.

In Miſniæ finibus prope Voigtlandiam ſunt pauca extra Saxonicam iurisdictionem, quanquam non omnia extra illius potentis Domus clientelam. Circa Muldam ſua posſident SCHONBVRGII Domini ſiue Comites, quorum oppida & arces ſunt *Glaucha*, vno a Zwiccauia milliario, *Lichtenſtein*, *Hartenſtein*, *Waldenburg*, *Penica*, *Wechſelburg* & alia, e quibus quædam Saxonicæ, pleraque Bohœmicæ clientelæ ſunt. *Wildenfelſa* Dynaſtarum quondam eius nominis ſedes, exſtincta illorum gente, ad Solmenſes Comites venit: *Planitium* eſt Promnitii Comitis: at *Wieſenburgum* itidem propinquum Zwiccauiæ, non ita pridem Princeps Holſatus ex Sonderburgica familia, ab Electore emtum poſſidet.

VOIGTLANDIA, vetus, vt creditur, *Variſcorum* ſedes, inter Franconiam

niam ab auſtro,& Miſniam a ſeptentrio
ne & ortu, partem Bohœmiæ itidem ab
ortu hiberno; & Thuringiam ab oc
caſu ſita, *Elyſtro* fluuio, quem fundit
longe ſecatur, in oris etiam Sala &
Mulda alluitur. Variæ iurisdictionis
eſt. Auſtrales enim partes vbi Curia
(*Hof*) & Wonſidelium eſt, Marchio-
ni Bayrutenſi ſubiectæ ſunt, & in cir-
culo etiam Franconico cenſentur: quæ
circa Elyſtrum ſunt, aut ad Muldam
inclinant ac Bohœmiæ fines, iuris ſunt
Saxonici: cetera Ruthenicæ ditionis.
Auſtrales partes in Franconia expoſui-
mus. Quæ Saxonici iuris ſunt, plera-
que Principi Numburgenſi ſubiiciun-
tur, diuiſa in duas præfecturas ad E-
lyſtrum ſitas, quarum inferior ab op-
pido *Plavia*, quod caput iſtius tractus
eſt, denominatur, poſito ad prædictum
flumen, & ſub ſe oppidulum *Pauſam*
continet: ſuperior ab arce *Voigtsber-
ga* nomen accepit, vnde minora op-
pida ius petunt *Adorſium* & *Oelſni-
cium* ad Elyſtrum ſita, & hoc quidem
proximum arci iam dictæ; illud vero
ſupe-

ſuperius prope fines Bohœmiæ. Equites autem huius regionis præcipui, ampla prædia, etiam oppidula nonnulla poſsidentes, (vt *Auerbach*, *Reichenbach*, & cetera,) Electori ſubſunt Saxonico cum aliis paruis oppidis inter Elyſtrum & Muldam ad Bohœmiæ fines ſitis.

Adiungitur huic parti regiuncula a Sala ad Elyſtrum extenſa, orientalis quondam Thuringiæ pars, ſuperiori autem ſæculo a linea Ducali ad Electoralem translata, & nunc Principi eius familiæ Numburgenſi ſubiecta. Tribus præfecturis conſtat, ex quibus minor ceteris, ſuper Salfeldiam in vtraque ripa locis montoſis pagos habet; arcem autem vetuſtam & oppidulum in dextra ripa Salæ, quod a montis ſui figura *Ziegenrück*, Dorſum capræ vocatur. Secunda, quæ ab Orlemündanis Comitibus ad Principes venit, ab arce diruta *Arnshaug* (Arnonis cliuo) nominatur, cui oppidum *Neoſtadium* adiacet ab amne modico *Orla*, cui adpoſitum eſt, cognominatum. Tertia præfectura eſt *Weidenſis*, ab oppido & arce *Weida*

ſic

ſic dicta, ſitis tertio a Ciza lapide, ad eiuſdem nominis exiguum ſamnem, qui infra paullo, prope *Mildfurtum*, quod monaſterium fuit, in Elyſtrum cadit. Minora oppidula, vt *Auma* & *Tripticium*, illud in Neoſtadienſi, hoc in Weidenſi tractu, eiuſdem ditionis Saxonicæ Numburgenſis ſunt. Multæ & heic ſunt Nobilium arces ac prædia, ex quibus *Oppurgum* ceteris eo nomine notius eſt, quod ad Ronouium Bohœmum Comitem cum aliis peruenit, eiusque ſedes eſt, ſitum prope Neuſtadium.

RVTHENICORVM Comitum (die Herren Reußen) reliqua portio Voigtlandiæ eſt. In duas ſtirpes, quas lineas vocant, diuiduntur. Lineæ ſenioris oppidum & ſedes eſt *Græzium* in ripa Elyſtri amnis, inter Plauiam & Geram fere medio loco, cum vicis & pagis illius regionis: iunioris primarium oppidum *Gera* eſt, itidem ad Elyſtrum altero a Ciza milliario ſitum, regimine communi huius lineæ, & gymnaſio nobile, nec non Comitum ſede, ſed hac extra vrbem in arce vicina. Cetera oppi-

oppida ſunt *Schlaiza* inter Elyſtrum & Salam medio ſitu: & *Salburgum* ad Salam; ac trans hunc amnem *Lobenſteinium*, ſingula cum arcibus, in quibus comites diuerſarum familiarum, ſed lineæ, quam diximus, iunioris habitant, præter Salburgum, quod domino defuncto Geranis acceſſio factum eſt.

Hæc ab occaſu Miſniæ: ab ortu LVSATIA (Laußnitz) adiacet in ſuperiorem & inferiorem diuiſa. SVPERIOREM, quæ auſtro & Bohœmiæ finibus inclinat, fere ſex ciuitates conſtituunt, quæ a ſocietatis vinculo die Sechs-Städte vocantur, ſuntque *Budiſſa* ſiue Bautzen / caput prouinciæ, regiminis ac collegiatæ eccleſiæ ſedes ad Spreham amnem: *Görlitium* ad Niſſam, & *Sittavia* ad Bohœmiæ fines: & hæ tres vrbes ceteris ſplendidiores ſunt, etiam ſcholis celebribus inſtructæ: reliquæ ſunt *Löbavia*, vulgo *Lieben*, antiquiſſima inter Hexapolitanas, & in conuentu earum primum locum tenens: *Camentia* ſiue

 Camitz

Camiz in Miſniæ finibus, & *Laubana* Sileſiam verſus. Cetera huius Luſatiæ extra Hexapolim, ignobiliora ſunt. Tota vero antea Bohœmici iuris, Pragenſi pace Electori Saxoniæ collata & aliis deinde pactis confirmata, eidem hodieque ſubeſt.

INFERIOR LVSATIA ſeptentrionem & Brandeburgicas regiones reſpiciens, ſaltim maior eius pars, eodem tempore & pacto, quo ſuperior, ad Domum Saxoniæ Electoralem translata, nunc Duci eius familiæ Mersburgenſi paret, qui *Lübbenæ* ad Spreham regimen prouinciæ conſtituit. Diuiditur in Circulos, a primariis oppidis denominatos, quæ ſunt *Luccau*, *Calau*, *Gubben*, & *Spremberg*: ſolus ille, in quo *Lübben* eſt, de qua iam diximus, ab amnis anfractu Krumſpreeiſcher Kreyß vocatur, in quo etiam arx *Zaucha* eſt, cui præfectura in pagos diſtributa adiungitur. *Forſta* quoque, ad Neiſſam fluuium ſita, certæ partis regimen habet, a Principe ſeu Marchione pendens; Conſiſtorium autem eius

loci

loci cum Promnitiis Comitibus commune eſt. Nam multa in his oris Comites, Barones, Nobiles poſſident, clientelæ nexu Marchioni, nunc Duci Mersburgico, ſubiecti. Sic Promnitiorum ſunt *Sorau* & *Pförten*, inter Neiſſam & Doberum fluuios oppida, aulis ſuorum Comitum exornata, quibus & alia minora parent: & *Sonnenwalda*, Miſniam verſus, eſt Comitis Solmenſis: *Lübbenavia*, Comitis de Lynar. Equites quoque S. Ioannis heic ſuas poſſeſſiones habent (Ordens-Amt) *Friedland* & *Schenckendorf*, ſub Magiſterio Sonnenburgenſi, de quo in Marchia Noua dicemus. Quædam etiam huius tractus ſunt Electoris Brandenburgici, *Cotbuſium* & *Beſcavia* ad Spreham; & *Peiza* munimentis ſuis non ignota. Contra Luſatiæ, ſaltem ſitus ratione, ex vicina Miſnia iunguntur *Dobrilug*, nouum oppidum cum arce & præfectura, cui *Kirchaina* ſubeſt: & *Finſterwalda*, itidem cum præfectura; quamuis nihil commune cum tribunali Luſatiæ habent, ſingu-

 larem

larem quaſi dynaſtiam conſtituentes in ditione Ducis Merſeburgici.

SAXONIA SVPERIOR, eademque PROPRIA, inter Miſniam, Thuringiam, Brunſuicenſem ac Halberſtadienſem Brandenburgicumque tractum poſita diuerſis dominis ſubiecta eſt, in diuerſas etiam regiones diuiſa.

Saxonici iuris eſt primum PORTIO ELECTORALIS circa Albim, cuius caput *Wittenberga* eſt, eidem fluuio adpoſitum oppidum, academia percelebri & reformatæ religionis initio longe clariſſimum, neque male munitum. Minora *Dübena* ad Muldam medio itinere inter Lipſiam & Wittenbergam: *Schmideberga* inter Muldam & Albim: in dextra huius ripa *Brettina* cum arce *Lichtenberga* inter Wittenbergam & Torgauiam: at *Ieſſena*, *Schweinicium* ac *Herzberga* cum aliis, trans Albim in mediterraneis ſunt. Deinde

PRINCIPATVS QVERFVRTENSIS, cuius in Thuringia ac Magdeburgenſi Ducatu mentionem fecimus, atque

Duci

Duci Saxonico Weiſſenfelſenſi eſt ſubditus. Nomen accepit a *Querfurto* in Thuringiæ, Miſniæ & Mansfeldici comitatus confiniis ſito oppido, cum arce aliquantum munita, & præfectura, quarto ab Hala Saxonum milliario. Præter Thuringicas autem, quas diximus, præfecturas, Saxenburgicam, Heldrungenſem, Wendelſteinienſem & Sittichenbacenſem, huc pertinent tria oppida cum circumiacentibus pagis, in totidem præfecturas deſcriptis, longe a Querfurto trans Albim in Brandeburgico huiusque, quam tractamus, Saxoniæ collimitio ſita, *Iuterbocum*, *Thama*, & *Borchum*, auulſa ab archiepiſcopatu Magdeburgico Weſtphalica pacificatione, ſed vltimum nouo pacto ad Electorem Brandeburgicum nuper tranſiit. *Barby* inter Magdeburgum & Salæ confluentem Albi adiacens oppidum cum Comitatus titulo, eidem Principi Weiſſenfelſenſi ſubiectum eſt. Nouus ergo hic Principatus conflatus ex iis partibus eſt, quas Dux Weiſſenfel-

ſenſis poſſidet ad Electoralem domum per ſe non pertinentes.

Nobilis pars huius Saxoniæ eſt etiam ANHALTINVS principatus ad Salam & Albim inter Miſniam a meridie, Magdeburgenſem ducatum a ſeptentrione ſitus. Diuiditur varie ſecundum vrbes præcipuas & familiarum ſedes. *Deſſavia* prope Albim ſita, vbi is fluuius Muldam recipit; *Köthen*, Cothenium, inter Muldam & Salam: *Bernburgum* in ſiniſtra Salæ ripa; & trans Albim *Zerbſt*, Serueſta, vrbes clariſſimæ, ſplendidisſimis arcibus aliisque amœnitatibus inſtructæ, vltima etiam, gemino Lyceo, Reformato Principum communi, & Lutherano Serueſtani Principis proprio. Singulis minora oppida & præfecturæ ſubſunt. Ad Herciniam Siluam vergit comitatus *Ballenſtadienſis*, Bernburgenſi Principi ſubiectus, in cuius finibus *Hazgeroda* ſedes eſt alîus Principis ex Bernburgenſi familia: vnde haud procul abeſt antiqua arx *Anhalt*, a qua nomen gens ſereniſſima accepit. Ad-

Adiacet huic tractui inter Thuringiam & Herciniam, Comitatus MANSFELDENSIS, ab arce montana & adhuc nuper bene munita *Mansfeld*, cui oppidum eiusdem nominis subiacet, appellatus, vnde vno milliario distat *Islebia*, patria Lutheri, oppidum comitatus præcipuum: *Frideburg* ad Salam: *Schraplau* arx & præfectura Querfurtum versus, & alia: sedem autem Comes hodie prope Vnstrutam *Arteræ* in Thuringiæ finibus habet, quod oppidum quondam pars Palatinatus Saxonici fuit, vno lapide ab Alstedia in meridiem remotum.

QVEDLINBVRGENSIS ABBATIA inter Halberstadiensem principatum ab ortu, Anhaltinum a meridie, & Herciniam siluam sita, vrbem habet *Quedlinburgum* ad flumen Bodam, sedem Abbatissæ illustrissimæ, sub clientela Electoris Saxonici.

MARCHIA BRANDEBVRGENSIS proprie dictam Saxoniam, suis prouinciis excipit, terminos a septen-

trione habens Mecklenburgicum Ducatum & Pomeraniam: ab ortu Poloniam & Silesiam: a meridie Ducatum Magdeburgicum, & ab occasu Luneburgensem. Rigatur fluuiis Albi, Odera, Spreha, Hauela, Warta, Netezia, & aliis. Diuiditur in quinque partes, Marchiam Veterem, Nouam, Mediam, Vkeram & Pregniciam.

VETVS Marchia occidentalis est, & Lüneburgensem ac Magdeburgensem Ducatus cis Albim fluuium contingit. Oppida praecipua sunt *Tangermunda* ad Albim, vbi Taugeram amnem recipit: infra hanc *Stendelium* ad Vchtam amnem, vno ab Albi lapide: proximum *Arneburgum* Albi adpositum: & *Werbena*, vbi eidem fluuio, sed ex opposita ripa, miscetur Hauela: in occasum ab Albi recedunt ad Vchtam posita *Seehusa* & *Osterburgum*: inter Vchtam & Bisam *Bismark*: & vlterior *Gardelebia* siue *Garleben*: septentrionem versus ad lacum, *Arntsea*: ad flumen Ietzam *Soltquella* siue *Soltwedel*. Trans

Trans Albim PREGNICIA inter Meklenburgenſem ducatum & Marchiam Mediam ſita, oppida habet *Perlebergam* & *Wilsnaccum* modico ab Albi interuallo: *Wittebergam* autem inter vtrumque flumini proxime adpoſitam: ſed *Hauelberga* ad Hauelam, quæ paullo infra Albi iungitur, quondam epiſcopatu ſuo nobilior. Inde in ortum ſuccedunt *Prixwalcka*, & prœlio notum Suecorumque victoria 1639 *Witſtockium*: caſtrum *Zechlinum* ſedes quondam Templariorum. Adiungitur ab ortu RVPENSIS comitatus in quo ſunt *Rupinum* Vetus & Novum, lacu piſcoſo ſeparata. Vetus, origo comitatus, nunc vicus eſt cum arce: Nouum, oppidum haud ignobile nec immunitum. Alii hunc Comitatum Marchiæ Mediæ accenſent, quæ iam ſequitur.

MEDIA MARCHIA circa Hauelam & Spreham a Luſatia ad Oderam vsque & Vkeram Marchiam late extenditur. Caput fuit, quod nomen toti Marchiæ dedit, *Brandebur-*

gum Vetus, a quo Nouum Hauelæ fluvio diuiſum: ſed illuſtrior hodie vrbs *Berlin*, Berolinum, ad Spream amnem, qui Coloniam, *Cöln* cum fluminis huius cognomine, inde ſeparat. arce fulget ſplendidiſſima, ſede potentis Electoris Brandeburgici. ad eundem fluuium Luſatiam verſus, *Fürſtenwalda* eſt, & vbi is Hauelæ infra Berolinum infunditur, *Spandauia* oppidum cum adiacente caſtro validiſſime munito. Supra Spandauiam eidem Hauelæ adpoſitum eſt *Vraniburgum*, a noua arce aliisque operibus nouo nomine inſignitum, cum antehac *Bozau* vocaretur; inferius ad hunc amnem inter Spandauiam & Brandeburgum *Pozdamum*, Electoris amœniſſimus ſeceſſus: inter Brandeburgum & Hauelbergam *Ratenavia* itidem iuxta Hauelam, a qua tractum hunc *Havelandiam* appellant, das Haveland/ in cuius ora Pregniciam verſus ſunt *Rinow*, & *Friſaccum*, quod inter & Rupinum aliud munimentum, iacet *Fehrberlinum* tum aliunde, tum pro-

proximo bello Suecorum clade perquam notum. Sed prætermiſſis aliis poſt Hauelam ſunt ortum verſus, *Biſenthal*, *Bernow*, *Strausberga*, *Münchberga* & *Beliz*; & ad Oderam *Francofurtum* academia & mercatura nobiliſſimum, infra quam vrbem *Lebuſſa*, eidem fluuio adiuncta, epiſcopatum olim inſignem habuit. *Oderburg* in inſula Oderæ munitum caſtrum, ſed oppidum in ripa ex aduerſo: *Stolpen* ac *Suet* & *Virraden* pariter iuxta Oderam ſita ſunt, ſed Pomeraniam verſus, a latere Marchiæ Vkeranæ.

VKERA Mediæ ex ſeptentrione adiacet iuxta Pomeraniæ fines. *Prenslow* ad lacum Vkeram caput eſt: *Potslow* ibidem; infra lacum *Preſow*, *Granzau*, & in confinio Pomeraniæ *Strasburg*, ac propugnaculum *Löckeniz*. In meridiem vergunt ad alios lacus poſita oppida *Templinum* & *Neoangermünda*: in ortum, ac Oderam verſus, *Stendelichen*.

NOVA MARCHIA ſupra Pomeraniam ab Odera ad Poloniæ fines

extenſa eſt. Munimenta habet egregia, *Cuſtrinum* ad Oderæ & Warthæ confluentem: *Landsberga* ad Wartham, vbi Netezam alium amnem ſuſcepit: *Drieſen* in Poloniæ confinio ad Netezam, vbi Tröga flumine augetur. In occidentali parte, quæ ad Oderæ flexum recedit, *Beerwald, Morin,* & *Soldin* ad lacus proprios: item *Dam, Cüſtrinichen;* ad Pomeraniæ fines *Königsberg,* & magis orientalis *Arenswalda,* vnde in ſeptentrionem adſcendunt *Reez* ac *Schifelheim* & alia; ad Trögam eodem tractu *Kalis, Falckenburg, Drahem.* Regiuncula STERNBERG inter Oderam & Wartham ſita, huic Marchiæ parti adnumeratur. *Sternberga* in meditullio eius poſita, æquali ab fluuiis interuallo, nomen dedit: ad Sileſiæ fines *Reipzig* prope Oderam, *Droſſen, Königswald;* & prope Wartham ſupra Oderæ confluentem *Sonnenburg,* ſedes alicuius Magiſterii Ioanniticorum Equitum, quod, vt nunc eſt, inuito quamuis Ordine, ab Electore pendet.

PO-

POMERANIA Balthicum mare a tergo; Mecklenburgenſem Ducatum ab occidente; ab ortu Boruſſiam; a meridie Marchiam habet Brandeburgicam. Diuiditur generatim per Oderam fluuium in Citeriorem, **Vor-Pommern**, quæ ex fœdere Weſtphalicæ pacis iam in Suecorum ditione eſt; & Vlteriorem, **Hinter-Pommern**, cuius pleraque eodem fœdere Electori Brandenburgico conceſſa ſunt.

Citerior in minores quoque prouincias diuiditur, quæ ab vrbibus earum primariis Bardo, Gutskouia, Wolgaſt & Stetino denominantur: ſed quia non omnes ſubiecta oppida eodem modo diſpenſant, omnia autem vnius iam ſunt imperii nempe Suecici; naturæ ſitum in enumeratione potius, quam aliorum arbitria perſequemur. In finibus ergo Mecklenburgicis prope Reckenicii oſtium *Damgarten* propugnaculum eſt; & in auſtrum recedens *Tribbeſea*; ſed auſtralior vltra Penam *Treptovia* Vetus:

ſupra mare *Gardum*, commerciis olim, quam hodie celebrius: *Stralſunda*, vrbs inclita & munitiſſima, cum portu contra Rugiam inſulam; quæ fortiter ſuſtinuit Auſtriacam obſidionem 1628; minus feliciter 1678 Brandeburgicam: *Gripswalda* itidem munita & academiæ ornamento præclara. Ad Penam fluuium, qui ab occaſu in ortum fertur, *Demminum* operibus ſeptum contra Mecklenburgicos fines: inde ſecundo flumine *Loizia*, *Gutskovia*, & propius Vſedomiæ inſulæ *Anclamum* munitionibus præſtans: *Wolgaſt* vero, vbi fluvius ille, iam freto ſimilis, hanc inſulam claudit, vrbs clara & probe munita: & tandem caſtrum *Penemunda*. Ad Vkeram *Paſſewalka*, *Torgelow* & *Vkermünda*: ad Oderam *Iaſeniz*, *Oderburgum*, & *Stetinum* permunitum emporium, etiam gymnaſio clarum, caput totius Pomeraniæ, ciuitas fide in ſuum regem & fortitudine inſignis, quæ diutius obſeſſa 1677 vix ruinis ſuis, vt ſe dederet, moueri potuit:

tuit: ad idem flumen *Garz* propugnaculum aduersus Marchiam. Interiora in Bardensi tractu *Grimma*, *Franzburg*, *Richtenberga.*

Insulæ citerioris Pomeraniæ, eædemque Suecici iuris, minoribus omissis, tres celebres sunt. RVGIA illarum maxima & occidentalis cum *Principatus* titulo, oppida notiora habet *Putbusium* & *Bergen:* nec non litora diuersis locis communita: VSEDOM Balthico mari a septentrione, & ab austro parte sinus, qui & Iulinam prætendit, conclusa, inter duo ostia, Penæ ab occasu, & sinistro Oderæ, cui *Swinæ* nomen est, ab ortu continetur. Primarium oppidum etiam *Vsedom* appellatur, sinui iam dicto adpositum. WOLLINA siue Iulina in orientem proxima, Oderæ ostiis *Swina*, quod diximus, & *Divenavio* comprehensa: latus australe sinus claudit, das grosse Haf/ per quem Odera oceanum petit: *Wollin* eiusdem nominis oppidum huius insulæ præcipuum est: vtrique etiam ostio munimentum est adiectum.

VI-

Vlterioris Pomeraniæ ſiue Trans oderanæ pars quædam, Oderæ adia cens ab dextra ripa, etiam in Sueco rum ditionem Weſtphalico & inſe cutis pactis venerat: *Dam*, munita vrbs ex aduerſo Stetini, & ſupra hanc *Greiffenhaga* cum ponte munito: infra eam *Caminum*, epiſcopale oppidum. Hunc tractum proximo bello ſuis ſociorumque armis ſibi vindicauerat, Elector Brandeburgicus, qui vero pace, ad Fanum S. Germani in Pariſiis 1679 ſancita, reſtituit Suecis, retenta tamen ad Oderam parua regiuncula. Caput vero Brandeburgicæ ditionis eſt *Stargardum*, operibus firmis circumuallatum, Ducatus titulo olim, nunc electorali ornatum regimine, haud procul a finibus Marchiæ Nouæ, & hac auſtralior *Piriza*: ad Regam amnem *Regenwalda*, *Greiffenberga*, & *Treptovia* Noua: quo pertinent etiam omnia, quæ epiſcopatus Caminenſis, fuerunt. Quæ pars in ortum ſequitur Caſſubiæ, & vltra hanc Venedorum Ducatus nominibus inſigniuntnr.

CAS-

CASSVBIAE præcipua vrbs *Colberga* eſt ad oſtium Perſanti fluuii ſita, portu, & munimentis prædita, etiam ſalinis opulenta & vectigali, ſed hoc diuiſo inter Suecorum Regem & Electorem: ad ſeundem amnem *Belgardum* & *Corlinum*: citra, *Beerwalda*; vltra fontes, *Stetinum Novum*, & propius mari *Caſimiriburgum*, *Zanow*, & ſedes olim Caminenſis epiſcopi *Coslinum*. Caſſubiam ab ortu ſequitur, Ducatus VANDALIAE ſiue Venedorum, das Hertzogthum Wenden / cuius primaria vrbs eſt *Rugenwalda* ad Wipperam haud procul ab oſtio: *Slaga* ad eundem amnem: cis eum *Crange*, *Polnow*, *Rumelsburg*: vltra illum *Stolpa* ad Stolpam cognominem fluuium, & *Stolpemünda* propter oſtium illius. Magis orientales dynaſtiæ duæ ſunt *Lauenburgenſis* & *Pütavienſis*, Polonicæ antea ditionis, ſed ab anno 1667 fœdere & pacificatione Brandeburgici iuris factæ. Oppida illius ſunt mari propinquiora *Lauenburg*, *Smolſin*, & *Lebe*: huius

Bü-

Bütow interius ad mediterranea Borussiæ recedens. Hæ pars fuerunt Pomerelliæ; pars reliqua Polonici iuris manet, & ad Vistulam vsque porrigitur, vt Dantiscum etiam comprehendat: & nunc sæpe sub Borussia censetur, sed de his in Poloniæ regno.

Tandem BORVSSIA, Preussen/ Germaniæ adhæret, quanquam citerior eius pars & Vistulæ proprior in Polonorum potestate est. Distinguitur enim hodie in *Regiam* siue occidentalem, quæ Polonorum est, quamuis a Germanis populis habitata; & *Ducalem* siue Brandeburgicam, quæ Curlandiæ ac Lithuaniæ contermina. Regiam leuiter attingo, penitius in Poloniæ regno perlustrandam. Vistulæ adiacet pars, quæ a *Mariæburgo* tanquam præfecturæ loco nominatur; vbi etiam supra eam *Culmensis*, siue Culmigeria ad Poloniæ fines, interiecta tamen Ducali parte *Pomesania*: post quam tertia pars Polonica *Varmia* siue *Ermelandia*

dia eſt. Vltra has partes incipit BORVSSIA DVCALIS, cuius, inter ſinum vel lacum (das friſche Haf) & amnes Pregelam ac Allam, *Natangia* eſt, & in ea *Heiligenpeil* & *Brandeburgum* prope illum ſinum, ac interius *Cruciburgum*: trans Pregelam vsque ad Curonenſem ſinum, Curiſch Haf/ *Sambia*, Samland eſt, in eaque Regiomontum (*Königsberg*) vrbs Ducalis Borusſiæ primaria, ſplendida arce, laudatisſima academia, munimentis, portu & commerciis clara, & fluuio Pregela quadripartito diuiſa, qui ibidem ſinui, quem nominauimus, infunditur. Occaſum verſus ad eundem ſinum *Fiſchuſa* in parte, quæ *Gleſſaria* a glesſi ſeu ſuccini copia ibi collecti appellatur: & in angulo ad oſtium ſinus *Pillovia* munimentum, quo aditus ex Balthico mari in hunc ſinum cuſtoditur. *Deme* fluuius adiuncta foſſa *Tappiaviam* & *Labiaviam* oppida, coniungit, vt ex ſinu Regiomontano per Pregelam in lacum Curonenſem nauigare posſit.

In-

Inter Polonicas prouincias & a lacu Drauſeno ad Viſtulam vsque recurrit *Pomeſania*, cuius oppida ſunt *Holland* prope lacum; *Mariæwerder* ad *Nagotum* amnem Viſtulæ propinquum; & ortum verſus *Morunga*, *Oſteroda*, *Liebſtadt*, ac alia: in Bartonia *Schippenheil*, *Bartenſtein* ad Allam: & *Iuſterburg*. Quæ hinc ad Lithuaniam vergunt obſcuræ prouinciæ, ſiluis horreſcunt: nec multum cultiores, quæ ab his in ſeptentrionem recedunt Samogitiam proſpectantes, vbi *Tilſe* ſunt & *Rangnitz* in tractu, qui *Slavonia* vocatur: in extremitate lacus Curonenſis, vbi is Balthico mari infunditur, *Memel* ſitum eſt, limitaneum oppidum, cum valida arce & portu capaci, ſatis ex proximo etiam bello notum.

BOHOEMIAE regnum in media fere Germania ſitum, nec minus Germanicis prouinciis ac populis, quam perpetuis ſiluis cinctum, in Germania etiam explicandum eſt. Ab ortu enim habet Sileſiam & Morauiam, alio-

alioquin partes eius regni, si late metimur; a meridie Austriam; ab occasu Palatinatum & Voigtlandiam; a septentrione Misniam & Lusatiam. Dividitur in suos circulos appellationem dante singulorum fere vrbe primaria. In centro quasi sita est caput regni *Praga*, quam *Mulda* fluuius secat diuersus a Misnico huius nominis amne, vrbs splendida ac regum quondam sede, archiepiscopatu, & peruetusta academia inprimis clara, a quo ager circumiacens *Pragensis* circulus appellatur, sed sine oppidis aliis. *Caurzimensis circulus* ad Muldam & Albim est prope Pragam, eiusque oppida sunt *Kaurzim*, *Broda* Bohœmica, & *Brandeisium* cum illustri arce in sinistra Albis ripa: a qua ad Silesiæ fines in septentrionem extenditur circulus *Boleslaviensis*, Buntzlauer Creiß/ oppida eius ad Albis dextram ripam, vbi Gisera infunditur, *Fanum* vetus *Boleslai*, & supra illud *Nimburg*: ad Giseram *Boleslai Fanum Nouum*: at *Friedland* in finibus

bus Silesiæ. *Litomercicensis* in occasum æstiuum declinans, Albis tractum sequitur. *Leitmeriz* ad Albim, qua supra paullo flumen Egram receperat, episcopalis: *Milnik* ad Albis & Muldæ confluentem: *Teplicium* propter thermas non incelebre; prope abest trans Albim & Egram a Misniæ finibus. A Muldæ sinistra ripa incipit *Slaniensis* circulus, vbi *Slany* siue *Slan*, remotius a Mulda. Hinc occasum & Voigtlandiam versus est *Zatecensis*, Saßer-Creiß: ad Egram sunt *Ziateck* siue *Sats*, & *Cadanum*: *Bork* siue *Brück* ad flumen Aussig. Conterminus est *Elnbogiensis*, vti nunc vulgo vocatur circulus, proximus Voigtlandiæ, vbi ad *Egram* amnem sunt vrbes *Elnbogen*; sed *Egra* vrbs, acidulis nobilitata, a circulis regni exemta est. Infra Elnbogiam celeberrimæ *thermæ*, quæ *Carolinæ* a Carolo IV appellantur: post quas *Slackenwerda* in ditione Ducis Saxonis Lauenburgensis: vltra eam septentrionem versus *Vallis Ioachimi*, argenti fodinis nota, sicut

Got-

Gottesgab fodinis ſtanni. Hinc in meridiem vergit iuxta Palatinatus limitem *Pilſenſis* circulus, ab vrbe præcipua & munita *Pilſen* nominatus, Watta & Miſa confluentibus fere cincta. Inde Pragam verſus *Podbracenſis* eſt, & in eo *Beraunum* ad Wattam amnem, ac *Carlſtein* munimentum: *Rakonik* vltra Wattam, etiam tractum denominat: iuxta Muldæ ripam ſiniſtram in auſtrum adſcendit *Prachenſis*, in quo *Piſek* ad flumen *Ottwam* eſt: ab ortu attingit & in dextra ripa *Muldavienſis* circulus, cui *Bechinenſis* coniunctus eſt. Ibi *Tabor*, & longius in auſtrum declinans *Budweis* ad Muldam, munita oppida, ex Huſſitico & aliis bellis non ignota. *Zaslavienſis* heic ad Albim deuergit: *Czaslow* in medio tractu, *Kolin* & arx *Libice* ad Albim & *Teutſchbrod*. *Chrudimenſis*, Morauiam verſus, in quo *Parduwiz* ad Albim munitum oppidum, *Chrudim* autem, vti & *Caſtrowiz*, cis flumen. *Hradecenſis*, Königirt Grätzer Creiß/ ab Albi ad Sileſiam

ſiam procurrit. *Königin-Gräz* vrbs primaria & epiſcopalis, quæ viduis reginis olim ſedem præbuit, hinc Albi, illinc Orlizia prope confluentes adfuſa. *Iaromirs* ſupra eam, etiam Albi & alio amne confluente concluſa: arx autem *Chlumniz* in occaſum diſtat ad amnem Cidlinam, ſuperiori bello cognita. In Sileſiæ finibus eſt Comitatus GLACENSIS cum oppido *Glaz* & aliis, nunc Bohœmiæ accenſitus.

Hæc de Bohœmiæ propriæ regno, hereditario iure nunc Domui Auſtriacæ ſubiecto, cuius clientes ſunt comites, domini, equites ſuis prædiis, quibusdam ſatis amplius, perfruentes. Ad idem regnum pertinet Marchionatus

MORAVIAE, Mähren/ orientem proſpiciens inter Sileſiam ac Poloniam a ſeptentrione, & Auſtriam & Hungariæ partem a meridie. *Olmüz* epiſcopalis a Marcho amne cincta, & *Brinn* cum arce *Spielberg* ad Swartam prope Zwittæ confluentem, præcipuæ vrbes

vrbes & bene munitæ. Ad Marchum præterea *Tobitſchau*, *Kremſier*, infra Olmützium, & *Hradiſch* : & in altera ripa *Oſtrow*, ac munimentum aduerſus Hungariam *Kalitſch* : vltra Marchum *Sternberg*, & *Vngariſchbrod* : cis eum *Proſtniz* inter Olmüz & Kremſier, *Göding*, *Auſpitz* : ad Bohœmiæ fines *Iglaw*, Iglauia, ad eiuſdem nominis flumen ſatis culta & munita; & *Trebiz*, *Ewaniz*, *Kauniz*, a quibus non procul in auſtrum diſtat *Crumlau* : in ſeptentrionem *Meſeritz* : ad *Tegam* fluuium, *Znain* non inelegans : infra amnem Auſtriam verſus *Niclausburg*, *Feldsburg*, *Eisgrub*, & alia, quæ a quibusdam Auſtriæ adnumerantur.

SILESIA quoque a Bohœmiæ regno pendet, & Bohœmiam cum Morauia ab auſtro habet, ſicut Luſatiam ab occaſu ; Marchiam Brandurgicam a ſeptentrione, ab ortu Poloniam. Odera fluuius oblique totam ſecat ab ortu hiberno ad occaſum æſtiuum procurrens. In *ſuperiorem* & *inferiorem* ; & in vtraque in multos principatus di-

viditur, qui a primariis vrbibus nominantur. SVPERIORIS ac orientalis est in Morauiæ Hungariæque confinio *Teschenensis* Ducatus: oppidum *Teschen*, Tessina, trans Oderam ad flumen Elsam, cui in extremo fine *Iablunka* adiacet, validum contra Hungariam munimentum: cis Oderam ad Oppam amnem Morauiam versus *Troppau*, Oppauia, & *Iegerndorf*, Carnouia, amba Ducatuum nomina & minora oppida continentes: ad Oderam *Ratibor* & *Oppeln*, pariter vrbes ducalis dignitatis a longo tempore coniunctos principatus habuere: vtrique subsunt oppida non pauca, maxime ad fines Poloniæ.

INFERIORIS Silesiæ Ducatus sunt *Brigensis*, cuius vrbs princeps *Brieg* ad Oderam est inter Oppeln & Vratislauiam, & in subiectis oppidis *Olaw* præcipuum ad eiusdem nominis amnem, qui Oderæ iuxta Vratislauiam insinuatur. Hinc in austrum inclinant *Neissa* & *Monsterberga*; illa ad fluuium cognominem, munita & aliquando sedes Vratislauiensis episcopi; hæc paullo in occiden

cidentem remota prope fontes Olauii, vtraque Ducatus honore insignita. Neissa etiam *Grotkauiam* cum principatus titulo in ditione sua tenuit, haud procul inde, Brigam versus, sitam: Monsterbergæ, etiam sua sunt oppida, quæ iam præterimus. *Breslaw*, Vratislauia, non tantum principatus sui, sed totius Silesiæ caput, ad Oderam in angulo sita, quem confluens Olauus cum isto amne facit, vrbs episcopalis, sed multæ libertatis, illustri gymnasio ac amplis commerciis clara. Trans Oderam & Weidam *Oels*, Olsna, & *Bernstad* ad Weidam, ambæ Ducum sedes e gente Würtenbergica: cis Oderam, Bohœmiam versus, sunt *Sweiniz*, & *Ligniz*, & inter has media *Iaur*, Iurauia, singulæ vrbes principatuum titulo illustres. Swidnicio subsunt oppida *Striga* siue *Strigouia* ad Polsnicium amnem, vbi terra sigillata effoditur, & metalli fodinis laudatum *Gottsberg*, vltra fontes huius amnis. Ad Iurauiam pertinet *Hirschberga*, thermis vicinis celebrata inter Boberis & Zackæ con-

fluentes, supra quos ad radices monti-um, qui a Gigantibus nomen trahunt (*Riesenberg*) est *Schmidberga*; infra autem hos ad Boberem *Lemberg*, & *Bunzlau*, Bolc-Lauia, patria Martin Opitii; & ad Queissum prope monta na Bohœmiæ *Greiffenberga*, in Lusatiæ confinio. Lignitium vrbem ducalem circumiacent *Goldberg*, *Parchwiz* *Wolstadt*: & trans Oderam *Wolau* cum principatus nomine, sed inserti ple rumque Lignicensi Ducatui. In dex tra Oderæ ripa post Bartschæ con fluentem *Glogau* sita est siue maio Glogouia, munita, in cuius principa tu sunt *Gura* inter Oderam & Bart scham; Gresnam: cis Oderam *Sprot tau*, *Grünberg*, *Neustad*, ac alia. *Saga* itidem Ducalis ciuitas ad Boberi & Queissi confluentes a Lusatiæ fini bus haud longe remota est, cui *Pribu sium* ad Neissam Lusaticum, *Numbur gum* ad Boberim, & alia subiecta sunt *Crosna* autem, etiam Ducatus olim Silesii caput, ab Oderæ & Boberis con fluente cincta, cum circumiecto agro
&

& *Schwibusium*, sunt ditionis nunc Brandenburgicæ. Nec minus in Rateboriensem & Opolensem principatum aliquod ius Brandeburgicis fuit, sed iam tum superiori sæculo interceptum aut turbatum, illique ducatus post alias mutationes, certis pactis Poloniæ Regi, saltim vsusfructus eorum concessus fuit. Olsnensis vt diximus, a Ducibus tenetur ex gente Würtenbergica; Neissensis ab episcopo Breslauiensi: Saganensem post fata propriorum Ducum a Saxonicis adquisitum & aliquamdiu possessum Mauritius Elector, permutatione facta, Domui Austriacæ reddidit, a qua diuersi post hac, tandem princeps Lobkowicius accepit. Reliqui principatus, iam vacui defunctis dominis ad Imperatorem, tanquam Bohœmiæ regem, clientelæ iure deuoluti sunt, vt nuper defuncto vltimo Brigensi Duce 1675 Ducatus Brigensis & Lignicensis cum principatu Wolauiensi. Præterea dynastiæ illustres in Silesia sunt, *Plessensis* ab oppido Plesna *(Plessen)* dictus in

Teſchinenſis Ducatus & Poloniæ confinio, quæ a Promnitiis nunc poſſidetur: *Trachenbergenſis* iam ſub dominio Schafgotſchenſis Comitis, ab oppido *Trachenberg*, ad Bartſcham flumen ſexto milliario a *Breslauia* in ſeptentrionem ſito, appellata: & aliæ.

CAPVT XII.
DE
POLONIA.

POloniæ fines ſunt ab ortu Boryſthenes ſiue *Dnieper* fluuius diſtinguens a Moſcouia: a ſeptentrione mare Balthicum & Liuonia: a meridie iuga Carpati, quibus ab Hungaria ſeparatur: ab occaſu Sileſia, Marchia & Pomerania. Diuiditur in Poloniam propriam & Lithuaniam, quamuis a trecentis hæc annis Poloniæ coniuncta fuit: accedit pars Germaniæ, Pomerelliæ nempe, & Boruſſiæ, quæ Regia appellatur. Diuiſio in maiores prouincias talis eſt:

Polo-

POLONIA MINOR, aliis superior, Silesiæ & Morauiæ contermina, caput habet Cracouiam (*Krackau*) ad Vistulam, vrbem regia arce, academia, commerciis & salis fodinis inclitam: *Sendomiria* ad idem flumen *Vistulæ* siue Weixel / vbi *Sanam* recipit: inter hanc & Cracouiam *Poloniecz*, *Osyk*, *Corczin*. Trans Vistulam, orientem versus *Lublinum* mercatu nobile, *Curow*, *Ocrzka*, *Leneczna*: cis fluuium e regione Cracouiæ *Lipowicz*, *Ilkusch*, *Slaukow*, vbi argenti fodinæ sunt, Sendomiriam versus *Opotow* & *Rakow*, vnde Catechesis Photiniana denominatur. Quæ a quibusdam adnumerantur ex Sepusiensi comitatu, oppida generationis nexu Poloniæ iuncta, in Hungaria, vbi sita sunt, recensebimus.

POLONIA MAIOR a Warta fluuio secatur, spectans inferiorem Silesiam. Præcipuæ vrbes sunt *Posen*, Posnania, ad Wartam episcopalis; *Gniesen*, Gnesna, archiepiscopalis orientem versus: *Sieradia* ad eundem

amnem in auſtrum: *Kaliſch* ad Przoſnam, Sileſiæ propinquius: præterea *Radſchouia*, ad lacum inter Wartam & Viſtulam; *Petricouia* & *Wielun* auſtrum verſus prope Pielszam fluvium. Inter Wartam & Viſtulam regio *Cuiauia*, vbi *Brzeſtye*, *Cutno* & in Viſtulæ ripa *Cawal*, *Wladislawa*, quibus in altera ripa opponuntur *Ploczko*, Plocum, epiſcopale oppidum, & *Dobrzin*. *Maſſouienſis* tractus ab ortu adiacet, in quo *Warſouia*, centrum Poloniæ ad Viſtulam, vrbs ſplendida & comitiis regni & ſæpe regum ſede celeberrima, ſupra quam ad eundem amnem *Czyrkow*, infra eam *Sgaro* & *Wiſchegrod*. Prope Warſauiam eſt *Villa Noua*, nouus hodierni Regis ſeceſſus. Pars orientalis Maſſouiæ dicitur *Podlachia*, (Gallis, *la Polaquie*) in eaque oppida ſunt *Bielka*, *Drogizium* & *Mielknicum*; vlterius in ortum vergit ſupra Lithuaniam *Volhinia*, vbi *Luczko* epiſcopale oppidum, *Woldzimierz*, Wlodimiria, & *Dubna*: vlterior pars ad Boryſthenem ſpectat, in

in qua ſunt *Oſtrog*, & *Conſtantinouia* vetus & noua. Hinc in ſeptentrionem adſurgit inter Boryſthenem & Boruſſiam

LITHVANIAE Magnus Ducatus, cuius caput *Vilna* (die Wilde) eſt vrbs amplitudine & academia & epiſcopatu inſignis, in climate Regiomontis Boruſſici; vicina *Troki*, *Minsk*, *Boryſow*: in meridiem vergunt *Grodno*, comitiis prouincialibus notum, & *Novogrodck*, *Pinsk*, *Nieſwiees*, *Sluczk*, vnde *Slucenſis* Ducatus appellatur: inter quem & Volhiniam eſt regio *Poleſia*. Viſtulam verſus ad flumen Bugum *Brzeſcie*, Breſcium, munitum, ad Boryſthenem *Mobilow* infra Smolensko. *Radzevilienſis* etiam principatus ad Lithuaniam pertinet, cuius ſunt *Bierze*, *Sluczo*, ac alia. Ab occaſu adiacet *Samogitia* inter Semigalliam & Boruſſiam Ducalem, in qua ſolum oppidum *Roſiene* memoratur.

RVSSIA Rubra ſiue Nigra, inter Poloniam minorem & Volhiniam ſupra Lithuaniam in auſtrum decurrit.

Caput *Lemberg*, Leopolis, nobilis vrbs & archiepiſcopalis: ac occaſu adiacet *Premislia*, epiſcopalis: inter vtramque *Iaworow*, quæ noſtra memoria ſæpe aulæ ſedes fuit: in ortum *Zolkiew*, *Zborow*, *Zbaras*, *Buſcow*: in boream *Iaroslauia* ad Sanam nundinis celebrata; *Wiſoccum*, & *Belz*, vnde palatinatus cognominatur, & *Zamoskia* cum titulo principatus: quibus in eodem tractu *Chelmenſis* epiſcopatus & palatinatus adiungitur inter Viſtulam & Bugum ſitus cuius oppidum *Chelm* primarium eſt. Auſtralia ſunt *Stry* prope lacum, qui *Nieſterum* fundit: & *Sambor*; *Haliez* munimentum ad hunc amnem: inde *Stanislowa*, & ad Prutam *Sniatyn* in Pokuciæ tractu, ad confinia Walachiæ.

Poſt Ruſſiam hanc, Walachiam verſus PODOLIA eſt & vlterior VKRANIA quæ vulgo confunduntur. Sed citerior *Podolia* & Walachiæ contermina; *Vkraina* autem, quæ vox limitem & extremitatem ſonare dicitur, quidquid a Bar, Braczlaw & Kiow in-

inter Niesterum & Nieperum ad Pontum vsque est, comprehendit. PODOLIAE itaque sunt *Kaminick*, egregium prope Niesterum amnem propugnaculum, 1672 a Turcis expugnatum, cuius recuperatio in dies speratur: inferius ad hunc fluuium *Mochilouia* & *Chocim* siue *Cochyn*, munimentum in finibus Walachiæ, Turcorum clade 1673 magis nobilitatum. Præterea *Trembowla*, *Iaslomiecz*, *Laliczouia*, *Medzibor*, *Bar* & *Podhaieck* huc referuntur. In Turcorum potestatem venit fere vniuersa Podolia Kaminico capto; præsenti autem bello quædam recepta sunt, vt *Iaslowicium* 1683; alia sequuntur fortunam Kaminicii, arcis & propugnaculi totius regionis.

VKRANIAE est ad Bogum *Braczlauia* munita, vnde palatinatus nominatur, & infra eam *Newkonicpol*: trans flumen *Human* & per Kosakos nuper recuperatum *Niemorow*. Quæ ad Borysthenem sunt *Kiouia* & *Czecherinum* ex proximis bellis notissima oppida in Moscorum potestate sunt: Polonici

autem iuris adhuc ſemper fuit *Biala-cierkiew*, Bialacerqua, inter Kiouiam & Braczlauiam propugnaculum cis Boryſthenem, vbi etiam eſt *Kalnick*. Pauca trans amnem etiam Poloni tenuerunt, nunc vero Moſcouis conceſſa, vt *Loiowogrod*, *Lubiecz*, *Pultawa*, & alia: ſed *Techtimerowa* ad Boryſthenem infra Kiowam, eſt munimentum Koſacorum. Tartari a *Lipku* cognominati, (Lipker Tartern) in his oris ſedem habuere, Polonorum regi territorii iure ſubiecti, ſed pactis inter Turcos & Polonos 1676 ſancitis in clientelam Turcorum tranſierunt. De Koſakis poſt dicemus Ceterum incertæ poſſeſſionis bello durante ſunt, quæ in hiſce limitibus ponuntur, & *Nimerow* Turcis 1678 conceſſum, receptum a Polonis eſt 1683, & plura, ſperamus, recuperabuntur.

Sed ad Germaniam ex hac barbaria reuertimur, in cuius finibus circa Viſtulam tractus Polonici quoque iuris eſt, totus hodie ſub *regiæ Boruſſiæ* titulo com-

comprehenſus, ſed Viſtula flumine verius diuiſus. Pars enim cis amnem, *Pomerelliæ* debetur, cuius caput *Dantiſcum* ſiue Gedanum, gymnaſio inclitum, haud procul ſiniſtro Viſtulæ oſtio emporium celeberrimum eſt: arx autem *Weixelmünda* ad ipſum oſtium: propinquum vrbi monaſterium *Oliua*, vbi nobilis pax 1660 fuit ſancita. Præterea in hac Viſtulæ ripa *Dirſchau*, *Schwetz* & alia: ad mare Caſſubiam verſus *Pautzke*; intus *Schöneck*, *Biſchmark*, *Coniz*, *Kiſchau*, *Stargard*, *Bramberg*, & alia. Ceterum Viſtula tria habet oſtia: ſiniſter alueus retinet nomen: dexter vocatur *Nogat* & infunditur in ſinum dictum das Friſche Haf. Siniſter ſupra Dantiſcum rurſus diſpenſatur, altero alueo Dantiſcum præterfluente in Balthicum mare; altero in prædictum ſinum ſe infundente.

Trans Viſtulam BORVSSIA REGIA continet tres magnas præfecturas, e quibus MARIÆBVRGENSIS ſinum, das Friſche Haf/ contingit, a *Mariæburgo*, inſigni vrbe, ſita ad Viſtulæ alueum orienta-

lem, denominata. *Elbinga* inter dictum ſinum & lacum Drauſenum, non minus celebris & commerciis florens; infra Poſoniam verſus *Stum* & *Chriſtburgum*. Secunda præfectura eſt *Culmigeriæ* ſiue CVLMENSIS, poſt Poſaniam in auſtrum vergens. *Culma* ad Viſtulam vrbs epiſcopalis, caput regionis, ſed epiſcopi ſedes eſt *Culmenſeæ* inde in ortum reducto oppido: ſupra Culmam *Thorn*, Thorunum, ad eundem fluuium, emunitum, & præter alia ornamenta etiam colloquio ibi habito celebratum; infra Culmam Viſtulæ & Oſtæ confluentibus cinctum *Graudentium*: ad Oſtam *Leſſena*, lacu circumdata: *Straſburgum*, Broduitia, & *Golop* ad amnem Drebenzam: *Lubauia* trans amnem. VARMIAE præfectura (*Ermeland*) remotior a Viſtula, ad Samlandiam a Mariæburgenſi præfectura vergit. Oppida eius ſunt *Braunſberga* munita, *Heilsberga* ſedes epiſcopi Varmienſis; & *Frauenberga* ad ſinum Regiomontanum.

In Polonici regni clientela eſt etiam Du-

Ducatus CVRLANDIAE, cum SEMIGALLIA, a ſeptentrione Boruſſiæ oppoſitus, & Balthico mari ac Düna fluuio, quo a Liuonia ſeparatur, interceptus. Curlandia ad occaſum eſt: Semigallia ad ortum, ac Dunam verſus: *Mittau* principis munita ſedes ad Semigalliam refertur, etiam *Pauska* & arces *Doblinum* ac *Neuburg*: citeriora ſunt Curlandiæ propriæ, & *Goldinga*, *Pilten*, & *Schrunden*, omnia Windouiæ flumini appoſita: maritima *Windaw* ad fluminis dicti oſtium, & *Libau*: at *Grubin* paullo remotius a mari. Sed hoc diſcrimen negligitur vulgo, & Curlandiæ dicuntur eſſe etiam quæ in Semigallia ſunt poſita.

CAPVT XIII
DE
MOSCOVIA, TARTARIA EVROPAEA ET KOSAKORVM REGIONE.

MOSCOVIA, olim *Sarmatiæ* & *Scythiæ* Europææ maior pars,

nunc

nunc quoque *Russia* dicitur, sed *Alba*, seu *Magna*, vt ab Russia Rubra seu Minore, Poloniæ prouincia, discriminetur. A Sueciæ & Poloniæ finibus ad Caspium mare & Tartariam Magnam, indeque ad fretum Waigats latissime extenditur. Diuiditur in quatuor magnas prouincias, Moscouiam occidentalem, Moscouiam orientalem, Lappiam Moscouiticam, & Tartariam Moscouiticam. Addi iam potest pars quinta, Moscouia Polonica, siue eæ provinciæ, quæ ad Borysthenem & in Vkraina Moscouis Poloni, etiam recentissima hoc anno facta contra Turcos societate, concesserunt. Singulæ partes in plures Ducatus aut minores provincias dispensantur, quarum pleræque ab vrbibus nomen habent primariis.

In MOSCOVIA OCCIDENTALI caput totius imperii est *Moscau*, sita in Moscouia propria, vrbs maxima cum amplissima arce, Czarorum sede, ad fluuium huius nominis, qui post miscetur Occæ. *Nouogardia* Magna, incolis *Weliki* cognomine, nostris *Neugard*, a Mo-

a Moscua in occasum æstiuum distat ad amnem Volcauiam, qui ex lacu Ilmeno exit: ad eundem lacum *Staroerussa*. In Liuoniæ finibus *Pleskouia*, cum tractu quodam ad Dünam, vbi *Dunaburgum* adhuc Moscoui possederunt: inter Nouogardiam & Moscouiam *Bielki*, *Twer* siue Tuueria, *Reschouia*: in boream a metropoli recedunt *Rostouia*, *Ieroslauia* ad Wolgam, *Bieleiezoro*, *Wolagda*, *Kargapol*, & ad oceani sinum, in quem Dwina exoneratur, Angelopolis, *Archangel*, in dextra ripa siue ostio, emporium celeberrimum: sinistrorsus *S. Nicolai*, ad aliud ostium, etiam emporium sed minus celebre. In ortum a Moscouia vrbe sunt ad Occam *Colomna*, *Resan*, (prouinciæ adhuc caput, sed fere in ruinis iacens, e quibus tamen oppidum vicinum *Pereslaf* videtur enatum) *Cassimogrod*, *Moruma*: inter Occam & Wolgam *Susdal*, *Wolodimier* ad amnem Klesnam. Occidentali Moscouiæ pactis accesserunt, quæ Polonici antea iuris erant, *Smolenko* ad Borysthenem: *Kyow* ad eundem amnem in V-

krai-

kraina; vtraque cum amplo territorio: & interiacens ab ortu *Seueria* provincia, cuius caput est *Nouogardia* cognomine Seueriensis.

ORIENTALIS Moscouia minus culta est. *Nisinonogrod*, siue *Nisencogardia*, quæ & simpliciter *Nisen* vocatur, sita ad confluentem Wolgæ & Occæ, post quem *Wasiligorod* paruum & immunitum: in septentrionali parte ad Dwinæ & Yugæ confluentem *Vstiuga* emporium, & vlterior *Permawelik*, caput regionis *Permski*. LAPPONIA Moscouitica frigoribus horret, & inculta est, nec in ea memorabile oppidum, nisi *Cola*, cuius portum mercatores adeunt.

TARTARIA Moscouitica ad Asiam potius quam Europam pertinet. Cum vero fines Europæ & Asiæ supra Tanaim confusi sint, nec explicatu facile, vbi desinat Europa; quæ Moscouitici imperii sunt, heic adiungere visum est. Tribus autem prouinciis maioribus constant, Tartariæ Magnæ subtractis, *Siberia* in septentrione, vbi *Tobolk* oppi-

oppidum eſt, & hæc ad Obium amnem vſque excurrit: *Aſtrakam* in meridie ſupra Caſpium mare ad Wolgæ oſtia: & media *Caſan* ad Wolgæ in auſtrum deflexionem. De Siberia ſatis ſint, quæ diximus: *Caſan* vrbs magna, Wolgæ appoſita, minore fluuio Kaſanka caſtellum ambiente: caput eſt prouinciæ ſeu regni Caſani, cui ab ortu adiacet trans Wolgam *Bulgaria* Moſcouitica, etiam regni titulo ornata, in quo *Bulgar* vrbem ponunt primariam, ad paruum flumen, quod paullo infra *Kamæ* confluentem eidem Wolgæ miſcetur. Inter Caſan & Aſtrakan ad Wolgam ſunt *Samara*, *Saratof*, *Czaritza*, *Tzornogar*, pleraque munita oppida & præſidiis cuſtodita. Ad diuortia autem Wolgæ & prope oſtia *Aſtrakan* eſt, vrbs magna & valide munita, etiam emporium, ac regni Aſtrakani caput, ad quod etiam *Terki* pertinet, Moſcorum aduerſus Perſiam oppidum extremum, ideoque munitionibus atque præſidiis firmum, in litore occidentali maris Caſpii poſitum, iuxta Circaſſos & Georgios.

Reli-

Religio Moſcouis Græca eſt: patriarcha Moſcuæ ſedet: metropolitæ ſiue archiepiſcopi Nouogardiæ Magnæ, Roſtouiæ, & Caſani: epiſcopi Plescouiæ, Reſani, Colomnæ, Susdalii, Tweræ, Tobolskæ, & Aſtrakani: gens barbara & a litterarum cultura abhorrens.

TARTARIA Europæa ſiue Minor Moſcouiam a meridie attingit, & in tergo Euxini Ponti extenditur ad Tanaim & Mæotim paludem. Non autem vnius nominis Tartari Europæis noti ſunt. In Aſiæ finibus *Kalmucci*, & *Nogaii* Tartari, eorumque multi in regno Aſtrakano & finitimis locis imperio Moſcouorum ſubiecti ſunt: in Vkraina Tartari Lipkouienſes (Lipker) antea Polonis ſubditi; nunc Turcicis rebus ſtudentes; *Czeremyſſi* in Podoliæ finibus: *Budziacenſes* in Walachia: *Dobrucienſes* circa oſtia Danubii: ſed omnium famoſiſſimi *Crimenſes* ſiue *Precopenſes*, qui in cherſoneſo Taurica & vicinis ad Pontum, ac Mæotim locis habitant, Turcorum clientes

ac

ac tributarii, nec non socii bellorum, sicut etiam sacris Mohammedanis coniuncti sunt, quidam solos peninsulæ habitatores ab oppidis illius Crimenses & Precopenses vocant: ceteros, qui extra illam colunt, *Nogaios*, quorum partem Astrakano iam regno dedimus. Chersonesi vrbs primaria est *Baciesaray*, Baccasára, in meditullio posita, sedes Chami siue principis Tartarorum, cui peninsula paret, præter *Caffam*, emporium mari adiacens, quod Turcorum est, loco veteris Theodosiæ situm, aut prope illum: *Krim* oppidum nunc exiguum paullo remotius a mari; & *Precop* siue *Or* in isthmo: *Kerci* ad Bosporum. Extra peninsulam *Nogaii* sparsim habitant & sine oppidis. Supra ostium Tanais *Azac*, aliis *Asow*, est munitum oppidum, quod præsidio tenetur Turcorum, qui infra illud, vbi rursus arctatur æstuarium ante paludem Mæotim, in vtroque litore castella posuerunt, e quibus claudere paludis aditum catena possunt, vt prædatoriæ Moscorum Circassorumque

na-

naues ab Euxino Ponto arceantur. *Tana*, quæ ibidem fuit, teſte Chardino recentiſſimo peregrinatore, nunc in ruinis iacet.

Tartariæ minori iam etiam adiicitur tractus ad Euxinum Pontum inter Boryſthenis & Danubii oſtia comprehenſus, olim Walachiæ pars, in quo ſunt Tartari *Oczacouienſes*, inter Bogi & Tiræ ſiue Nieſteri oſtia, ab *Oczakowa* iuxta æſtuarium Boryſthenis, in quod Bogus cadit, ſito oppido appellati: & *Budziacenſes*, a regione BVDZIAK, quæ vel ipſa BESSARABIA eſt, vel pars eius, cognominati, qui in ponti ora colunt, a Tyra ad Danubium. Oppidum *Beſſarabiæ* præcipuum & munitum eſt *Bialegrodum* prope Tyræ ſiue Nieſteri oſtium, (vnde *Bialogrodenſes* etiam Tartari appellantur) ſub dominio aut clientela Turcorum.

KOSAKI circa Boryſthenem & Tanaim ſunt, & duplicis quidem generis *Zaporopski*, Zaporouienſes, vel ab inſula præcipua Boryſthenis *Saporouia*,

via, vel a gradibus & scopulis eius communiter, quos barbara vox sonare dicitur, ita appellati, qui habitant in insulis Borysthenis ac tractu Vkraniæ Kiouiensi sub tutela regni Poloniæ: & Kosaki *Donskii*, Donische Kosaken/ insulas Tanais qui hodie *Don* vocatur, incolentes, & hi ad imperium Moscouiticum pertinent. Vtrique maximis vtuntur priuilegiis, habentque suas leges, suos magistratus & militiæ præfectos: etiam olim Poloni suis munimentum *Techtimirouium* ad Borysthenem situm concesserant, quod cum postea ereptum irent, & nouum, quod *Hudak* vocatur, ad compescendos illos in eadem ripa exstruerent; bellum Cossacium ortum fuit, vix tandem post mutuas clades memoria nostra consopitum. Defecerunt aliquando ad Turcos, sed nunc retracti in fidem & societatem Polonorum. In sacris Græcorum ritus & instituta sequuntur.

CAPVT

CAPVT XIV
DE
WALACHIA, MOLDAVIA ET TRANSILVANIA.

DAciæ veteris hæ partes ſunt, olim Hungariæ regno coniunctæ, poſt auulſæ & in Turcorum clientelam abreptæ. Termini ſingularum admodum confuſi & in vulgatis libris ac geographicis tabulis turbati ac peruerſi ſunt. *Moldauiam* enim loco Walachiæ ponunt, Ruſſiæ Rubræ conterminam, quæ tamen auſtralior eſt & Danubium attingit; contra in Moldauiæ loco conſtituunt *Walachiam*, quæ Polonicis prouinciis propinquior eſt, vti ex horum temporum bello, inter Polonos & Turcos geſto, didicimus; etiam Baudrandus ex Polonico legato, aliisque incolis huius regionis.

WALACHIA itaque, diſtincta a Moldauia, quam laxiore ſignificatu comprehendit, a ſeptentrione Ruſſia Rubra

Rubra & Podolia, ab ortu Bessara-
bia; a meridie Moldauia, ab occasu
Transiluania terminatur. Fluuius *Prut*
mediam quasi secat, qui in austrum de-
currens Danubio miscetur. *Iass* siue
caput regionis est ac sedes Hospoda-
ris siue principis, cui Walachia, quam-
uis sub Turcica clientela, adhuc sub-
iecta fuit. *Sorock*, *Niemiec*, & *Ro-
man*, munita: *Stephanowiza* ad flu-
uium Prut: *Chuzkau* siue *Sozkowa*,
etiam aliquando principis sedes; dein
Zutnien, & alia oppida obscura, saltim
Germanis inaudita. Fluuius *Dunay*
præsenti bello memorabilior factus.

MOLDAVIA hinc in austrum
iacet & Danubio terminatur. Oppi-
da eius sunt *Bucoresta* munita sub
Turcico præsidio: *Tergouisco* ad *Ialo-
nizam* fluuium sedes principis: inde
in septentrionem *Backow*, Bachouia,
episcopalis, quæ male Brascouia in
tabulis dicitur: *Ialoniza* ad eundem
huius nominis amnem, sed longius
in austrum reducta: *Longenouia* Tran-
siluaniam versus: *Arcin* ad Alutam:
N iux-

iuxta Danubium *Zorza*, *Briolanum*
Flox, & alia.

TRANSILVANIA nostris Si-
benbürgen / quasi Septemcastrensis
septem *burgis*, Walachiæ & Moldau
ab occasu adiacet ad Hungariam
que extensa, cuius & ipsa olim pa
fuerat. Nunc suum principem hab
Austriacæ clientelæ, quam nuper p
ter eius pro Turcica resumsit. Rig
tur regio ab ortu *Aluta*, vulgo *A*
flumine; ab occasu *Mariso*, nu
Marocz vel *Merisch*; in quem *Cok*
medio tractu decurrens, se insinu
sicut *Samus* seu Zamos in Tibiscu
siue *Teisse*. Vrbium caput est *H*
manstadt siue Cibinium, (vnde
Zeben dicitur) ad paruum amnem
tum, qui paullo infra Alutæ mis
tur: vrbs insignis & munita est,
sedes principis. Trans Alutam
finibus Walachiæ, *Brassouia*, nos
Cronstadt, quasi Stephanopolis,
tractu qui vocatur *Burzland*. Ad C
kelam fluuium *Schesburg*, Segeswar
& *Medwisch*, Mediesus: ad Maris
W

ʳeiſſenburg, Alba Iulia, ſedes aliquan-
) principis, etiam gymnaſii, quod
ıyedinum dicitur translatum eſſe:
;ope ab altera ripa ortum verſus ab-
t *Millenbach*, Zabezus. Poſt Mari-
m, Hungariam verſus *Coloſwar* ſiue
'auſenburg, Claudiopolis, & longius
ı ſeptentrionem remota *Nöſen* ſiue
iſtritium probe munitum. Hæ ſunt
læ præcipuæ vrbes, quæ in Tranſilua-
ia laudantur, Germanorum coloniæ;
ıas minora oppida circumiacent,
:iam non pauca munimenta. Vltra
lutam ſunt *Fogaraſch* & *Terzwar*
ıunitionibus valida in tractu, qui
'urzland vocatur, cuius etiam *Braſſó-*
ia. Inde ad ſeptentriones eſt regio,
uæ ZECK vocatur & incolæ *Siculi*,
ecfler/ Scythicæ, vt putatur, origi-
is homines, multis pagis ac oppidis
abitantes, e quibus *Neumarck* præ-
ipuum eſt; & ab his dicuntur ſeptem
urgi eſſe conditi, qui nomen regioni
edere, *pagi* alias Siculorum dicti,
.gr. *Sepſi*, *Orbay*, *Kezdi*, *Kaczon* &
etera. Inter Cibinium & Zabeſum
N 2 *Mons*,

Mons, *S. Michaelis*, & probe Marisi
Hunniad, montanæ munitæque arc
inter Millenbacum & Hunniad
Saswaras siue *Bros* ad Marisum:
eodem tractu inter hunc amnem
Alutam vicus *Varhel*, ruinis Vl
Traianæ & Romanæ antiquitatis re
quiis, quæ in agro illo adhuc visi
tur, illustris. Prope Albam Iulia
Enyedinum & *Zlatna* sunt, illud gymn
sio principis, vt diximus; hoc au
fodinis celebratum, sicut, quod in
in septentrionem longius distat *N*
stadium ad Hungariæ fines, fodinis a
genti. Inter Colosvariam & Alba
Iuliam *Torda* siue *Tera*, aliis *Tornbu*
ad Sanum *Burglos*, cui *Viwar* propi
quum in paludibus est: in australi pa
te Temeswariam versus fauces sun
quas *portam ferream* appellant.
Transiluaniam etiam ex vlteriore Hu
garia sæpe referuntur, aliquando a pr
cipe Transiluano possessa, *Varadinu*
propugnaculum famosum, *Etsche*
quod sepulcra habet principum, etia
Ragozkii vltimi; & alia, de quibus
Hungaria Superiori dicemus.

Incolæ Transiluaniæ sunt præter Si-
los Scythas, quos memorauimus,
rmani siue Saxones, atque Hun-
ri: vrbes præsertim, eæque prima-
:, a Germanis habitantur. Quod
sacra attinet, ciuitates pleræque
theranæ religioni; nobiles Refor-
ıtæ, vt plurimum, addicti sunt: im-
xti etiam sunt multi Photiniani ad-
, vt ecclesias etiam, & scholas adhuc
Transiluania habuerint.
Transiluaniæ in austrum vsque ad
nubium tractus subiacet, quem du-
ıs sis, cui regioni, Hungariæ an Tran-
ıaniæ adscribas. Sunt hîc portæ,
ibus aditur Transiluania, vulgo Ei-
thor vocatæ. Ad Danubium *Orsa-*
, dubiæ in bello, quod nunc geritur,
sessionis.

CAPVT XV

DE
HVNGARIA.

Hvngaria, vt nunc sunt limites,
Austriam atque Stiriam ab occa-
, a septentrione Carpatos montes,
 (Cra-

(Crapak vulgo) quibus a Polonia d
viditur : ab ortu Transiluaniam : a
austro Drauum flumen habet Slauoni
disterminatorem. Per Danubium, d
viditur in *Superiorem*, a sinistra ripa a
Poloniam vsque procurrentem : ac *I*
feriorem, quæ ab altera ripa ad Cro
tiam ac Sclauoniam extensa est. Quan
vis autem vsus fere obtinuerit, vt tr
ctus tantummodo Carpatis montibu
vicinus superioris nomine plerumqu
appelletur ; malumus tamen termino
sequi, quos ipsa natura constituit.

SVPERIORIS Hungariæ siue *Tran*
danubianæ ex Austria venienti prim
vrbs est *Presburg*, Posonium, per se
quisæculum fere caput regni post ami
sam Budam, decimo a Vienna milli
rio in ripa Danubii sinistra, qui fiss
ibi incipit maiorem insulam, qu
Schütt vocatur, complecti. In
quarto in septentrionem milliario *M*
dora oppidum ; ac ortum versus *Tyrn*
Tirnauia, ad flumen eiusdem nomin
munita, & sedes archiepiscopi ac cap
tuli Strigoniensis, quoad Strigonium
pot

testate Turcorum fuit: & ad Wagam
entſchin, *Schinta*, & medio inter
c loco nouum munimentum *Leo-*
dinum, Leopoldſtadt/ ex aduerſo *Frey-*
delii in altera ripa ponte coniuncta
i oppidi: ad *Nitriam* amnem *Neu-*
a, Nitria, epiſcopalis, & infra
am *Neuhaſelium* validius munitum,
eptum a Turcis 1663, recuperatum
Cæſareis 1685. *Granus* fluuius ſequi-
r, cui in montanis, vbi natus fuit,
emnitium adpoſitum eſt; vbi Danu-
o intimatur *Barkanum* adiacebat,
iper Turcis ademptum æquatumque
lo. Nunc illum tractum relicto
anubio perſequemur, qui a montibus,
etalliferis præſertim, denominatur,
e Berckſtädte. Poſt Grani fontes,
euſol, *Altſol*, & inferius *Schemniz*;
ngula quodammodo munita: ſuper
a *Keiſermark*, vulgo *Käſmark*, in
oloniæ finibus prope Patakinum, &
Sepuſienſi comitatu (vulgo *Zyps*),
eudorff, *Wahlendorff*, *Lubowla*, *Don-*
ersmartk, & ad Wagam *Bela*, quæ
um aliis eius comitatus (XIII enim
N 4 nu-

numero ſunt) vetuſto nexu oppigne-rationis Poloniæ regno ſubiecta ſunt. Regiæ autem, vt vocantur, & liberæ ciuitates ſunt *Eperies* ad Taroczam fluvium, celebris nuper gymnaſii, ſed breui poſt ortum tempore exſtincti, ſedes: & vbi is fluuius Hernatho ſiue Kunnertho coniungitur, *Kaſchau*, Caſſouia, firmis munitionibus cincta & caput ciuitatum ſubmontanarum: *Leutſch*, Leutſchouia, in Sepuſienſi, & *Bartfeld* ſiue *Bartfan* in Poloniæ finibus: *Czeben* autem harum minima altero a Leutſchouia milliario. Infra Leutſchouiam in auſtrum Altſolum verſus ſubiacet *Zipſerhaus*, Zapolia, *Roſenau*, *Muran*, *Torna*, *Dewyn*, *Villeck*, in cuius expugnatione 1593 Tarich repertum fuit, quod Schickardus interpretatus eſt: inde Caſſouiam verſus *Karpen*, Carponia, & *Sepſi*: inter Caſſouiam & Agriam *Zatwar* ac *Putnock* ſiue *Botnack*. Infra Altſolum *Schemnitz*; at Danubium verſus prope Granum amnem *Leuenza* ſiue *Lewa*.

Poſt

Poſt Grani oſtium *Nouigradum* tertio a Danubio lapide: *Erla,* Agria, 1687 deditione Chriſtianis reddita: *Onoth* ad confluentem Tibiſci & Hennertæ: ſupra Agriam *Zendre,* ad Bolduam; infra illam *Hatwan,* a Turcis nuper deſertum, quinto circiter a Buda milliario. Inter Granum & Budam in Danubio *inſula Andreæ,* & contra eam ſiniſtro alueo adpoſita *Waizen,* Vacia, epiſcopalis, præſenti bello deſolata: poſt Budam inſula *S. Margarethæ* ſiue *Rätzenmarck,* ſupra quam *Maroz* vicus: infra autem *Colocza,* id eſt *Ad Statuas Coloſſas,* archiepiſcopalis vrbs. Ad *Tibiſcum* fluuium, vulgo die Teiſſe, vbi is prope a Danubio abeſt, cui miſcebitur, *Titul* ſitum eſt: ſuperius in eadem ripa *Segedinum* : & vltra, vbi idem fluuius Zagywan ex Hatwano defluentem recipit, *Zolnock,* ſingula a Chriſtianis præſenti bello recepta; & rurſum ſuperius in eadem ripa, vbi Bodrocho augetur, munitum oppidum *Tokay,* cuius ager vini fertilitate celebratus eſt, ditionis chriſtianæ ſiue

N 5 regiæ:

regiæ: inde ortum verſus ad amnem Samum ſunt *Samosuibar*, & aduerſus Transſiluaniam propugnacula *Zatmar* & *Kalo:* poſt Tibiſcum infra Tokayum *Debrezin:* inter Caſſouiam & Tibiſci fontes ad Carpati radices *Monkatſch*, validiſſimum munimentum, quod Tökelianum præſidium poſt longam obſidionem Cæſareanis tradere coactum fuit: ibidem *Vngwar*, & *Beſſarmin:* inter Samum & Chryſum (vel *Köröſch*) qui *Waradinum* alluit, *Zeckelheida*, firmiter quondam munita, pacis fœdere 1664 deſtructa, inter quam & Waradinum *S. Iob* nuper Turcis ademta munitio: ipſum *Waradinum*, noſtris Großwardein/ Tranſiluaniam verſus ſitum oppidum, cuius arx munitiſſima vehementem Cæſarianorum obſidionem ſuſtinet: infra Waradinum *Gyula* adhuc a Turcis poſſeſſa, & ad Tibiſcum *Czongrod*, & vbi is Mariſum recipit, *Chonad* ex aduerſo Segedini: modico ab amne interuallo *S. Nicolai*, ex aduerſo Zolnocci: ad Mariſum *Arath*, *Lippa* a Chriſtia-

ſtianis recuperata: & *Ienö* in finibus Tranſiluaniæ: & infra hæc ad flumen Tömös *Lugos*, & *Karanſebes* in finibus Tranſiluaniæ auſtralis, itidem chriſtianæ nuper ditionis facta: ſed permunita vrbs *Temeswar*, ad eundem fluuium, Turcorum præſidio tenetur.

In Hungaria INFERIORI & *cisdanubiana* a finibus Auſtriæ poſt lacum *Peiſonem*, Neuſiedler See / in tractu ripenſi Danubiano ſunt, & quidem ad oram *Schüttæ* maioris inſulæ *Altenburgum*, cum Hungariæ cognomento, & vbi pars Danubii inſulam circumfluens *Rabum* amnem recipit, *Rab*, Iaurinum, æque firmum propugnaculum, ac *Comora* in angulo inſulæ orientali, vbi ex aduerſo *Waga* fluuius Danubio ſe intimauerat. Inter inſulam & Strigonium prope Danubium ſunt *Dotis*, ac auſtrum verſus oppidum cum arce munita *Martinsberg*: Strigonium autem, vulgo *Gran*, vrbs archiepiſcopalis Danubio, vbi ex aduerſa ripa Granum flumen recipit, proxime appoſita, & Turcis 1683 erepta. Inter

Strigonium & Budam ſupra *Andreæ* inſulam *Vicegradum*, arx in excelſo monte iuxta Danubium, nunc eiectis Turcis in Chriſtianorum poteſtate; oppidum vero ſubiectum, eiusdem nominis, in ruinis iacet, quod nitidum olim & ſæpe reges palatio amœniſſimisque hortis excepit. Dein *Buda*, vulgo *Ofen*, vrbs regia & caput totius Hungariæ, 1686 operoſa obſidione a Cæſareis ſociisque exercitibus recuperata, ponte coniunctum in altera ripa *Peſtum* habet, paruum quidem, nec tamen immunitum oppidum. Infra Budam vnius horæ itinere abeſt inſula, quæ *Ratzenmark* vocatur & *S. Margaretha:* & poſt illam in eadem ripa *Bendola*, & infra Coloſſas *Tolna:* inde *Sarwitz* fluuius Danubio miſcetur, & poſt illum *Caraſſus*, in quo periit rex Ludouicus: inter hunc & Drauum itidem in Danubii ripa *Mohatz*, infelici prœlio, quo rex ille victus fuit, nobilitatum oppidum.

Et hæc iuxta Danubii oram: in medio autem inter Danubium & Drauum

tractu

tractu prope Auſtriæ confinia vno a lacu Peiſone (Neuſidler See) milliario abſunt *Eiſenſtadium* & *Oedenburgum*, Sempronium, vulgo *Sopron*, & hoc quidem pari interuallo a Vienna & Poſonio: *Güntz* ad lacum cognominem inde in meridiem vergit, & longius apud Rabi fluminis deflexionem *Kerment*, & Fanum *S. Gothardi*, nobile victoria Chriſtianorum 1664: inferius *Sarwas* ad Rabum; & vltra hunc fluuium *Papa*, *Palotta*, & *Veſprinum*, epiſcopale oppidum: illa mediocriter, hoc fortius munitum; & *Alba Regalis*, vulgo Stul Weiſſenburg / ad *Sarwizium* amnem, nuper ditioni Chriſtianæ reddita, cum arce *Zambeck* inter hanc vrbem & Budam medio itinere, & *Simontorna* ad prædictum amnem inferius, a quo *Kaposwar* in auſtrum nonnihil recedit. Inter Albam Regalem & Sigethum, *Koppan* & *Segeſt*. Tandem in tractu iuxta Drauum flumen Hungariæ limitaneum, *Serinwar* ad Murum, qui paulo inferius miſcetur Drauo: cui additum munimentum erat *Neu Serinwar*,

Canischæ oppositum, quod Turci 1664 deleuerunt. *Canischa* permunita haud procul abest a Stiriæ confinio, 1600 Christianis erepta, & nuperrime recuperatum a Christianis. Adiacent minoris quanquam nominis, tum oppida, tum arces, *Salawar* ad Salam amnem, *Comora* minore, *Kesshcli:* vlterior *Pressnicia* inter quam & Sigethum *Babocza;* ipsum autem *Sigeth*, munitionibus validum, Turcis nuper ereptum fuit, cui *Turbeck* propinquum est, Quæ vero hinc ad pontem vsque Essekianum sequuntur supra Drauum posita, vt *Quinque Ecclesiæ*, Fünffkirchen/ vrbs episcopalis & commerciis nota, atque *Siclos*, eodem nunc bello Christiani receperunt. *Darda*, quæ pontem tuebatur, ab iisdem diruta cum magna parte pontis fuit, in cuius instauratione Turci frustra desudarunt. Nam cedere illum Christianis coacti sunt, oppido Essek interea potitis.

CAPVT

CAPVT XVI
DE
CROATIA, SCLAVO-
NIA, BOSNIA ET
DALMATIA.

NVnc quæ inter Drauum & Adriaticum mare sunt, expediemus. CROATIA cum regni titulo a Drao mare versus Adriaticum inter Carinthiam & Marchiam Vinidorum ab occasu, Sclauoniam, Bosniam & Dalmatiam ab ortu extenditur. Ad Drauum *Warasdinum*; inter Drauum & Sauum sunt *Creuz*, *S. Georg*, & *Iabanitz* munita oppida: ad Sauum *Chrastovitz*, *Agram*, Zagabria, episcopalis; trans Sauum ad Culpam *Petrinia* munimentum, & *Sisek* siue Siscia ad eius cum Sauo confluentem, iuxta insulam, quam Sauus facit, *Segesticam*; ad alios confluentes, qui inferius Vnnæ miscentur, *Carlstad*, Carolopolis, bene munita vrbs & caput Croatiæ Austriacæ, sicut *Wihitsch* ad Vnnam Croatiæ Turcicæ.

Co-

Coſtainiza ſiue *Coſtanowiza* & *Dubiza* ad eundem amnem etiam Turcorum, quanquam hoc a Chriſtianis nuper direptum fuit. *Wudſchin* ſiue *Bushin*, altero a Petrinia milliario a Turcis tenetur, etiam *Zrin* ſiue *Serin*, vnde origo & nomen eſt nobiliſſimis Comitibus.

SCLAVONIA poſt Croatiam inter Drauum & Sauum vſque ad Danubium continetur, bello, quod nunc geritur, tota iuris Auſtriaci facta. In limite prope Drauum eſt *Prodanitz*, & caput quondam Auſtriacæ in hoc regno poſſeſſionis *Copranitz*, oppidum cum arce munita; & in ortum vlterior, Turcis 1684 erepta, *Verebiza* ſiue *Berzeche*: inter vtrumque amnem *Poſega*, eodem bello recuperata: ad Sauum, *Nouigrad*, *Sopowina*, *Brod*, & *Arby*: poſt quæ Danubium verſus eſt RASCIA, pars orientalis Sclauoniæ, in eaque *Gara* ad fluuium *Biczbi*; *Wilak*, olim *Sirmium*, vrbs quondam eximia & epiſcopalis, nunc fere in vicum redacta, ad fluuium Boſwetam, qui infra eam Sauo miſcetur: *Kelpe* ad Sauum: ad Danubium

ſupra

ſupra Saui confluentem, *Petrowardinum*, & *Carlowiza*; & vbi 1691 Turcicus exercitus in caſtris ſuis oppugnatus, victus & cæſus fuit, *Salankemen*, inter Petrowardinum & Albam Græcam ſitum: ac prope Drauum *Walpo* munimentum ad amnem eiuſdem nominis, & vbi is Danubio infunditur, *Valckowar*: & quæ Hungariæ ponte longiſſimo iungitur, *Effeck*, vetus fortaſſis Murſa, Drauo appoſita, qui ſe infra eam vrbem in Danubium exonerat, nunc validius emunita, poſtquam in Chriſtianorum poteſtatem venit.

BOSNIA, ſiue Boſſina, inter Croatiæ partem ab occaſu, Sauum fluuium a ſeptentrione, Seruiam ab ortu, & Dalmatiam a meridie ſita, nomen habet a fluuio *Boſna*, qui mediam ſecat, & ex aduerſo Sclauonici oppidi Asky in Savum infunditur. Alias etiam in *ſuperiorem*, quæ auſtralis eſt, & Ducatus dicebatur; & *inferiorem* ſiue regnum, quæ ſeptentrionalis eſt, diſpeſcitur. Tota fere eſt iam Turcicæ ditionis. Ad Croatiæ fines in ripa Saui *Gradiſca*,

etiam

etiam pars eius trans flumen in Sclavonia ſita eſt: inde *Iaiza*, oppidum in monte ſitum cum caſtello munitiſſimo prope Varbam fluuium: vnde longe in ortum remota *Saraio*: ſed Dalmatiam verſus *Banialuca* eſt, ſedes præfecti Turcici ad amnem Cetinam: & *Tina* epiſcopalis ad Titium fluuium, cuius epiſcopus eſt primas Croatiæ, *Dulma* itidem epiſcopatu olim inſignis in limite Dalmatiæ, nunc diruta iacet, nec *Warboſania* iam veterem dignitatem conſeruat, pago quam vrbi ſimilior. Cetera ſunt obſcuriora.

DALMATIA nunc omnis tractus eſt, qui inter Croatiam Boſniamque & partem Seruiæ, à ſeptentrione; & Adriaticum mare ad meridiem, ab Hiſtria ad Albaniam ſeu Macedoniam vſque protenditur, & veterem etiam Liburniam comprehendit. Innumeras inſulas habet, quarum plurimæ cum maritimis continentis terræ partibus in ditione Venetorum ſunt: reliqua continentis ſub dominio Turco-

rum:

rum: parva portio Ragusiensi reipublicæ paret.

Vt veteris Liburniæ terminus erat amnis *Titius*; ita tractus, qui ab Histria ad hoc flumen est, quamquam sub Dalmatiæ nomine, a Dalmatia propria atque veteri distinctus, diuiditur in Croatiam maritimam, Morlachiam, & Comitatum Iaderensem. *Croatiæ* nomen maritimæ regionis parti datur, quæ olim pars Croatiæ fuit, vnde etiam insulis vicinis, vt *Vegiæ*, *Arbæ* aliisque cognomentum est. Præcipua eius loci vrbs est *Zeng*, siue *Segnia*, olim Senia, episcopalis & probe munita, Austriacæ ditioni subdita. MORLACHI late ad Bebios vsque montes habitant, sub dominio antehac Turcorum, sed nuper excusso iugo in Venetorum tutelam concesserunt, Turcis vndique infesti atque graues. IADERENSIS Comitatus, inde ad vsque Titium amnem quasi in peninsula situs, caput habet *Zaram*, quæ olim Iadera erat, diuitem & munitam vrbem ac archiepiscopalem,

mari

mari fere circumdatam, cum caſtello firmiſſimo, in quo præfectus ſedet ſummus Dalmatiæ Venetæ. *Zara* autem *Vecchia* caſtellum eſt longius inde in ortum diſtans: vt pari interuallo occaſum verſus abeſt *Nona*, Ænona, vrbs epiſcopalis, etiam mari maiorem partem præcincta.

A Titio amne, qui nunc *Kerka* dicitur, ad Albaniam vsque DALMATIA propria eſt, in eaque *Sebenicum*, vrbs epiſcopalis & permunita ad os Titii fluminis: & orientem verſus *Trau*, Tragurium, etiam in ora maris ſiue inſula ponte continenti iuncta, oppidum paruum, ſed epiſcopali dignitate, contra Boam inſulam: ad proximum ſinum rudera *Salonæ* veteris, & poſt illum ex ruinis Salonæ nata vrbs *Spalatro*, Spalatum, archiepiſcopalis; & breui ex interuallo *Almiſa:* a Salona IV, a Spalato VI milliariis in ſeptentrionem diſtat arx *Cliſſa,* antea Turcicæ ditionis, ſed a Venetis 1648 expugnata, iisdemque cum agro adiacente, pacis Cretenſis fœdere confirmata:

mata: vrbs *Narenta*, Naro ſiue Narona, ad alium ſinum, in quem eiusdem nominis fluuius cadit, nuper admodum cum adiacente caſtello *Scyn* in fidem ſe dedidit Venetorum, quorum nunc omnia ſunt, quæ recenſuimus.

Sequitur territorium reipublicæ RAGVSINAE, quæ nunc clientelam Turcicam, qua conſtricta erat, abrupit, & ſe Imperatori tanquam Hungariæ Regi, exemplo maiorum certis pactis in fidem tradidit: ceterum *Ragusa* respublica libera, & archiepiſcopalis; etiam opulentum emporium, portu percommodo inſtructum. Subeſt ei *Stagnum* oppidum, *Hillis* peninſula, & *Melita* inſula, cum paruo tractu continentis: *Raguſa* autem *Vecchia* in loco veteris Epidauri eſt, in ortum a Noua mediocri ſpatio remota, iam fere deſerta.

Eximius inter inſulas, (quarum reliquas infra enarrabimus) & metropolin portus eſt *Sanctæ Crucis*, itidem in ditione reipublicæ Raguſinæ.

Ex-

Extrema Venetorum ditionis ſunt *Cáttaro,* Catarum, propugnaculum ad cognominem ſinum, qui Raguſinam regionem ab ortu reſpicit; & in citeriore ſinus litore *Caſtel Nuovo*, munitiſſimum oppidum cum duobus caſtellis, a Venetis 1687 expugnatum: *& Paſtrouecchio* in limite Albaniæ.

Dalmatia turcica eſt maiorem partem mediterranea, de cuius oppidis eorumque ſitu non ſatis certi ſumus in tanta tabularum librorumque ſterilitate. Bello horum temporum, & Morlackorum excurſionibus notiora facta *Sing*, *Glim*, *Licca*, ſupra Sebenicum; *Trebigna* ſupra Raguſam olim epiſcopalis: *Duuares*, *Imoſchi*, & alia, e quibus nonnulla in Morlackorum aut Venetorum poteſtatem ſunt redacta, vti de *Sing & Clim* non dubitatur; de ceteris fama incertior eſt. In his finibus aut prope illos eſt etiam regio *Arcegovina*, quæ præfectum habet Baſſæ titulo & honore ornatum, qui maritima Venetorum circa Narentam fluuium infeſtauit, quod nunc

par-

parcius facit, amiſſo Caſtello Nouo, qui princeps Arcegouinæ locus eſt. In maritimis Turcorum adhuc fuerunt, *Scardona* ad æſtuarium Titii, aut quia vrbs fere in ruinis iacet, vicinum caſtellum, quanquam ſæpius Venetorum armis oppugnatum aut captum, quibus etiam non nulli tribuunt, ſicut Turcis *Almiſam*, quam in Venetorum oppidis ſupra memorauimus. Variant enim nimium, qui de his recenter ſcribunt, & incertior quorundam durante bello poſſeſſio eſt, cuius claſſis etiam ſunt *Macarſca*, olim epiſcopalis, inter Spalatum & Narentam e regione Bratiæ; & *Riſano* ſiue *Riſine*, Rhizinium vetus, in ora ſinus Rhizinienſis, qui nunc *Golfo di Cataro* vocatur. Cetera veteris Illyrici nunc Albaniæ accenſentur, de quibus in Græcia agemus.

INSVLAE Adriatici maris ſiue Golfo di Venetia ex parte Italiæ ſunt *Veglia*, Vegia; *Cherſo*, Crepſa; *Oſero*, Abſorus, quæ & Auſara dicitur, Crepſæ ponte in freto coniuncta, & ambæ

Ab-

Absyrtides sunt Strabonis; atque ha iuxta Morlachiam: *Grande*, *Pasina* *Bua*, sub Zara & Tragurio: *Lissa*, Issa *Brazza*, Brattia; *Lesina* siue *Liesina* Pharia; *Curzola*, Corcyra Nigra, inter Spalatum & Narentam: atque ha omnes cum plurimis minoribus sub potestate Venetorum, ex iisque proprios episcopos habent *Veglia*, *Arbe* *Osero*, *la Brazza*, *Lesina*. Ragusina etiam reipublicæ sunt suæ insulæ, quarum præcipuam *Melitam*, vulgo *Meleda*, supra memorauimus cum peninsula Hylli, quæ hodie *Sabioncello*, dicitur: quibus nunc insulas *Mezzo* & *Augustam* cum aliis quibusdam adiicimus.

CAPVT XVII
DE
ITALIA.

ITalia, vbi Adriatico & Tyrrheno Siculoque mari non clauditur, ad Galliam & Germaniam sub Alpibus ab occasu & septentrione; & inde in ortum flexa

lexa ad Marchiam Vindorum, Croa-
iam & Dalmatiam procurrit. Diui-
litur hodie ſecundum varia dominia
k poſſeſſiones, Romani Pontificis, Re-
gis Hiſpaniæ tanquam regis Neapoli-
ani & Ducis Mediolanenſis; Rei-
ublicæ Venetæ, Ducis Sabaudiæ in
ractu Pedemontano, Magni Ducis
Tuſciæ, Ducum Mantuani, Mutinenſis,
k Parmenſis, Reipublicæ quoque Ge-
uenſis, & Luccenſis. De ſingulis age-
nus non ſecundum ordinem iam re-
atum, ſed vt partes geographica ſe
oſitione, initio ab Alpibus facto, con-
equuntur.

PEDEMONTIVM, *il Piemonte*
ncolis, prouincia ſubalpina eſt, quaſi *ad
edes montium*, ſub dominio Ducis
abaudiæ, ab ortu Mediolanenſi du-
atu, a ſeptentrione Valeſia, ab oc-
aſu Delphinatu & Sabaudia, a meri-
ie Genuenſi agro & mari Liguſtico
rminata. Præter Pedemontium pro-
rium diuerſos comitatus, vt Aſten-
m, Nicæenſem, marchionatum Sa-
ltiarum & partem ducatus Montis-

O ferra-

ferrati continet. Rigant Padus, *il Po*, Duria, *Doria*, Tanarus, *Tanaro*, & alia flumina.

In PEDEMONTIO PROPRIO eſt *Turino*, Auguſta Taurinorum, caput totius principatus, ad Padum fluuium, qui ibi Duriam recipit, vrbs nitida & munita, aula Ducis Sabaudici, academia & archiepiſcopatu ornatiſſima. Adiacet iuxta Padum *Moncaglieri*; Mons Calerius, ſeceſſus Ducis, & *Venaria*: etiam *Carignano*, & *Chieri*, Gallis *Quiers*, Cherium: ad Duriam *Suſa*, Seguſia, ſub radice Cottiarum Alpium, cum Marchionatus titulo: & *Iurea*, Eporedia, epiſcopalis, caput tractus Canapicii: ad Sturam amnem *Foſſano*, quaſi Fons ſanus; inter quem & Salutias medio itinere *Sauigliano*, Sauilianum eſt: auſtrum verſus *Mondoui*, Mons Regalis, epiſcopali dignitate, nuper aliquoties rebellis; & *Raconigi*: in occaſum ad Padi flumen *Pignerol*, Pinarolium, oppidum munitum, ſed in poteſtate regis Galliarum. Prope in auſtrum a Pinariolo *Lucerna* diſtat, quæ

quæ *Vallem Lucernenſem*, inter montes regiunculam, denominat.

Cetera, quæ ad Pedemontium late dictum referuntur, ſunt SALVTIARVM Marchionatus in occaſum hibernum vergit. Caput *Saluzzo*, Salutiæ: *Carmagnola*, Carmaniola, quanquam in Pedemontii proprii territorio poſita: contra huc ſitus ratione referri poteſt *Cunio*, Cuneum, Gallis *Coni*, valide munitum, inter Geſæ & Sturiæ confluentes. Comitatus NICAEENSIS ad Alpes maritimas poſitus, olim pars Galliæ fuit. *Nizza*, Nicæa, mari adiacens, egregie munita, cui portus *Villa Franca* finitimus eſt: vtraque a Gallis 1691 occupata: at *Monaco*, portus Herculis Monœci, principem proprium habet ſub tutela Gallica. Comitatus ASTENSIS præcipua vrbs eſt *Aſti*, Aſta ad Tanarum fluuium, epiſcopalis: & *Cheraſco*, Gallis *Queraſque*, Claraſcum, inter Albam & Montem Regalem, prope eundem amnem: *Villa Noua d' Aſti* inter Aſtam veterem & Turinum medio loco: *Verua*,

Veruca, arx munita ad Padum, cui in altera ripa *Crescentinum* opponitur. Ducatus AVGVSTANVS in septentrionem vergit, a principe vrbe *Aosta*, Augusta Prætoria in Salassiis, ad Duriam amnem sita, cognominatus. Minora dominia sunt *Vercellense* & *Bugellense*: vrbes *Vercelli*, Vercellæ, in confinio Mediolanensi, quo olim pertinuit, & *Biella*, Bugella, ad amnem Ceruum, inter quas *Masseranum* sub proprio principe. Tandem quoque Pedemontii finibus ad vtramque Padi ripam MONS FERRATVS seu Ducatus *Montferratensis* immixtus est, eiusque pars Duci Sabaudico paret, pace Clarasci 1631 inita, cuius oppida sunt *Trino*, Tridinum, & *Alba*, Alba Pompeia, ad Tanarum fluuium: reliqua pars Mantuani Ducis est, in eaque *Acqui*, Aquæ Stateliæ, & *Nizza* cognomento *de la Paglia*, Nicæa Palea: & prope Casale *Moncalvo*, Mons Calvus: *Casale* autem, Gallis *Casal*, Montis Ferrati caput, & episcopale oppidum, Pado impositum, medio inter Turi-

Turinum & Mediolanum ſitu, Dux Mantuanus 1679 Gallorum Regi vendidit, a quo magis magisque emunitum fuit. Proximus eſt ab ortu

MEDIOLANENSIS Ducatus, *Stato di Milano*, ſiue Regis Hiſpanici in ſubalpina Italia poſſeſſiones. Caput *Mediolanum* eſt, *Milano* incolis, noſtris Meyland / vrbs populoſa, archiepiſcopatu, academia & gubernatoris Hiſpanici ſede inſignis. Subſunt ei cis Padum ſeptentrionem verſus *Como*, Comum, ad lacum Larium: inde occaſum verſus *Vareſe*, Baretium, & ad Verbanum, vulgo *Lago Maggiore*, Angleria ſiue *Anghiera*; *Seſto*, Sextum, *Arona* & *Canobium*. Quæ vlteriores circa hunc lacum ſunt quatuor præfecturæ, olim pars Mediolanenſis ducatus, a longo tempore Heluetiorum poteſtati ſubiectæ ſunt: oppida earum præcipua in ora lacus ſunt *Locarnum*, *Luganum*, & *Bellenz*, ſiue *Belinzona*, olim Belitio. Sed de his quoque in Heluetia dictum fuit. A metropoli vergunt in occa-

ſum *Nouára*, *Vigevano*, Viglebanum, epiſcopale oppidum; *Mortara*, bene munita; & in meridiem *Lumellum* iam pagus, vnde regio *Lumellina* iuxta Padum nominatur: *Pavía*, Ticinum, vrbs clara epiſcopatu & academia ad fluuium Ticinum, *il Teſino*, qui modico poſt ſpatio in Padum cadit: ab ortu *Marignano*, Melignanum; & ad Adduam *Lodi*, Laus Pompeia, aut potius ex ruinis & nomine huius vrbis in vicino loco orta: & trans flumen ſiue in ſiniſtra ripa *Picighitone*, Pice-leo, munitum oppidum: & poſt Adduæ ac Padi confluentem *Cremona* vrbs epiſcopalis: & *Caſale Maius*; ac tandem *Sabionetta*, Sabuloneta, inter Padum & Ollium (*Oglio*) fluuios, ſub præſidio Hiſpanorum ſuum principem habens.

Trans Padum Mediolanenſi ducatui ſubſunt *Valenza*, Valentia, Pado proxima poſt Caſale, & munita: *Aleſſandria*, Alexandria, epiſcopalis, cognomine *della paglia*, itidem munita ad flumen Tanarum: *Anona* caſtrum ad

ad eundem fluuium Aſtam verſus: *Tortona*, Dertona, ad Iriam amnem etiam epiſcopalis. In maritimis Liguriæ Hiſpanus rex *Finalium*, Marchionatum poſſidet, vbi *Finale* eſt oppidum cum portu & munimentis in ora Genuenſium occidentali: & in Etruriæ litore *Orbitellum*, *Telamone*, *Portus Herculis*, *Portus S. Stephani*, & *Portolongone* in vicina inſula Elva, de quibus in Etruria dicemus.

Ab ortu Mediolanenſem Ducatum VENETORVM respublica contingit, quæ inde inter Alpes & mare ad Illyricum vsque porrigitur. Caput ſunt *Venetiæ*, vrbs mirandi ſitus, parvis inſulis Adriatici maris, litori Italiæ Transpadanæ vicinis impoſita, ædificiis ſplendida, commerciis opulenta & armis potentiſſima, cui in Italia parent Iſtria, Forum Iulium, Marchia Taruiſina, & pars Lombardiæ orientalis. Proximus ad Venetias tractus DVCATVS VENETVS vocatur, cuius in inſulis aut litoribus ſunt tres epiſcopales vrbes *Chiozzi*, Clodia Foſſa, *Torcello*,

Torcellum, & *Caorle*, Caprulæ. ISTRIA peninſula Illyrico contermina, atque extrema pars Italiæ, vrbes habet *Capo d' Iſtria*, Iuſtinopolim; *Citta Nuova*; ac *Albana*, Albonam; & intus *Parenzo*, Parentium; & *Polam*, omnes epiſcopales: ſicut etiam quod in ora Iſtriæ ſitum eſt Auſtriacæ ditionis *Trieſte*, Tergeſte. In orientali ora Auſtriacis ſubiecta eſt *Pedena*, Petina, etiam epiſcopalis; cum aliis adiacentibus, & ſupra eam in limite Vinidorum Marchiæ *S. Viti* Fanum: quod ſupra memorauimus, cum tractum illum in Germania recenſebamus. Ad Carinthiam a mari pertinet FORVM IVLIVM, *Friuli*, noſtris *Friaul*, cuius primaria vrbs eſt *Vdine*, Vtinum, epiſcopali dignitate; & inter hanc & Aquileiam *Palma*, perfectum munitionis exemplar: *Maranum* in paludibus ad mare; ad ſeptentrionem & Tirolem verſus *Pieue*, Plebs, cognomine *di Cadore* in tractu *Cadorino* ſiue Cadubrio: nomen autem regioni eſt ab oppido Foroiulienſi, vulgo *Ciuidal di Friuli*, quod

quod in ortum ab Vtino inclinat. *Concordiæ* rudera epiſcopale ius conſeruant, epiſcopo in Portu Romatino (*il Porto Gruaro*) oppido ad Romatinum fluuium, degente. Reliqua pars Fori Iulii Auſtriacis paret, in qua *Aquileia* prope mare, olim vrbs ampliſſima, nunc deſolata, cuius epiſcopus patriarchæ dignitatem adhuc retinet, quamquam Vtini plerumque commoratur: ſupra hanc *Gradiſcia* & *Goritia*, Vindorum Marchiæ ab aliis adnumerata.

MARCHIA TARVISINA, *la Marca Trevigiana*, Foro Iulio in occaſum adiacet. Princeps vrbs eſt *Treviſo*, Taruiſium, XVIII m. p. diſtans a Venetiis: ſupra quam *Oderzo*, Opitergium; *Ceneda*, Ceneta; *Feltre*, Feltria, & *Bellunum*, omnes epiſcopales vrbes præter Opitergium, quod iam exiguum eſt.

LONGOBARDIA VENETA tractus orientalis eſt regni Longobardici, a ceteris eius regni partibus, id eſt Pedemontio, Mediolanenſi, Mantuano, Mu-

tinensi & Parmensi Ducatibus, etiam Romandiola vicinisque regionibus avulsa, vrbes insignes habet, & in maritimis quidem sunt *Padoua*, Patavium, academiæ laude celebris, & *Rovigo*, Rhodigium, Cœlii Rhodigini patria: in mediterraneis a Patauino ad Mediolanensem limitem *Vicenza*, Vicentia; *Verona* ad Athesin (*Adige*) fluuium; *Brescia*, Brixia, & *Bergamo*, Bergomum; & *Crema*, omnes episcopales. Inter Veronam & Brixiam lacus est Benacus, nunc *lago de la Garda*, cui *Garda*, quæ nomen dat, & *Salo* adiacent; & vbi ex illo Mincius emanat, *Peschiera*, Piscaria, valide munita. In agro præterea Veronensi ad Athesin *Legnago*, Leonicum, munitum oppidum, & inter Veronam & Vicentiam *Arzignano*, & alia. Et tantum de Venetorum possessionibus.

Liberi principatus in Lombardia sunt Mantuanus, Mutinensis & Parmensis, quibus paruus accedit Mirandulanus. MANTVANI caput est *Mantua*

tua, vrbs nitida & epiſcopalis, Ducum ſedes, in Tranſpadana regione, ad fluvium *Menzo* ſiue Mincium, inter Padum & Veronam: dein. *Guaſtalla* in Ciſpadana, & alia parua oppida. Quæ in Monte Ferrato Dux Mantuanus poſſidet, ibidem memorauimus. MVTINENSIS Ducatus primaria *Modena* eſt ſiue Mutina, in Ciſpadana vrbs munita & epiſcopalis, etiam Ducum propriorum domicilium: cetera oppida ſunt *Carpi*, Carpium, *Corregio*, Corregium; *Berſello*, Brixellum, & epiſcopale *Regio*, Regium Lepidi. Inde in occaſum ſub Pado ſitus eſt Ducatus PARMENSIS, cuius primaria vrbs *Parma* Ducum ſede, academia & epiſcopatu clariſſima eſt: ei ſubſunt Placentia, *Piacenze*, ad Padum; & *Borgo S. Domnino*, Burgus S. Domnini, pariter epiſcopales: & *Florentiola*. MIRANDVLANO principi *Mirandula* paret in Mutienſi confinio Padum verſus; cum paruo territorio, in quo *Concordia* eſt ſub titulo comitatus.

GENVENSIS Reſpublica Liguriæ

maritima tenet fere omnia, pauciora ex mediterraneis. Ab occasu Nicæensem comitatum habet siue partem Pedemontii maritimam: ab ortu Etruriam. *Genua* vrbs splendida & commerciis diues, etiam archiepiscopalis, mari Ligustico apposita in medio suarum possessionum litore. Ab occasu vltimum eius ditionis oppidum est in litorali tractu *Vintemiglia*, Intemelium, prope Monœci portum; dein minoribus prætermissis *Albenga*, Albingaunum, & *Noli*, Naulum, ambo episcopalis dignitatis, quibus interiacet *Finale*, Hispanorum oppidum portu instructum, de quo supra diximus: inter Vintemigliam & Albengam *Oneglia* sive Onelia in litore posita est, Sabaudicæ ditionis, cum principatus titulo. Post Naulum *Vado* seu *Vai*, Vada Sabatia, portus & arx munita; inter quam & Genuam *Savona*, vrbs episcopalis & satis culta. Metropolin ab ortu Etruriam versus sequuntur in hoc litore *Porto Fino*, Portus Delphini, *Rapallo*, Rapallum, ad paruum sinum; *Sestri di*

Le-

Leuante, Segesta Tiguliorum, *Porto Venere*, Veneris Portus, & ad paruum sinum qui olim Portus Lunæ vocabatur, *Spezzia* siue *Spetia*, Spedia: *Sarzana*, Serezana, episcopalis cum arce permunita, ad Macram fluuium haud procul ab ostio, Genuensium vrbs vltima adversus Tusciam. In mediterraneis clariora sunt *Brugneto*, Brunetum, episcopale, sub radicibus Apennini, inter Segestam & Spediam: & *Serravalle*, in limite Mediolanensi: at *Pontremoli*, Apua, in tractu quidem Genuensi ad Macram est, sed Magno Duci Tuscorum subdita. Præterea insula *Corsica* cum paruis adiacentibus Genuensibus subiecta est, de qua sequenti Capite post Siciliam & Sardiniam dicturi sumus.

TVSCIA siue ETRVRIA in ortum excipit, cuius maiorem partem Magnus Dux Tusciæ, Florentinus Princeps, possidet; partem maritimam Hispani, vt supra diximus; Pontifex orientalem sub *patrimonii Petri* titulo: occidentalem Luccensis Respublica, sed perexiguam. Termini sunt a Macra ad

Tiberim, vt veteris Etruriæ. Inter Macram & Arnum eſt

Lvccensis Reſpublica, parui territorii. *Lucca*, Luca, vrbs validæ munitionis & ſui iuris, optimis legibus temperata, etiam epiſcopalis: *Borgo a Mozzano* & alia minora ei ſubiecta ſunt. *Maſſa* autem inter Sarzanam & Luccam maritima paret proprio principi.

Magnvs dvcatvs tvsciae vulgo *Gran Ducato di Toſcana*, inter mare & Apenninum a Luccenſi agro ad Patrimonium Petri extenſus eſt. Capu[t] *Fiorenza*, Florentia, ad Arnum, vrb[s] florentiſſima, Magni Ducis ſedes & Archiepiſcopi: inde occaſum verſus *Piſtoia*, Piſtoria, & *Prato*, Pratum, vrb[s] elegans & munita, vtraque epiſcopalis ſed ſub vno epiſcopo: & ad Arnum inte[r] Florentiam & Piſam medium *San Miniato al Tedeſco*, Miniatum Teutonis, par[i]ter epiſcopatu inſignitum oppidum: [&] prope metropolim, in ortum æſtiuum *Fieſoli*, Fæſularum ruinæ, epiſcopalem dignitatem ſeruantes: & Tiberim ve[rſus]

ſus *Arezzo*, Aretium, & *Certona*, itidem epiſcopales ciuitates, vti etiam quæ inde in meridiem vergunt *Colle*, Collis, *Volterra*, Volaterra, *Monte Pulciano*, Mons Politianus; & *Montalcino*, Ilcinum, munitum oppidum, *Pienza*, Pientia olim Corſinianum; & *Chiuſi*, Cluſium, & *Soana*, Suana, in limite orientali: & maxime hinc in ſeptentrionem diſtans *Borgo di San Sepolcro*, Burgus S. Sepulcri, iuxta Tiberim in Vmbriæ ripa; omnes vrbes epiſcopales, excepto quod medio loco cum arce munita ſitum oppidum eſt *Radifano*, VII m. p. a finibus Pontificiæ ditionis: at *Siena*, Sena, archiepiſcopalis, etiam academiæ nutricia, inter Collem & Volaterram ab occaſu, & Montem Politianum ac Pientiam ab ortu. In maritima ora Magni Ducis ſunt *Piſa*, Piſæ, ad Arnum fluvium prope oſtia, arhiepiſcopatu & academia vrbs nobilis: *Livorno*, Liburnus portus, celebre emporium: *Vada*, Vada Volaterrana, vicus cum portu: *Piombino* autem, Plumbinum, e regione Iluæ inſulæ, proprio princi-

pi

pi paret ſub clientela Hiſpanici regis, cuius præſidio caſtellum vrbis tenetur. Inſulæ etiam *Iluæ*, nunc *Elbæ*, pars eſt Hiſpanicæ ditionis, in qua munimentum *Portolongone* ſitum eſt: reliquam partem Magnus Dux poſſidet, cuius eſt *Porto Ferraio*, Portus Ferrarius, aliud propugnaculum. In continente eiuſdem Ducis vltra hanc inſulam ſunt duæ paruæ epiſcopales vrbes *Maſſa*, Veternenſis cognomento, & *Groſſeto*, Roſetum. Quæ ſequuntur in litorali hoc tractu vſque ad Caſtrenſem principatum, Hiſpanici iuris ſunt, videlicet *Telamone*, *Orbitello*, & *Porto Hercule*, cum *Argentario* monte, vt ſupra memorauimus. Reliqua pars Etruriæ in Eccleſiæ prouinciis explicabitur.

TERRITORIVM ECCLESIAE, vulgo *Stato della Chieſa*, ab occaſu Magnum Ducatum Tuſciæ & Mutinenſem; a ſeptentrione Venetorum regiones, ab ortu Neapolitanum regnum adſpicit, eſtque totum in poteſtate Pontificis Romani. Partes eius ſunt *Campania Romana*, (la Campagna

na di Roma) hoc eſt Ager Romanus, 'iberi & Aniene fluminibus, mari infe- o & Neapolitani regni limite compre- enſus: *Patrimonium Petri*, ſiue reli- uum Etruriæ orientalis: *Sabinorum ger*, (la Sabina) trans Anienem: 'mbria, vbi Ducatus *Vrbinas* & *Spole- inus*, quibus *Peruſinum* tractum adii- iunt, quamquam verius in Etruria, ſed xtra patrimonium Petri, ſitum : *Ro- nandiola* ſupra Vmbriam cum Ducatu *'errarienſi*: Marchia *Anconitana* infra 'mbriam in loco veteris Piceni. *Be- ieuentum* Neapolitanis prouinciis cir- umſcriptum eſt. Initium facimus ex :truria, vbi ſubſtiteramus.

PATRIMONIVM PETRI, quod a Mathil- le illuſtri femina & Tuſcorum comite ontifici donatum dicitur, pars Etruriæ ſt inter Martam, ex Vulſinio lacu ru- ntem, ac Tiberim; & ſupra lacum in- er Tiberim & Senenſem tractum. Caput eius *Viterbo*, Viterbium, a quo oream verſus ſupra Glanis & Tiberis onfluentem diſtat *Oruieto*, Vrbeuetum iue Vrbs Vetus, olim Oripitum, in eiuſ-

que

que agro Viterbium verſus *Bagnarea*, Balneoregium; in ora Vulſinii lacus (*lago di Bolſena*) orientali *Monte Fiaſcone*, Mons Flaſconis, & ſupra lacum *Aquapendente*, Acula ſiue Aquula; ad Tiberim paullo ſupra Naris confluentem *Orti*, Hortanum: infra illum, *Civitas Caſtellana*; ad amnem Pozzolo inter Romam & Viterbium *Nepi*, Nepet, eique vicinum *Sutri*, Sutrium: ad Martam prope oſtia *Corneto*, Cornuetum: ſuperius ad eundem amnem *Toſcanella*, Tuſcania, in confinio Ducatus Caſtrenſis: ad mare *Civita Vecchia*, Centumcellæ, portu celebre oppidum & nauali Pontificis: & ad Tiberis dextrum oſtium *Porto*, Portus Romanus vrbs fere exciſa, epiſcopatu tamen ſuo ſeniorem Cardinalem denominans. Omnes etiam ceteræ quas iam recenſuimus, epiſcopales ciuitates ſunt, licet Tuſcanienſis Viterbienſi; Sutrinus Nepeſino; Hortanus Caſtellanenſi; Montis Flaſconis epiſcopatus Cornuetenſi plerumque coniunctus ſit. At anno 1649 acceſſit *Ducatus Caſtrenſis* inte

ter Martam & Portum Herculis; & actus *Roncilionensis* inter Viterbium Sutrium ſitus, qui antea Parmenſis tionis fuerunt: ſed bello propter ne- m epiſcopi orto & pactis tandem mpoſito, ceſſerunt Pontifici, qui Ca- um vrbem munitam (*Caſtro*) fun- tus euertit, eiuſque epiſcopatum anstulit Aculam. *Farneſe* proxi- um Caſtro, & *Montalto*, Mons Al- s, cum portu, eiuſdem Ducatus fue- int: *Ronciglione* autem, Roncilio, ppidum Sutrio vicinum, caput tra- us peculiaris. Adiungimus *Peruſi- ſe territorium* inter Glanim (nunc iiane) & Tiberim poſitum. *Peru- a*, Peruſia, ciuitas academia & epiſco- tu nobilis, inter Traſimenum lacum Tiberim ſita, vnde lacui iam nomen t, *Lago di Perugia*. Hinc in ſepten- ionem adſcendimus, inde in auſtrum ogreſſuri.

ROMANDIOLA propria, a Vene- orum peninſula Rhodigienſi, Duca- Ferrarienſi, & Florentina parua por- one, quæ Apennino ſubiacet, di- ſtin-

ſtincta, pars eſt maritima cispadana Galliæ ad vsque Ariminum. Mar Adriatico adpoſita ſunt *Rauenna*, archiepiſcopalis vrbs & olim Italicarun munitiſſima, quæ Gothis Italiam tenentibus aulam Imperatoris, mox Exarchi habuit, quaſi altera Roma, vnd nomen regioni fuit inditum: & epiſcopales, *Ceruia*, & *Rimino*, Ariminum. A mari recedunt itidem epiſcopales *Imola*, Forum Cornelii, *Faenza*, Fauentia, *Forli*, Forum Liuii, *Bertinoro*, Britinorium; *Ceſena* ad Sapin amnem, *Sarſina* ad eundem, in vicun pæne redacta: ſed omnibus his maio & celebrior *Bologna*. Bononia, in occidentali parte Romandiolæ latiu finitæ, vrbs academiæ antiquitate & archiepiſcopatu nobiliſſima. In ſeptentrionem adiacet Ducatus *Ferrarienſis*, a fine ſuperioris ſæculi dition Eccleſiaſticæ factus, & ipſe in Romandiolæ limitibus. *Ferrara*, Ferraria, i præcipuis Italiæ vrbium numeranda Padi ramo adpoſita, epiſcopatum habet, ſicut etiam *Comachio*, Comaclun

ora lacus cognominis situm: *Fran-linum* ad alium Padi ramum incili oniunctum Ferrariensi: *Ponte di lago curo* munitus ad eundem amnem ter-o a Ferraria lapide. Peninsulas, vt riani, a castro *Ariano* denominata; Georgii & alias, ibi Padus diuortiis is efficit. Sequitur iuxta mare

VRBINAS DVCATVS, Vmbriæ ansapenninæ pars potior & media. *rbinum* caput regionis, vrbs archi-iscopalis: circumiacent episcopales occasu *Fossombrone*, Forum Sempro-ii; ab austro *Cagli*, Callium, & *Gu-o*, Eugubium; & ad Tiberim *Citta Castello*, Tifernum Tiberinum: ab rtu *S. Leo*, *Vmbrania*, & *S. Angelo vado*: ad mare *Pesaro*, Pisaurum, *ino*, Fanum Fortunæ, *Senigaglia*, Se-ogallia. Hinc sub mari succedit

MARCHIA ANCONITANA, *Mar-a d' Ancona*, vetus Picenum, nomen ortita ab *Ancona* proxima post Seno-alliam vrbe, portu instructa & episco-atu: vnde in ortum *Loreto* est siue anum Mariæ Lauretanæ, peregrinatio-

ni-

nibus nobilitatum, cuius episcopatus Recinetensi coniunctus est: *Fermo* autem, Firmum, in eadem ora vrbs archiepiscopalis: vltra quam *Ripa Transoni* quinto a mari lapide, episcopalis, sicut etiam episcopatu gaudent, quæ intus sitæ sunt, *Iesi*, Æsis ad Æsim fluuium: *Osimo*, Auximum; *Recanati*, Recinetum, *Tolentinum*, *Camerinum*, *Macerata* caput totius Marchiæ & sedes præfecti Pontificii, *Ascoli*, Asculum, ad Truentum fluuium, *Montalto*, Mons Altus, inter Asculum & Firmum, *S. Seuerino*, Septempeda, aut ex huius ruinis natum oppidum, iuxta Potentiam fluuium.

Vmbriæ *Cisapenninæ* Ducatus SPOLETINVS pars maxima & præcipua: vrbes autem Apennino propiores *Assissio*, Asisium, *Fulique*, Fulginium, & *Norcia*, Nursia: medio loco *Spoleto*, Spoletium, caput ducatus: prope Tiberim *Todi*, Tuder; ad Narem *Narni*, Narnia, & *Terni*, Interamnia, & ad Velinum amnem *Rieti*, Reate, in confinio Neapolitani regni. Omnes etiam ha[bent]

epi-

ıiſcopales vrbes; SABINVS autem a-
:r nunc admodum anguſtus, vnum
ıntum epiſcopatum habet, vni ex ſex
ıtiquioribus Cardinalibus collatum,
ıius ſedes ſeu cathedralis eccleſia eſt
ſanlianæ, vulgo *Magliano*, quod op-
idum prope Tiberim ſitum Tabini tra-
:us primarium cenſetur: caſtrum *La-*
entana ad Alliam ex oppido Nomen-
ı reliquum eſt.

CAMPANIAE ROMANAE eſt *Roma*
rbs ad Tiberim, olim orbis domina,
odieque antiquitatum monumentis,
: Pontificis domicilio magnatumque
alatiis illuſtriſſima: *Tivoli*, Tibur, amœ-
um & epiſcopale oppidum ad flumen
euerone, id eſt Anienem: *Paleſtrine*,
ræneſte, *Fraſcati*, Tuſculum, & *Alba-*
o, Albanum, olim villa Pompeii, tres
ɔiſcopatus habent ſenioribus ex Car-
inalium collegio conferri ſolitos, ad
uam dignitatem etiam *Oſtiæ*, ad oſti-
n Tiberinum ſitæ, euectus epiſcopa-
ıs eſt. Cetera maritimæ oræ ſunt *Net-*
uno, Neptunium, Antiatium olim na-
le: *Aſtura* caſtrum, & prope Vfen-
tis

tis ostium *Terracina*, Tarracina, nunc exigua & male culta, æque tamen episcopalis, ac quæ intus supra eam sitæ sunt *Belitri* siue *Velletri*, Velitræ; *Segni*, Signia; *Anagnia*, *Ferentinum*, *Alatro*, Alatrium, *Veroli*, Verulæ. Minora sunt, saltim sine dignitate episcopatus, *Gallicano*, Gabii, *Riccia*, siue *Ariccia*, Aricia, castrum; etiam *Savello*, Sabellum, sed semidirutum: *Gandolfo*, in Albæ Longæ loco, castellum: *citta Lavinia*, seu *della Vigna*; & prope Pomptinas paludes *Cisterna*, *Cora*, *Sermoneta*, munitum oppidum; *Sezze*, Setia, plerumque sedes episcopi Tarracinensis: *Casa Noua*, *Piperno*, Priuernum, in limite Neapolitano.

REGNVM NEAPOLITANVM, Hispanici nunc iuris, Italiam reliquam complectitur, diuisum in XII prouincias, quas ita percensebimus, vt primum quæ a Latio ad Siciliam vsque sunt cis Apenninum & iuxta inferum mare, enumeremus: deinde quæ sunt ad mare Adriaticum trans Apenninum. Oppida pleraque episcopalis dignitatis sunt

unt: quapropter ſolos archiepiſcopa-
us adnotabimus.

Terra laboris, vulgo *Terra di Lauoro*, Campania felix eſt & pars Latii
Noui. Caput totius regni *Neapolis*,
ulgo *Napoli*, ad mare ſita, ſedes re-
um quondam, nunc proregis Hiſpa-
ici, vrbs archiepiſcopalis ac popu-
oſa & diuerſis caſtellis contra plebis
editionem munita. Inde Romam
erſus in ora maritima ſunt *Pozzuolo*,
uteoli, *Auerſa*, & *Capua* archiepiſco-
alis, ad Vulturnum fluuium: inter
ulturnum & Lirim, *Carigliano* nunc
ictum; *Calvi*, *Carinola*, *Tiano*, Tea-
um Sidicinum, *Seſſa*, Sueſſa; & trans
irim *Gaeta*, Caieta, cum portu, ac
n Pontificii territorii confinio *Fondi*,
undi. Poſt Neapolim mons *Veſu-
ius*, nunc *Monte di Somma* dictus, in-
endiis ſuis, quæ nec noſtro ſæculo
eſierunt, famoſiſſimus: a quo mari
dpoſita ſunt *Vico*, *Sorrento*, Surren-
um, vrbs archiepiſcopalis, *Maſſa*:
nediterranea *Aquinum*, *Sora* ad Lirim,
Venafrum, *la Cerra*, Acerræ, *Caiazzo*,

Calatia ad Vulturnum, *Caserta*, *Nola*. Subiacet insula *Ischia* siue Iscla, quæ oppidum eiusdem nominis in scopulo permunitum habet, insulæ mole iacta coniunctum: minores sunt *Prochyta* siue Procida, *Nisita*, & aliæ. Excipit

PRINCIPATVS vterque, *vlterior* in mediterraneis: *citerior* in maritimis. VLTERIORIS est *Conza*, Compsa, archiepiscopalis, ad radices Apennini in Hirpinis: circumiacent *Auellinum*, *Arianum*, *la Cedogna*, *Monte Verde*, *S. Agate di Goti*, Fanum Agatæ Gothorum, *Sant' Angelo di Lombardi*, *Fricento*, Frequentum. Etiam *Beneventum* in hoc tractu est, archiepiscopalis vrbs, sed cum agro circumiecto Pontificiæ ditionis. CITERIORIS, quæ fere Lucania est, archiepiscopales sunt *Amalfi* & *Salernum* ad sinum Salernitanum: alia maritima oppida *Scala*, *Minuri*: & ad proprium sinum *Policastro*, nunc fere desertum: reducta a mari *Sarno* sub Vesuuio, *Nocera*, Nuceria, *Capacio*, *Compagna*, *Marsico*, *Nusco*, *Ravello* & alia.

CA

CALABRIA etiam vel *citerior* eſt
el *vlterior*, ſed vtraque non vete-
em Calabriam, ſed Bruttiorum agrum
t aliam Magnæ Græciæ partem com-
lectitur, & a Lucania & Tarentino
inu ad Siculum fretum procurrit,
troque mari contenta. CITERIO-
IS caput *Conſenza*, Conſentia, at *Ros-
ano*, Roſcianum, archiepiſcopale ſub
nu Tarentino; inter quem & Scyl-
icium *Biſignano*, Beſidiæ; *Caſſano*,
oſa; *Cerenza*, Geruntia; *Martora-
o*, Mamertium. VLTERIORIS præ-
ipua vrbs *Catanzaro*, Catacium, ad
ram maris Ionii, vt etiam *Belcaſtro*,
ellicaſtrum; *Cotrone*, Croton; *Squil-
ce*, Scyllacium; *Santa Seuerina*,
berena, archiepiſcopalis; at iuxta
yrrhenum mare *S. Euphemia*, *Tro-
a*, *Nicotera*, *Regio*, Rhegium, ar-
iepiſcopale ad fretum Siculum, *Boua*
xta promontorium Herculium, nunc
po di Spartivento; vicinum Leuco-
træ promontorium iam *Capo dell'ar-*
dicitur: *Capo di Stilo* eſt infra ſinum
yllacium.

Inter ſuperum mare & Apenninum, aut etiam hoc monte incluſo, eſt APRVTIVM, vulgo *Abruzzo*, itidem duplex. VLTERIVS Anconitanam Marchiam contingit, Marſos, Veſtinos & Piceni partem comprehendens. *Aquila* ſub Apennino caput regionis: cetera oppida *Atri*, Adria, *Teramo*, Interamnia; *Ciuita di Penna*, Pinna, & *Campli*: CITERIORIS vrbs primaria *Lanciano*, Anxanum, æque archiepiſcopatu ac *ciuita di Chieti*, Teatea in Marrucinis, inſignita; minora oppida *Peſcara*, Aternum, ad Adriaticum mare; *Ortona*, *Solmona*, Sulmo, & alia. Aprutio adiacet Comitatus MOLISINVS, a *Moliſia* caſtro dictus, cuius oppida ſunt *Larina*, *Triuentum*, *Guardia Alfares*, & ſub Apennino *Iſernia*, Æſernia, & *Boianum*.

CAPITANATA reſpondet Apuliæ Dauniæ. *Manfredonia* archiepiſcopalis eſt apud ruinas Siponti: *Aſculum*, Apulum, *Vieſte*, Apeneſtæ; *Bovinum*, *Troia*, *Volturara*, Vulturaria. BARIANVS ager, *Terra di Bari*, Apulia

Peu-

Peucetiæ pars maior, nomen habet a Bario, *Bari*, archiepiſcopali ciuitate, cuius dignitatis eſt etiam *Trani*, Tranium, vtraque vrbs maritima; ſicut etiam interiacentes *Biſeglia*, Viglia; *Molfetta*, Melfictum; *Giovenazzo*, Iuuenacium: ſed ſupra Tranium *Barletta*, Barulum, ſedes Nazareni archiepiſcopi titularis: infra Barium *Monopolis*: a mari recedunt *Ruvum*, *Bitonto*, Butuntum; *Bitettum*, *Converſanum*: intus *Grauina*.

BASILICATA, pars Lucaniæ mediterranea, etiam Apuliæ. *Cirenza*, Acherontia, oppidum præcipuum: cetera *Lauellum*, *Mons Piloſus*, *Venoſa*, Venuſia, *Murus*, *Rapolla*, *Potenza*, Potentia, *Tricarium*, *Melphis*.

HYDRVNTINA prouincia, *Terra di Otranto*, vetus Calabria ſiue Meſſapia eſt, cuius nunc caput *Lecce*, Aletium habetur: *Otranto* autem, Hydrûs ſiue Hydruntum, portu celebratur, ſupra quam vrbem in eadem ora *Brindiſi*, Brunduſium, itidem portu nobilitatum, & *Oſtunum*: auſtrale latus tenent *Ma-*

tera archiepiſcopalis, *Caſtellaneta*, *Motula*, *Taranto*, Tarentum, & in extremo angulo Sallentinorum *Nardo*, Neritum, *Gallipolis*, *Vgento*, Vxentum, & *Aleſſano*, Alexanum: ſed *Oria*, Vria, ad Apenninum inter Brunduſium & Tarentum.

CAPVT XVIII DE

INSVLIS ITALIAE.

ILluſtriores maioresque inſulas, quæ inter Italiam & Africam ſunt, proxime poſt Italiam adimus. Maxima illatum eſt

SICILIA, cuius regnum aliquando coniunctum fuit Neapolitano, nunc vtrumque in ditione Hiſpanorum. Dividitur hodie in tres prouincias, ſiue *Valles*, quarum quælibet angulum continet promontorio famoſo inſignitum. Prima eſt VALLIS DEMONA, *il Val di Demoni*, in cuius ſeptentrionali latere eſt *Ciualu*, Cephalodium, *Patti* Pactæ, *Milazzo*, Mylæ: in orientali iux

iuxta fretum *Messina*, vrbs populosa & archiepiscopalis, etiam commerciis opulenta, a qua Pachynum versus sunt *Scaletta* castrum, *Taormina*, Tauro-minium: *Catania*, Catana, cum portu, prope radices *Ætnæ* igniuomi, (nunc *Mon Gibello*) episcopalis.

Secunda VALLIS NETINA, *il Val di Noto*, inter ortum & austrum concludens Pachynum promontorium. Orientalis lateris post Demonam Vallem in ora maris sunt *Lentini*, Leontium, *Augusta* a Friderico II, Rom. imperatore & Siciliæ rege, condita, parva quidem sed munita in peninsula: *Siragusa*, Syracusæ, duplici portu instructa, sed a veteri splendore deficiens: *Noto*, Netum, vnde cognominatio Vallis petita est: in latere australi *Camerana*, *Terra noua*, & cetera. Tertia est

VALLIS MAZARA, *il Val di Mazara*, ad occasum extensa, in cuius litore australi, *Gergenti*, Agrigentum, *Calata Belota*, *Sacca*, Thermæ Selinuntiæ, & *Mazara* prope Lilybæum pro-

montorium,ſed ex ruinis Lilybæi oppidi *Marſala* nata propter portus capacitatem, cuius oſtium Carolus V obſtruxit. Inde in ſeptentrionem ſunt *Trapano*, Drepanum, & *Palermo*, Panormus, regni primaria & ſedes proregis & archiepiſcopi, eique proxima vrbs archiepiſcopalis alia *Mont Reale*, Mons Regius. Hæc in litoribus: quæ intus recedunt, pleraque ſunt obſcuriora, ſaltim Germanis minus cognita, v. g. *Calatagirone*, Calata Hieronis, in Valle Netina; *Calatafimi*, in Valle Mazara, & cetera

Inſulæ quoque *Vulcaniæ* ſiue *Æoliæ* ad Siciliam pertinent inter Mylas & Lucaniam ſitæ, e quibus *Lipare* epiſcopum habet.

SARDINIA quoque regni dignitatem adepta Hiſpanici nunc iuris eſt. Primaria vrbs *Cagliari*, Calaris, ad ſinum auſtralis lateris, ſedem proregi & archiepiſcopo præbet; *Igleſias*, Villa Eccleſiæ, prope rudera Sulcitanæ vrbis; *Palma* caſtrum. In latere occidentali *Oriſtagni*, Arborea, & *Saſſaris*, Turris Libyſonis, archiepiſcopales; *Boſa*

Algher

Algher, & *Aragonese* episcopales: ab ortu *Terra Noua*, & alia obscura. Adiacent plures minores insulæ, vt *Asinaria*, *Taularia*, *S. Antiochi*, *S. Petri*, & aliæ.

CORSICA inter Sardiniam & Liguriam in potestate est Genuensis reipublicæ. *Bastia* caput insulæ & sedes gubernatoris portu prædita satis capaci in parte boreali insulæ: *Bonifacium* & *Porto Vecchio*, Portus Vetus, in australi; *Calvi* & *l'Ajazzo*, Adiacium in occidua; *Corte*, Curia, in meditullio. A Corsica pendet etiam parua insula Capraria, *la Capraia*, inter illam & Tusciam posita.

Tandem etiam MELITE, vulgo *Malta*, celeberrima inter Europam & Africam insula, huc referri debet, quia eiectis Saracenis, paruit regibus Siciliæ, donec Ioanniticis equitibus a Carolo V concessa fuit, qui hodieque possident. Vrbs noua insulæ, & munitissima, est *Valleta* ad oram maris quod orientem spectat, vbi equites equitumque Magister commorantur: *Medina* siue

Città Vecchia, vetus Melite, vrbs episcopalis, in mediterraneis eſt. Portus quoque *di Marza Sirocco*, qui auſtrum proſpicit, vtrinque caſtellis munitus eſt. Inde in occaſum æſtiuum modico interuallo abeſt minor inſula GAVLOS, hodie *Goza*, etiam in ditione equitum Melitenſium: caſtellum habet eiusdem nominis.

CAPVT XIX
DE
GRAECIA.

GRæcia Illyrici, Mœſiæ & Thraciæ terminis, ac ora maris Adriatici Ionii ac Ægæi circumſcribitur. Diuiditur in Albaniam, Macedoniam, Græciam propriam & inſulas.

ALBANIA pars Macedoniæ occidentalis etiam Epiri & Illyrici nonnulla complectitur. In Dalmatiæ limit[e] poſt ſinum Catarenſem ſunt in mari ora, *Antiuari*, Antibarum, quondam archiepiſcopale oppidum, & *Dulcigno* Olchinium: intus *Scutari*, Scodra, [...]

Dr

Driuastum iuxta lacum Scodrensem, omnia Turcicæ ditionis; Scutari etiam sedes Bassæ. Sed hæc in veteri Illyride, quam *Drilo*, nunc *lo Drino* fluvius ab Albania propria disterminat, ad cuius ostium est *Alessio*, Lissus, & vltra sinum Drinensem *Durazzo*, Dyrrachium, cum portu: *Croia*, Scanderbegi patria, & *Albanopolis*. Vlterior in litore Adriatici maris *Valona*, Aulon vrbs, capta a Venetis 1690, & munimentis exuta: *Canina* intus sita, ab iisdem euersa. Post hæc in litore succedit *Chimera* intra Ceraunios montes, qui inde *Monti della Chimera* dicuntur: *Butrinto*, Butrotum, *Gomenizza*, *Fanarum* cum portu, & tandem *Preuesa* munita, fere in loco Nicopoleos, ad os Ambracii sinus, Turcis nuper 1684 a Venetis erepta: supra sinum vrbs munita *l' Arta* siue *Larta*, quam vulgo Ambraciam putant esse, alii strenue negant. Sinus ipse modo a Preuesa, modo a Larta cognominatur.

MACEDONIA hodie in suas quoque prouincias diuiditur, vt sunt *Iam-*

boli inter Thraciam & ſinum Thermaicum: *Comenolitari* in Theſſaliam propendens: *Ianna* partem Theſſaliæ, quæ ab auſtro & occaſu eſt, complecti dicitur: quibus *propria Macedonia*, quæ veterem ſitum retinet, a chorographis adiungitur. Singularum terminos conſtituere difficile eſt, quod mediterranea Græciæ noſtris hominibus nondum ſatis ſunt cognita. Vrbes ergo præcipuas tantummodo notamus. In propria inter Albaniam & Thermaicum ſinum, *l' Ocrida*, Achrida ſiue Achrys, in Albaniæ confinio: *Veria*, Berrhœa; *Zuchria*, Pella; *Edeſſa*, *Chitro*, Citrum, ad occidentalem oram prædicti ſinus: in Iamboli *Salonichi*, Theſſalonica, Græcarum vrbium facile primaria & celebre emporium ad extremitatem ſinus Thermaici, qui inde *Golfo di Salonichi* nominatur: *Caſſandra*, *Emboli*, Amphipolis, & trans Strymonem *Philippi*, & *Cauala*, Oeſyma. In Theſſalia citeriore vrbs *Ianna*, ampla & archiepiſcopalis: in vlteriore *Larſo*, Lariſſa, & ad Magneſium ſinum

Ar-

Armiro, & *Volo*, a quibus etiam cognomen ſinui datum eſt.

GRAECIA PROPRIA in *Liuadiam* ſiue Helladem diſtinguimus, & *Moream* ſiue Peloponneſum. LIVADIA ſtrictim dicta, Achaia eſt; latè, quidquid inter Theſſaliam, Ambracium ſinum & Peloponneſum patet. Poſt Lartam, de qua diximus, & Ambracium ſinum in maritima ora *Liſimo*, *Alſipo*, *Neocaſtro* & alia: clariſſima autem, quæ ſequitur, *Lepanto*, Naupactus, a Venetis 1687 expugnata, vnde Criſſæus ſinus *Golfo di Lepanto* vocatur: ſupra medium ſinum *Salona*. Ad alterum ſinum (Salaminium puta, nunc *Golfo di Engia*, quæ Ægina inſula eſt) ſita ſunt *Megra*, Megara, & *Athenæ*, olim quam hodie clariores, quod vix cadauer antiquæ vrbis nunc reliquum eſt; in Venetorum poteſtatem 1687 redactæ. In Bœotia *Thiva*, Thebæ; *Ropo*, Oropus, ac *Scamino*, Sycaminum, & alia.

MOREA, Peloponneſus, plus illuſtrata eſt, præſertim in ora litorali.

Corinthus in iſthmo nomen retinet, non autem veterem dignitatem: ſub Criſſæo ſinu *Zacholi, Caſtri, Cornaro*: Rhium autem cum oppoſito in Liuadia Antirrhio *Dardanelli* nomen ſortitur, in latere occidentali *Patras*, Patræ, *Chiarenza*, Clarentia, Cephaloniæ oppoſita; & *Torneſe*, *Belvedere*; in auſtrali parte *Navarino*, nouum, ſed validum munimentum, *Modon*, Methone, ac ad Meſſenium ſinum *Coron*, Corone, *Calamata*, & diruta a Venetis *Paſſava*; intus paullo ſita ſunt *Celafa*, *Navarino Vecchio*, Pylus Meſſenia, & *Cernata*, a qua prope in ortum diſtat *Miſitra*, quam vulgo Spartam eſſe credunt, ſed Sponio αὐτόπτῃ teſtante quatuor aut quinque M. P. ab ruinis Spartæ remota eſt. In litore poſt ſinum Meſſenium (*Golfo di Coron*) *Porto Vitulo*, & *Maina* oppidum in extremo angulo a quo tractus Laconicæ *Brazo di Maina*, regio Mainotarum appellatur, qui vtcunque libertatem contra Turcos adhuc defenderunt: *Colochina* ad ſinum Laconicum, inde *Golfo de Colochina* vulgo

go appellatum: promontorium *S. Angeli*, Maleum: in litore ortum ſpectante *Malvaſia*, Epidaurus Limera, vrbs vini prouentu nobilitata, inter Maleam & Argolicum ſinum: ad ipſum hunc ſinum *Napoli di Romania*, Nauplia, id eſt Neapolis Conſtantinopolitani imperii, quia *Romania* non Thracia modo, ſed quidquid Græci imperatores poſſidebant vocabatur. *Drapolizza* proxima in occaſum. Mediterranea minus cognita ſunt, vt *Leondari*, Megalopolis; *Argos*, & alia. Tota nunc Peloponneſus bello, quod adhuc geritur, Venetorum facta, vt nihil Turcis in ea relictum ſit.

INSVLAE circa Græciam permultæ ſunt. In mari Ionio Venetorum ditionis ſunt CORFV, Corcyra, cum munita vrbe eiuſdem nominis & aliis minoribus oppidis: *Pachſu* & *Antipachſu*, Paxœ; *S. Maura*, Leucadia 1684 recuperata, cuius munitum oppidum, Ambracium ſinum proſpiciens, operibus continenti coniunctum eſt. CEFALONIA, *Cephalenia*, cum caſtro eius-

eiusdem nominis, & *Argostoli* portu: ZANTE, *Zacynthus*, in eaque cognomine oppidum: CERIGO, *Cythere*, supra Laconicam: Turcicæ autem potestatis adhuc sunt *Sapienza*, Sphagia, inter Methonen (*Modon*) & Coronen, *Sidra* ad Argolidem, *Engia*, Ægina, iuxta Athenas. NEGROPONTE, Eubœa, cuius vrbs quoque primaria, olim Chalcis, *Negroponte* vocatur: in Ægeo mari, quod *Archipelagus* hodie dicitur, *Sciro*, Scirus; *Stalimine*, Lemnus; & Cyclades, *Milo*, Melus; *Argentara*, Cimolus; *Paris*, Parus; *Zea*, Cea; *Sdille*, Delus; *Nio*, Ios; *Christiana*, Lagusa; *Serfino*, Seriphus; *Micone*, Myconos; *Nicsia*, Naxus, & aliæ. Sola *Tine*, Tenus, Andro proxima, ex Cycladibus Venetorum ditioni mansit episcopum Latini ritus habens, præter consuetudinem ceterarum. Quæ ad Asiæ oram vergunt, vt *Scio*, *Nicaria*, & his propinquæ, in Asia enumerabimus. CANDIA autem, vetus *Creta*, post Peloponnesum in meridiem & ortum declinans, Europæ accensetur, tota nunc

in

i ditione Turcorum, poſtquam *Candia*
netropolis (Græcis etiam *Creta*) 1669
miſſa fuit. Tres eius præcipuæ & per-
nunitæ vrbes ſunt, omnes ſeptentrio-
ıali lateri adpoſitæ, *Canea*, *Retimo*, &
Candia, de qua modo diximus: *Sittia*
n parte orientali. *Candia* autem *No-
va* caſtellum erat Turcicum, Candiæ
vrbi, cum adhuc Venetorum eſſet,
oppoſitum, dirutum autem poſt Vete-
ris Candiæ expugnationem. *Standia*
nſula inſtar portus eſt vrbis Candiæ,
cui a ſeptentrione obiacet: Venetis
autem prope Candiam relicta *Suda*, in-
ſuperabile in ſcopulo, vix ccc perticis
a Creta remoto, munimentum cum
egregio portu: & *Spina Longa*, in eo-
dem boreali tractu inſula; & *Carabuſſa*
ab occaſu Candiæ.

CAPVT XX
DE
TVRCIA EVROPAEA.

TVrciam in Europa propriam vo-
cant vtramque Mœſiam cum Thra-
cia, vulgo **die Türckey**. Mœſia autem
ſupe-

ſuperior ex medio vsque æuo *Seruiæ*; inferior *Bulgariæ*; Thracia *Romaniæ* nomen retinet.

SERVIAE prima vrbs in Hungariæ & Sclauoniæ confinio eſt *Alba Græca*, Griechiſch Weiſſenburg / *Belgrad* Turcis, Danubio impoſita: e præcipuis hodie Turcicarum; expugnata a Chriſtianis 1688, ſed altero poſt anno rurſus amiſſa: infra quam in eadem ripa *Zendrew*, Spenderouia, quondam Seruorum regia, 1439 a Turcis occupata: vltra quam *Widin*, Viminacium; *Boroviza*, *Bodon*, & tandem rudera *Pontis Traiani*. Mediterraneæ in Conſtantinopolitana via vrbes ſunt *Samandria*, & *Niſſa*, capta nuper a Cæſareanis; ſed breui poſt a Turcis recuperata: vltra quam *Coitina* thermis amœna; & Macedoniam verſus *Ibar*, *Nouibazar*, *Scupi*, Scopia, *Priſten* ſiue *Priſtina*, Vlpianum, *Procupie*, Procopiana villa.

BVLGARIAE laxiores aliquando fines fuerunt, quam Mœſiæ inferioris. nam *Achrida* etiam, Iuſtiniani

i patria in Macedoniæ finibus, regia
ulgarorum fuisse traditur. Iam
ero propriam describimus, *Ciabro*
mne a Seruia diremtam. In via Con-
tantinopolitana est *Sophia*, olim Sar-
lica, vrbs prima & præcipua: supra
quam Danubium versus *Siliſtria* Bassæ
edes; & in ripa Danubii *Nicopolis*,
uxta quam Sigismundus, post impera-
or, a Baiazete 1395 superatus fuit.
Vlteriora minus nobilia sunt circa
Rhodopen montem: quæ vero Danu-
bio aut Euxino Ponto adiacent, anti-
quis potius, quam barbaris nominibus
hodieque appellantur, nisi quod Dio-
nysopolis ad Pontum *Varna* vocatur,
Vladislai Hungariæ regis funesta cla-
de 1444 famosa.

THRACIAE mediterraneæ vrbes
ad Hebrum sunt *Philippopolis*, *Adria-
nopolis*, quæ sæpe numero aulam Sul-
tani tenet, & vbi in austrum amnis
flectitur, *Traianopolis*: cis fluuium
Maximinopolis: inter Adrianopolim
& Byzantium *Chiurli*. Maritimæ sunt
ad Ægeum mare *Neapolis* & *Maronea*:
ad

ad Hellespontum *Gallipolis*, *Dardanellum* Europæ, & *Nouum Castellum* eiusdem litoris, quibus æqualia munimenta in Asia opponuntur: ad Propontidem (Mare de Marmora) *Rodosto*, *Chora* prope Heracleam; *Siliurea*, Selymbria: & ad Pontum *Stagnara*, Phinopolis, *Malatia*, & alia: caput vero totius imperii Turcici ad Thracium Bosporum *Constantinopolis* est, vrbs amplissima & regia Sultanorum, sicut olim Christianorum orientis principum, *Galata* siue *Pera* (quasi *πέρας κόλπȣ*, trans sinum qui Κέρας dicitur) pars eius aut suburbium a Christianis potissimum habitatur. Insulæ iuxta Thraciam in Ægeo *Tasso*, Thasus, *Samandrachi*, Samothrace: in Propontide *Marmora*, Prœconnesus, marmoribus diues, vnde tum suum nomen habet, tum mari idem impertit.

CAPVT

CAPVT XXI
DE
NATOLIA.

ASia Minor pars erat orientalis Romani imperii, ideoque ἀνατολικὴ, & barbaro æuo corrupte *Natolia* appel-ata fuit. Tota ſubeſt imperio Turco-rum, diuiditurque in quatuor maio-res præfecturas. Occidentalis *Natolia propria* eſt, ſedesque præfecti (Beglerbeg) in vrbe *Cutaige*, quod Cotyæum Phrygiæ erat: ſeptentrionalis, *Tocat* vocata, hoc eſt Bithynia & Pontus, habet præfectum *Tocatæ*, vel *Trapezunte*: auſtralis pars, quæ Pamphyliam Ciliciamque comprehendit, *Caramania* dicta, *Cogni* vrbe, hoc eſt Iconio, præfectum ſuum excipit; orientalis & ad Euphratem excurrens, Cappadociæ pars & Armenia Minor, *Aladuli* vocatur, primariamque vrbem & gubernatoris ſedem *Maraz*, Euphratem verſus habet. Vrbes nobiliores ſub mari *Nigro*, id eſt Euxino Ponto ſunt *Fanaſtro*, Amaſtris; *Sinope* cum portu *Armiro*:

Amna-

Amnasan, Amasia, & *Trebisonde*, Trapezus: supra mediterraneum mare, & quidem ex oriente *Laiazzo*, Issus; *Tarsus*; *Scalemuro*, Anemurium, *Sattalia*, Attalia, *Porto Finicho*, Portus Phœnices in Lycia: ab occidente, in ora Archipelagi, *Andramiti*, Adramytium; *Fochia* siue *Foia Vecchia*, Phocæa; *Smyrna* illustre emporium; *Figena*, Phygela; *Ephesus* nomen retinet; *Melasso*, Mylasa; *Palatschia*, Miletus; *Boudron* castrum in agro Halicarnassi: ad Hellespontum *Dardanellum*, Abydus, in Dardanorum regione, vnde tam huic, quam opposito in Europa castello nomen est: & aliud nouum munimentum simili in Europa respondens: ad Bosporum *Scutari*, Chrysopolis, a qua prope absunt Chalcedonis ruinæ; *Ismid*, Nicomedia ad Propontidis sinum. Mediterraneæ vrbes sunt *Chutaige*, Cotyæum Phrygiæ: *Anguri*, Ancyra Galatiæ: *Suvas*, Sebastopolis, & *Tiagna*, Tiana, & præcipua *Tocat*, Neocæsarea Cappadociæ: *Cogni*, Iconium Lycaoniæ, *Adene*, Adana Ciliciæ, Bassæ

sedes

edes & archiepiſcopalis: & Armeniæ
ninoris *Maraz*, Metita, ac *Malatia*,
Melitene. In Bithynia *Iſnich*, Nicæa; *Ni-
hor*, alia Nicæa; *Burſia*, Pruſa, aliquan-
lo Turcorum regia: Lydiæ *Tira*, Thya-
ira; *Filadelfi*, Philadelphia, & ceteræ.

INSVLAE Aſiæ minoris in Archi-
pelago nobiliores ſunt *Tenedus* ex ad-
verſo ruinarum Troiæ: *Metelino*, Les-
bus, cum oppido cognomine, id eſt
Mitylene, vnde nomen corruptum eſt:
Scio, Chios, Smyrnenſi ſinui oppoſita,
vrbem habens eiusdem nominis: *Na-
caria*, Icaria; *Samo*, Samus e regione
Ephesi: *Lango*, Cos, Halicarnaſſo ob-
iecta: *Nizari*, Niſyrus prope *Capo di
Crio*, Gnidi promontorium: *Scarpan-
o*, Carpathus inter Con & Rhodum;
Piſcopia, Telos; *la Limona*, Limonia:
RHODVS autem, nunc *Rhodi* Italis,
noſtris *Rhodis*, omnibus ſæculis celeber-
ima, vrbem habet primariam eiusdem
nominis, archiepiſcopalem & permu-
itam, 1522 expugnatam a Turcis, in
uorum poteſtate hodieque eſt, veſti-
iis & monumentis Ioanniticorum e-

qui-

quitum, quibus antehac parebat, adhu insignis: CYPRVS denique maxim Natoliæ insularum, Syriæ & Ciliciæ ob versa, Venetorum fuit ab anno 1480 quibus Turci 1570 ademerunt hodie que possident. *Nicosia*, Leucosia Græcis in mediterraneis, insulæ primaria, Bassa sedes & archiepiscopi Latini: *Cerines* Ceraunia ad litus septentrionale, parun munita: *Famagosta*, ad orientale, prop veterem Salamina siue Constantiam ab austro *Salina*, portus Europæis fre quentatus, qui etiam *Larneca* appella tur, a vico vnum lapidem a mari distan te, mercatorum habitaculo eorumqu consulis: *Kiti* siue *Chiti*, Citium, pa gus quidem sed bono portu præditus & in eodem latere occasum versus *Li misso* sine muris emporium cum portu & *Baffo*, Paphus, in ruinis quidem, ta men adhuc emporium. Promontori notiora sunt *S. Epiphanii* maxime occi dentale: & *S. Andreæ* in puncto vlti mo ad orientem: *de Gate* meridiem *de Grega* ortum hibernum; *Carmachit* septentrionem prospectat.

CA

CAPVT XXII
DE
ASIA TVRCORVM
RELIQVA.

QVæ a Natolia ad Perſarum vſque fines prouinciæ Turcis reliquæ unt, vno capite complectemur cum quibusdam aliorum finitimis.

SYRIA, nunc *Sorie* ſiue *Sourie*, aiis *Soriſtan*, Natoliam a mari mediteraneo excipit. In litorali ora ab Iſſio ſinu ad Ægyptum ſunt *Alexandrete*, Turcis Scanderona, celeberrimus porus ad ſinum Iſſicum, cui alius a ſecundo lapide *Baias* coniunctus eſt, ex quo Turci nauigant Conſtantinopolim: *Antakia*, Antiochia ad Orontem prope oſtium: *Tripoli de Sourie*, Tripolis, portu capaci inſtructa: *Gibletto*, Byblus; *Baruti*, Berytus, & in Phœniciæ tractu *Said*, Sidon, oppidum mediocre cum portu; *Sur*, Tyrus, fere in ruinis iacens: *Acre* ſiue *S. Giouani d'Acri*, Ptolemais, portu celebris, quem

Europæi frequentant : *Caſſaria*, Cæſarea, in ruinis iacens : *Iaffa* autem ſiue *Ioppe* magis culta, cuius portum Chriſtiani petunt, qui recta tendunt Hieroſolymam : *Azotus*, & *Aſcalon* a paucis habitantur : *Gaza*, Italis Gazara, a paullo pluribus. Mediterranearum caput *Aleppo* eſt, nobiliſſimum emporium, inter Euphratem & mare fere medium, aliis Hierapolis veterum, aliis Berœa: a qua in auſtrum vergunt *Marra*, ſedes Baſſæ hereditarii ; *Hama*, Apamea, *Hams*, Emeſa ; *Damaſcus* vrbs ampla, & Arabiam verſus *Taïba*: in Palæſtina *Naploſa*, Neapolis, Sichem vetus, ſub monte Garizim, vbi pontifex Samariticus commoratur : *Sebaſte* ſiue Samaria tota in ruinis iacet, a pauciſſimis habitata : *Ginin* maior vicus Arabis dynaſtæ, ſed Turcorum clientis : *Hieroſolyma* autem antiquitatis memoria, quam hodierno cultu, celebrior, quod etiam de *Bethlehem*, *Emaunte* & aliis ſacris locis ſciendum eſt. Ad *Libanum* montem ſunt *Maronitæ*, populus Chriſtianus, qui in ſacris

ris puriore lingua Syriaca; vulgo,
rabica vtuntur. Syriæ tres ſunt
naiores præfecturæ, Aleppenſis, Da-
naſcena, & Tripolitana: minores per-
nultæ.

ARABIA non quidem tota Tur-
corum eſt, ſed maior eius pars ſubeſt
rincipibus; quod vero plerique clien-
es Turcorum ſunt, huc quoque trans-
erre viſum fuit. Triplex eſt: DE-
ERTAE, quæ a Palæſtina ad Euphra-
em vergit, oppida ſunt *Anna* iuxta
uphratem, *Sumiſcaſac* in limite Pa-
æſtinæ: *Machedrabba* in via Alepum
rente: *Tangia* Chaldæam verſus.
ETRAEAE, in meridiem ad ſinum
rabicum tendentis, ſunt *Crac* ſiue
rac aut *Herac*, Petra; *Buſſeret*,
oſtra; *Tor* caſtrum cum portu ad
num Arabicum; montes *Oreb* &
inai radicibus coniuncti cum *S. Ca-*
harinæ monaſterio. FELICIS ſinum
rabicum verſus ſunt *Medina* ſiue
edinatalnabi, & *Mecca*, hæc cunabu-
s, illa ſepulcro Mohammedis famo-
, vtraque a Xeriſo poſſeſſa magnæ

libertatis, & a Perſis æque & Turcis honore ac muneribus culto, quod ex Mohammede, vt credunt, genus ducit: in eodem tractu *Ziden* ad ipſum ſinum, & prope os illius *Zibith*, *Mocha* emporium, & ad oceanum *Aden*, *Caxem*, *Dolſar*, *Matraca* ſiue *Materca* oppidum & promontorium; *Curiate* ac in ora ſinus Ormuziani *Calaiat* & *Maſcat*, antea Luſitanorum, nunc proprii principis, & Maſcat quidem, ſi vera fama eſt, terræ motu nuperrime euerſa: *Sohar* ad eundem ſinum, & *Churfaken* ſiue *Orfaken*, ac *Lima*: ſed *El-Catif* emporium, & *Babr* ad ſinum Perſicum: intus paullo ſub hoc ſinu *Iemen* & *Maſcalat*: & in auſtrum remotiora *Aman*, *Alibinali*, *Fartach*; ſed *Sanaa* & *Almacharana* os verſus Arabici ſinus. Inſulæ Arabicæ ſunt in ſinu Arabico *Canaran* fertilitate inſignis in oceano *Curia* & *Muria* coniunctæ & *Mazira*: in Perſico ſinu *Baharen* nobilis piſcatu margaritarum.

DIARBEK Meſopotamiam, etiam partem Aſſyriæ & Babyloniæ Turcicam,

cam comprehendit. In ripa Euphratis ſiniſtra ſeptentrionem verſus *Bir:* medio ſitu *Racca* vel *Racba:* auſtrum verſus *Hella*, ex ruderibus Babylonis forſan nata: ex aduerſo in Arabica ripa *Kufa*, prope oſtium mixti Euphratis cum Trigride *Balſera* ſiue *Baſſora*, emporium inſigne, quondam ſedes Baſſæ Turcici, nunc proprii principis. Interamniæ vrbes *Orfa* ſeu *Ourfa*, Edeſſa; *Cauſaſer*, & *Amid* ſiue *Caramid*, Amida, Tigrim verſus ſita, cui etiam prouinciæ nomen *Diarbek* aut *Diarbequir* interdum redditur; ſedes eſt ſatrapæ Turcici, & patriarchæ Iacobitarum: *Mardin* munita inde auſtrum tendit, & *Nesbin*, vetus Niſibis in vicum redacta: *Karaſera* in ruinis: *Moſul* Tigri appoſita, reliquias Nini ſiue Niniues tenere dicitur: *Aſanchiuf* trans Tigrim caput regionis & ſæpe præfecti ſedes in confinio Armeniæ. *Bagdad* ampla vrbs, vulgo Babylon perperam dicta, ad Tigrim ita collocata eſt, vt maior & ſplendidior pars trans fluvium ſit in ora Perſidis; minor & im-

munita, cis amnem in Mesopotamia, alteri tamen parte nauali ponte adiuncta: bidui itinere in ortum distat a ruinis antiquæ Babylonis, & Bassam habet Turcicum: *Gezire* in insula Tigris. A septentrione Diarbechiam contingit

ARMENIA Maior, cuius partes *Turcomania* & *Curdistan* dicuntur, illa ad septentrionem & occasum, hæc in ortum & meridiem prospiciens. Caput Turcomaniæ est *Erzerum*, Simyra, Bassæ sedes in parte boreali ad fines Natoliæ, vnde *Kars* in ortum vergit ad Persiæ limitem; *Van*, Ibanum in meridiem: in CVRDORVM gente *Bitlis* præcipua est sub Turcorum potestate: ceteræ principibus subsunt, vel Turcicæ vel Persicæ clientelæ. Notitia recens ecclesiæ Armeniæ patriarchæ sedem constituit *Egmiathin*; episcopales multas, vt *Muéni*, *Vskovang*, cuius episcopus 1664 Biblia Armenica Amsterodami imprimi curauit: *Virap*, *Gesargel*, & ceteras, quarum situs nobis non constat.

GEOR

GEORGIA, indigenis *Gurgista*, ab Armenia in septentrionem inter Pontum & Caspium mare excurrit amplitudine Colchidem & Iberiam comprehendens. Sed hodie aliter diuiditur. Ponti maritima *Mengrelia* vocatur in veteri Colchide: inde ad Caucasum vsque Terra GVRIEL: Iberia antiqua *Imirette* vocatur, cui prouinciæ *Caket* & *Carthuel* magis orientales adiunctæ sunt, Persarum ditioni subiectæ, saltim in clientela illorum. Turcorum autem sunt *Mengrelia*, *Guriel*: etiam *Imirettinus* princeps siue regulus vectigalis illorum. Ad mare est castellum *Gonié* a Ianizaris custoditum, inter quod & Tarabeson, id est Trapezuntem, *Irissa* portus & emporium: supra Phasidem flumen *Anarghia*, Heraclea, & *Isgaour* portus ac forum: *Sauatopolis*, Sebastopolis in hac ora a Chardino præteritur, fortassis excisa: nec *S. Sophiæ* mentionem facit in Circassorum maritimis, sicut etiam vrbem *Fasso*, Phasidem veterum, ad os cognominis amnis sitam in figmentis numerauit.

rauit. Gurielis pars, etiam Caucasi, Turcis est subdita; pars principi tributario. *Cotatis* ad Phasidem, præcipuum oppidum: ac *Acalzika* in Caucaso sedes Bassæ Turcici; in Imiretta *Scander* castrum, quasi Alexandria: & *Chicaris* burgus vno a castro lapide. Cetera sunt obscuriora. *Caket* & *Carthuel* ad Persiam quidem pertinent & *propriam* quasi *Georgiam* constituunt: tamen quod Turcicæ parti connexæ sunt, verbo liceat hic indicasse, Carthuelis tria oppida esse *Gory*, *Aly*, *Suram*, & vrbem populosam *Tifflis*, quam quidam Artaxata credunt esse in confinio Armeniæ Turcicæ, sedes principis Georgiorum, cui magna libertas indulgetur, ne imperio offensus ad Turcos deficiat.

In septentrionali hac plaga COMANIA supra Euxinum Pontum ad Paludem Mæotim recedit sedes CIRCASSORVM, olim Bosporanorum, e quibus qui ad montana in boream colunt, proprie *Cherkes* vocantur, & tractus eorum *Cara Cherkes*, Circassia Nigra, pars

pars maritima seu Ponti ora *Abcas*; homines vtriusque, maxime mediterranei tractus siue *Cherkes* ab omni humanitatis cultu alieni sunt.

CAPVT XXIII
DE
PERSIA.

PErsia siue imperium Sophorum a Tigri ad Indum fere inter Caspias Portas & Hyrcanum mare Oxumque amnem a septentrione; & Persicum sinum ac Indicum oceanum a meridie patet. Secundum Olearium prouinciæ eius sunt *Erak*, Parthia; *Schirvan*, vel *Servan*, Media Atropatene: *Kilan*, pars Hyrcaniæ: *Adirbeizan*, Media Magna: *Thabristan* Hyrcaniæ pars orientalis; *Iran*, Armeniæ & Georgiæ pars inter Cyrum & Araxem: *Chorasan*, Bactriana; *Sablustan*, Paropamisus: *Sagestan*, Drangiana: *Kirman*, Carmania: *Chusistan*, Susiana, quibus *Diarbek*, Mesopotamiam addit, quæ his temporibus in Turcorum potestate

eſt. Interpretatio prouinciarum non modo laudati auctoris, ſed etiam aliorum eſt, licet fieri vix poſſit, vt nouarum termini limitibus veterum ex æquo reſpondeant.

Regia Sophorum ſedes erat initio *Tabris* vel *Tauris* in Media: poſt translata fuit in *Caſwin* ſeu *Casbin* Parthiæ vrbem: tandem in *Isfahan* traducta fuit, eiusdem Parthiæ metropolim, vbi hodieque perſiſtit. Sed nobiliores vrbes tam ſecundum prouincias, quam ex naturali ſitu delineabimus. Quæ ſub tutela Perſarum in Georgia ſint, ſupra diximus: addo ex ARMENIAE parte *Erivan* in Georgiæ confinio, prope rudera Artaxatæ, tribus leucis ab Araxe (*Aras*) fluuio: & in Curdorum regione *Marand*, *Sofian*, & *Salmas* ampliorem. Prouinciæ SERVAN ſiue SCHIRWAN eſt *Derbent* ad Caſpium mare in iis anguſtiis, quæ Caſpiæ Portæ vocabantur, vltima Perſarum & limitanea: a qua in auſtrum *Schamachi* vrbs magna vergit: *Ardebil* ſepulcris regum clara: *Tauris* ſiue *Tabris* in Arme-

meniæ confinio, antiqua regia, vt diximus. In IERAKAGEMI cultiſſima regione totius regni ſunt *Isfahan*, hodierna regia, in parte prouinciæ auſtrali: vnde in ſeptentrionem magis magisque proſpiciunt *Com*, *Caſchan* ſiue *Caſcian*: *Hamadan*, *Saba* ſiue *Sawa*, *Casbin*, *Soltania* fere in ruinis iacens. In KILAN aut GILAN ſunt *Raſt* ſiue *Reſcht* iuxta mare Hyrcanum: *Ferabad* magis orientalis, itidem in maris ora, in tractu qui *Mazanderan* vocatur, vnde vnius diei itinere in ortum abeſt *Eſcref* oppidum noſtro ſæculo condi cœptum. In CHORASAN *Mexat* ſeu *Meſchet*, & *Herat*: metropolis autem *Balch* longius in ortum diſtat: ab ortu hiberno adiacet regio, cui vrbs *Candahar* nomen dat, L milliaribus a fluuio Indo in occaſum remota, Indis, qui posſederant, a Perſis erepta. *Siciſtan* & *Makeran* vtraque prouinciam, Drangianæ partes, denominant, illa in mediterraneis, hæc in maritimis: KIRMAN autem ſiue Carmaniæ ad mare eſt *Guadel* portu & Indicis commerciis non ignobile

bile emporium. FARS est Persia propria, eiusque vrbes *Schiras*, & *Lar*; Persepolis autem rudera ex parte *Cehilminàr* (quasi XL lumina siue turres lumina habentes) appellantur. Inde per regionem *Passà* ad mare transitur, præter oppidum *Darabghi*, a Dario, quem Darab dicunt, tanquam conditore nominatum, quod Chan, id est satrapam habet. Ab ortu est regio *Moghostan*, quæ ad Ormuzianum vsque fretum vergit, solis æstu præferuida, cuius caput est *Minà* arx munita cum adiacente vico. Ab occasu CHVSISTAN, id est Susiane, contingit Persidem, vbi vrbs *Souster* videtur Susa antiqua esse, nunc primaria regionis.

Maritima tandem sinus Persici, qui a *Balsera* vel *Elcatif* cognominatur, vt diximus; perlustranda sunt. In faucibus sinus insula ORMVS sita, quæ regem habuit tributarium Portugallorum; eiectum inde a Persis 1622 Anglorum ope, qui vna cum Belgis ibi negotiationes exercent. Vrbs autem insulæ regia etiam *Ormus* vel *Ormuzium* dictâ

dicta cum castello Portugallorum, nunc fere in vicum redacta est, ex cuius ruinis in continentis litore, oppidum *Gombru* siue *Komron*, quod a victore rege *Bander Abassi* vocatur, propinquum Ormuzio; & *Bander Congo*, & *Riscel* creuerunt. Insulæ illius sinus sunt *Kesem* admodum Ormuzio vicina: & occasum versus *Larec* & *Kechmiche*: etiam ad Arabiam deuergens *Baharin*, piscatu vnionum nobilitata, est Persici iuris: Arabum autem princeps ad oppositum oppidum *Elcatif* similem capturam possidet.

Hæc de Persarum imperio, inter quod & Moscouiticum ad oram Caspii maris occidentalem est DAGHESTAN prouincia, eiusque caput *Tarku*, inter Terki Moscorum & Derbent Persarum limitaneas vrbes situm, sedes est principis Tartarici, qui regioni illi imperat.

CAPVT XXIV DE INDIA.

INdia orientalis in quatuor partes diuiditur: septentrionalis inter In-

dum & Gangem fluuios, aut paullo vltra illos fluuios vtrinquè extenſa, *Indoſtan* vocatur & imperium magni *Mogolis*, quia huic monarchæ partim ſubiecta eſt, partim in fide ac tutela eius tenetur: deinde peninſula magna intra Gangem ab Indi & Gangis oſtiis in auſtrum late excurrens: & alia peninſula extra Gangem, Chinenſi regioni in auſtrum oppoſita: & tandem inſulæ orientales.

MOGOLIS monarchæ imperium ab oceano in ſeptentrionem & Tartariam inclinat. Caput & regia eſt *Agra*, vrbs mediterranea, a qua in ſeptentrionem aliæ populoſæ & regnorum titulis ornatæ diſtant *Delli, Lahor, Naugracut*: in occaſum *Bando*: in auſtrum *Seronge, Gualeor, Chitor, Brampour*; in ortum *Sambal* & aliæ diverſis plagis. nam XL plus minus regna ei ſubdita dicuntur, e quibus ad peninſulam magnam, quæ iam ſequetur, quædam inclinant.

Nam ad Gangis oſtia regnum BENGALA ſitum eſt, cuius vrbs primaria *Ouge*.

ıugel cis oſtia, *Daca* trans illa, *Patna* uperius in citeriore ripa ſita eſt. Poſt ndi oſtia eſt regnum GVZARATE, uod etiam CAMBAYA dicitur ab vrbe *Cambaya*, extremo ſinui eiusdem noninis appoſita: cis ſinum in inſula continenti proxima *Diu* Portugallorum munimentum: trans eundem, ſiue n orientali eius ora, *Suratte* illuſtre emporium, vbi principem ſedem mercaturæ Indicæ Angli collocauerunt; ex autem, Mogolis vaſallus, non Cambayæ, ſed paullo intus *Ahmedabadæ* commoratur. Inter Surattam & Cambayam *Barocci* eſt media: inſula Anglorum *Bambey* infra eam.

A Suratta in auſtrum in magna peninſula cis Gangem ſitum eſt regnum DECAN, cuius regia vrbs VISAPOR in mediterraneis: maritimæ *Daman*, *Baſſaim*, *Dabul*; *Chaoul* autem, *Manora*, & intus *Aſſerim* Portugallorum: poſt quæ ex interuallo *Goa* ſedes proregis Portugalli & caput coloniarum eiusdem nationis, cui *Salſette* inſula adiacet exiguo freto, aut flumine potius

potius diremta. Inde ora MALABARA austrum versus succedit, in qua sunt *Onor*, *Barcelor*, *Mangelor*, *Cananor*, *Cranganor*, *Cochim*, pleraque Portugallorum munimenta, e quibus Cochim & Cananor Batavi 1663 expugnarunt: *Calecut*, inter Cananor & Cranganor, regni singularis caput & primum Indiæ emporium, quod Lusitani, promontorium Bonæ Spei 1498 præteruecti, adierunt. Extremum peninsulæ huius magnæ promontorium in australi angulo *Cap de Comorin* vocatur.

In orientali latere BISNAGARIAE regnum, quod etiam NARSINGAE & COROMANDEL vocatur, in austrum spectat. Partes eius sunt tres, *Bisnagaria* propria, *Coromandel* & *Canara*. Præcipuæ vrbes *Bisnaga* in mediterraneis, *Narsinga* in maritimis, a qua ad vsque Comorinum promontorium est *Coromandelia* propria, in eaque vrbs *Madura*, & *Negapatan* Lusitanis a Belgica societate 1658 ademtum; arx *Crankebar* Danorum orientalis mer-

ıercaturæ præſidium : *Gringi*, & *S.* *'homæ* colonia Portugallorum, & *Gel-* *'ria* arx Batauorum. Supra hoc re-
ınum ſeptentrionem verſus iuxta ſinum
ɟangeticum eſt regnum GONCOLDA,
uius duæ ſunt metropoles in mediter-
aneis *Goncolda* & *Orixa*, a qua etiam
)rixæ regnum non raro vocatur: in
naritimis *Maslipatan* ſiue *Maſulpatan*,
& *Narſingpatan* : cetera minus co-
gnita.

In altera maiori peninſula vltra
regnum Bengalæ & extra Gangem eſt
primum regnum *Aracan*; dein *Pegu*, a
primariis vrbibus nominata : poſt quæ
peninſula Gangetico & Siamico ſinu
arctata veterum Cherſoneſum Auream
conſtituit, cuius præcipuæ nunc vrbes
ſunt *Tanacerin*, & *Malacca* celebre
emporium, olim regia vrbs, poſt
a Luſitanis occupata, his autem a Ba-
tauis 1641 erepta, qui hodieque pos-
ſident. Ad ſinum Siamicum regnum
SIAM, cuius vrbs primaria & regis
ſedes *Odia* prope oſtia fluuii *Menan*:
a quo pendent fiduciario iure regna
Pata-

Patanum in Cherſoneſo Aurea, *Pahanum*, *Lanianum* & alia. CAMBODIA ab ortu, & regna *Iangoma* & *Sango* contingunt. Vltimum eſt regnum COCHINCHINVM, Luſitanis Cauchim China, quod magnum etiam ſinum cognominat, eiusque primariæ vrbes *Quehoa* & *Baubom*, cetera non ſatis cognita.

INSVLAE ad Indiam orientalem pertinentes, ſunt cis Gangem MALDIVAE innumerabiles ante Malabariam peninſulam, ab ipſa natura in certas quaſi claſſes deſcriptæ. Promontorio Comorino propinqua ab ortu CEILAN in primis opulenta, quæ videtur veterum Taprobana fuiſſe: regis ſedes in mediterraneis eſt vrbs *Candi*: maritimam oram Portugalli tenuere, nunc Batavi, expugnatit illorum caſtellis, *Columbo*, *Punte de Galle*, *Negumbo*, & aliis. nam XIIII aut plura ibidem poſſidere dicuntur. In India extra Gangem eſt magna inſula SVMATRA, quam Æquator circulus diuidit, freto diremta a Cherſoneſo Aurea ſiue Malacca; Angli & aliæ nationes in
ora

ora munitiones quasdam exſtruxerunt. Auſtralem partem fretum Bantamicum ab inſula IAVA diſiungit, continente regna *Mataran* & *Bantam*, ita a præcipuis vrbibus nominata, quibus interiacet *Batauia*, antea Iacatra dicta, præcipua Belgarum in oriente, & ſedes gubernatoris generalis. *Bantamæ*, ad fretum ſitæ, Angli negotiatores plurimi habitarunt, quos nuper filius regis Bantamenſis & vna patrem ſuum Hollandorum ope eiecit, quæ lis adhuc inter Anglos & Belgas diſceptatur.

Aliæ per quas Æquator tranſit ſunt BORNEO, eiuſque vrbes *Borneo*, *Bendarmaſſin*, *Lave*, *Iormata*: & CELEBES cum vrbe *Macaſſar*, cuius regem Bataui 1667 ſubegerunt: & aliis *Tello*, *Gliſſon*, *Palacca*, *Linques*, *Cattapan*: munitio *Ioutampon* nunc *Roterdam* vocatur. GILOLO itidem ab Æquatore ſecatur.

Inter Celebes & Gilolo MOLVCCAE inſulæ paruæ ſunt *Ternata*, *Titor*, *Machian*, *Motir* & *Bachian*: quibus *Amboina*, *Buoton*, *Banda*, *Ceram* & aliæ con-

coniunctæ ſunt. Ternata & Tidor reges habent, ſed tributarios Batauorum: *Banda* propria Batauorum ex dono Ternatenſis regis, qui ibi *Naſſovium* caſtellum, ſiue *Wilhelmiburgum* condiderunt: aliæ in his inſulis arces ſunt *Victoria* Amboinæ, *Orania* Ternatæ, &c. Supra Moluccas ſeptentrionem verſus ſunt PHILIPPINAE 1546 auſpiciis Philippi Hiſpaniæ regis ſubiugatæ, quæ ad hunc diem præter *Mindanao*, quæ defecit, ſunt Hiſpanorum. Primaria illarum eſt *Manilha*, quæ vrbem munitam & emporium habet eiuſdem nominis, & aliam vrbem *Luçon*, vnde & *Luçonia* a quibuſdam inſula nominatur. Hæc vt in boream ex Philippinis, ita in auſtrum *Mindanao* ſpectat: mediæ, obſcurioris ſunt nominis. Vltra Philippinas in ortum remotæ ſunt inſulæ *Latronum* ſiue *de las Velas*, quæ nunc etiam inſulæ *Mariæ Annæ* vocantur, a ſeptentrione in meridiem extenſæ, ab Hiſpanis detectæ, & Hispanicæ adhuc ditionis. Præcipuæ earum ſunt *Sanapa*, *Pagan*, *Volia*,

ia, *Inglesa* siue Anglica, *Mao*, *Ota* & ceteræ.

CAPVT XXV

DE CHINA ET TARTARIA.

CHINA siue SINA continentis Asiæ latus meridianum claudit, sicut Tartaria boreale. China ab occasu habet Indiam extra Gangem eiusque *Annanum* regnum, hoc est *Cocinsinum* siue Cochinchinum & *Thunquinum*; ab austro & ortu oceanum; a septentrione Tartariam, a qua stupendæ longitudinis muro seiuncta erat, sed tandem superato muro Tartari inuaserunt, & ad hunc diem possident. Diuiditur in amplas prouincias siue regna. Interiora minus sunt cognita, nec facile consentiunt, qui de ea missionarii memoriæ tradiderunt. In litore, Philippinis insulis opposito, *Kanton* siue *Quancheu* vrbs ampla & splendida, quæ regionem illam denominat, vnde

vnde aduerſo flumine ad vrbes *Xaocheu*, *Nanhum* & alias nauigatur; A dextra fluuii ſunt prouinciæ *Quangſi* & *Yunnam*. A Nanhum terreſtri modico itinere in *Nangan*, flumini *Chung* appoſitam vrbem, transitur, vnde iterum nauigari poteſt in *Nankang*, *Kucheu*, *Tayko*, *Kianſi*, *Nankun*, *Anhing*, & alias maiores vrbes, ac tandem poſt *Kiangi* & *Changi*, maximorum amnium, confluentem, in celeberrimam vrbem *Nanquin*, haud procul ab oſtio Kiangi poſitam, aliquando totius imperii regiam ſedem, hodieque frequens emporium. Inter hanc & Canton in litorali tractu prouinciæ *Chequiang* & *Foquien*: circa *Kiang* autem, ante confluentem, *Huquam* & ſuperior *Suchven*; inde auſtrum verſus *Quicheu*.

Supra Kiangum ſeptentrionem verſus ſunt intus prouinciæ *Honan* & *Xanſi*, magno fluuio *Hoang* diuiſæ: ad mare vergunt *Xantung* & *Leaotung* cum peninſula *Corea*, quæ aliis inſula eſt. Habent & hæ prouinciæ populoſas vrbes, ſed Europæis parum cogni-

tas,

as, vt in Xantung *Cinnan, Cingcheu,*
'ungam: in Leaotung *Leaoyan*: in
-Ionan & Xanſi cognomines regioni,
c alias plures, præſertim ad nauigabi-
es amnes: ſed omnium clariſſima eſt
rbs *Peking* in prouincia eiusdem no-
ninis, Tartariæ limitem attingente.
Hæc enim ſedem imperatori antea pro-
riæ nationis, nunc Tartaro inuaſori
ræbet, quæ plurimis eruditorum vide-
ur magna vrbs *Cambalu* eſſe, & prouin-
ia hæc, ſiue China ſeptentrionalis, ipſa
'athaya, quam Marcus Paulus Venetus
c alii deſcripſerunt.

Prodiit Lutetiæ noua deſcriptio
678, qua prorex *Keſingenſis* 1674 re-
ellaſſe traditur, & ad illud vſque tem-
us ſe contra Tartaros tueri. Sedes
roregum ibidem dicuntur *Keſing, Fo-*
uin& *Canton*: Keſingenſi prouinciæ
ubduntur *Huquam, Quanſi* & *Yunnam.*
ed præſtat de his tacere, quam plura
icere incerta. Portus nobiliores tan-
ummodo adiicimus, qui ſunt in pro-
incia Quantung *Canton*; in Nanqui-
enſi *Ieiencien*; *Tiencienwey* in Pequi-
enſi. Inſu-

Insulæ iuxta Chinam sunt ab austr *Ainam*, prope sinum Cochinchinien sem: & in Cantonio sinu plures par væ, in quarum præcipua, *Gaoxara* dicta vrbs & emporium *Macao*, antea Por tugallorum, nunc ab anno 1668 Chi nensium, qui expugnauerunt: sul Cancri Tropico insula *Formosa*, olim Belgarum, qui in proxima perparu *Toioiana* castellum *Nouam Selandian* exstruxerant, sed 1662 vtramque, Chinensi pirata Coxinio expugnatam amiserunt. Nankiniensi sinui & Co reæ peninsulæ obuersæ sunt *Iaponicæ* id est tres insulæ, quarum maxima *Ia pan* siue *Iaponia*, indigenis *Niphon* vo catur; & duæ mediocres *Xicock*, & *Saikock*, quæ aliis *Ximo* est. Magn illa siue IAPAN in varia regna descri bitur, quæ cuncta subsunt imperatori qui in vrbe *Iedo*, mediterranea seden habet. Ceteræ vrbes notiores sun *Meaco* in meditullio insulæ, & *Osak* & ad mare Chinam versus *Nagata*: a lias, vt Europæis parum notas, præte mittimus: incolæ moribus Chinen

popu

populo non dissimiles: Christianis infensissimi, maxime Lusitanis; in Hollandos aliquanto mitiores. Ceterum nondum satis perspectum est, num insula sit Iaponia, an Tartariæ aut terræ *Iezzo* nuper inuentæ ex septentrione adhæreat: plurimi tamen insulam vocant, quos secuti sumus. Quæ in meridiem adiacent mediocres, æque ac maior, in ditione imperatoris Iaponensis sunt, etiam vrbes satis amplas habent, & XIECOK quidem *Samaqui, Iyo, Tonsa, Ava*; XIMO autem *Nangesaky, Anina, Cocora*, & alias. Huic ab occasu parua insula *Firando* adhæret, in qua Batavi pro commerciis suis, indulgente Iaponensium monarcha, sedem fixerunt.

TARTARIA Magna, olim *Scythia* Asiatica, supra Caspium mare in extremum orientem & septentrionem vergit. Ab occidente Moscouiticum imperium habet, secundum lineam fere ex Wolgæ & Obii ostiis deductam: a meridie magni Mogolis & Chinensium regionem; cetera clauduntur

oceano. Diuidunt Arabes in plures prouincias vix nomine notas Europæis: quæ caussa est, vt vulgari diuisione retenta inspergamus tantummodo, quæ ex aliorum dispensatione in vsum nostrum conferre possumus. Prima pars

TARTARIA DESERTA est occidentalis & Moscouiæ contermina, a Caspio ad Glaciale mare & *Obii* ostium extensa. Partem eius SIBERIAM, cuius vrbs *Tobol* caput est, in imperio Moscorum, quibus paret, exposuimus: vlteriora diuersis subsunt principibus. Qui recentes peregrinationes scripserunt, ex Tobol vrbe profectos per amnem *Irtim* longo tractu se nauigasse tradunt, vsque ad vrbem *Taram*, & inde longius per alias plures regiones.

MAWARALNAHRA, quasi Transoxiana, quæ etiam VSBEK, & *Zagatha* dicitur, inter *Gieihun* & *Chesel*, id est Oxum & Iaxartem conclusa regio est, diuersis subiecta principibus. Vrbes sunt *Samarcanda*, Tamerlanis olim regia

regia, *Bochâra*, siue *Buccâra* Auicennæ philosophi & medici patria: *Fargâna*, quam ita quoque Abulfeda vocat; quibus multi *Balch* adiungunt, quam alii Persicæ prouinciæ Chorasan metropolin faciunt. Ab occasu Caspium mare est; ab ortu regnum *Tobbat* vel *Thibet* cum vrbibus *Thibet* & *Chotan*; & boream versus *Cascar*.

TVRKESTAN trans Iaxartem ac vltra Thibetum regnum, vetus Turcorum patria, antequam per Caucasias portas in Persiam, & inde in Natoliam irruptiones fecerunt. Principes huius regionis & vicinarum fere sine vrbibus in tentoriis habitant; ad orum tamen ponuntur quædam in tabulis, & vltra eos fines *Camul* siue *Xamo*. Fluuius *Irtis* nauigabilis, qui in Obium se exonerat, videtur haud procul ab his finibus iuxta oppidum *Bulugan* oriri, medio cursu varios principatus rigans, *Irdekulu*, *Kol*, *Ablay* & alios, quorum situm, vt & ipsum flumen, frustra in vulgatis chartis requiseris,

CATHAYA ad orientem extrema eſt, in auſtrum tamen magis, quam in ſe- ptentrionem propendens. In finibus vrbes notantur *Kokotam* vallo & tur- ribus munita: & *Capty*, ſita intra præ- celſas rupes, quibus famoſus murus Chinenſis impoſitus eſt, vnde VII die- rum itinere abeſt *Cambalu* metropoli Cathayæ & domicilium magni Cham atque nunc etiam imperatoris Chinen- ſis; quæ ſecundum plurimorum ſen- tentiam ipſa *Pequin*, eſt, caput China ſeptentrionalis: vrbs ingentis magni tudinis, quam quidem non alluit, ne tamen ex longinquo præterfluit *Cha tul*, quo amne Hollandi in commer ciis vtuntur. Qui 1653 ex Moſco via legatus eo venerat, inter Cathayan *veterem* & *nouam* diſtinguit: Cambu lu in noua ponit: veterem etiam *K- ratſei* (forſan Karakatai) vocari ai & diuitiis nouam ſuperare, præſerti martibus Zibelinis, quanquam nou etiam aromatum prouentum tribua An vero Magnus Cham etiam vetere poſſideat, non habet legatus ille, quc

pi

pro certo adfirmet: quosdam ait plane dubitare.

NIVCHE autem, ſiue NIVKE, ea Tartariæ pars, vnde profecti ſunt qui Chinam occuparunt, non videtur multum diſtincta eſſe a veteri, quam dicunt, Cathaya: cetera, quæ longiſſime in ſeptentrionem tendunt, vt inacceſſa Europæis, penitus obſcurata ſunt, & quas regiones *Naimam*, *Mongul*, aliasque tabulæ vocant, ſuis auctoribus explicandas relinquimus, hoc ſolum adiicientes, permultos eſſe, qui *Tataros* potius, quam *Tartaros*, hos populos vocari contendant.

CAPVT XXVI.
DE
AFRICA.

ASia nunc omni perluſtrata, ab ortu in occaſum reuertimur, Africam quoque, qua breuitate fieri poteſt, explicaturi. Primum autem maritimam oram interni maris ab Ægypto ad Gaditanum ſinum; deinde interi-

ora etiam, quantum nota ſunt, recenſebimus.

AEGYPTVS, *Miſir* Turcis ex Ebræo nomine Miyráim, ab Arabia ſupra mediterraneum mare ad Barbariam vſque extenſa, Turcicæ nunc ditionis eſt. *Nilo* fluuio rigatur, qui vero non ſeptem hodie, ſed tribus tantum oſtiis in mare effunditur, reliquis arena & limo obturatis: nec alueus qui Alexandriam præterfluit, iam nauigabilis eſt.

Vrbs præcipua eſt *Cayro*, ex Memphis & Babylonis nouæ ruinis nata, facile ampliſſima terrarum orbis ac ingens emporium iuxta diuortium Nili, duabus tamen leucis a flumine in ortum remota: *Bulac* pagus Cayrenſium in Nilo portus eſt in ripa orientali fluminis adhuc indiuiſi, ſed paullo inferius diſpenſandi in alueos, qui Damiatam & Alexandriam alluunt. Inter portum & vrbem rudera magnæ ciuitatis, Babylonis puta, interiacent, ſicut trans flumen nec Memphiticæ vrbis deſunt veſtigia: præſertim *pyramide*

nides in agro eius vrbis, quarum tres
naximæ ſuperſunt XII m. p. in occa-
ſum a Nilo remotæ.

Maritima ora tres inſignes vrbes
habet, *Damiatam* ab ortu, *Alexandri-*
am ab occaſu, *Roſetto*, medio loco.
Caue vero credas cum vulgo, Peluſi-
um oppidum eſſe, quod nunc *Damia-*
tam vocamus. Fuit illud vltimo Ni-
li oſtio, qua parte Syriam Arabiamque
ſpectat, extra Delta; Damiata Tani-
tico, hoc eſt interiori Nili oſtio, intra-
que Delta, appoſita. *Roſetto* in occi-
dentali ripa maximi & nauigabilis oſtii
non magna quidem, admodum tamen
populoſa vrbs & mercatoribus fre-
quentata. *Alexandria* patriarchalis
ciuitas ad vltimum ab occaſu, & te-
nue oſtium (aquis noua diſpenſatione
in Roſettanum fere omnibus effuſis)
plena iam ruinarum, quæ priſtinam
monſtrant magnitudinem. *Pharus* o-
lim inſula, iam continenti coniuncta,
nec veſtigium inſulæ ſupereſt.

Nilo ſuperiori adiacet *Abutich*, A-
bydus; *Azioth*, Bubaſtus, *Mania*, Ly-

copolis: ſinui Arabico *Suaquem*, in medio Arabici ſinus, inter os eius & cuſpidem, emporium, Ptolemais Troglodytarum; & *Coſſir* ſiue *Choſair*, Berenice, in Æthiopiæ ad eundem ſinum confinio: in cuſpide ſinus, Arabiæ collimitata *Suez* vrbs parua, ſed frequens, armamentario nauali inſtructa.

Quæ nunc ſequuntur vſque ad occidentalem oceanum, BARBARIAE nomine vulgo vocantur, eiusque partes ſunt

BARCA, ſiue regnum Barcanum, Marmaricam tenens & Cyrenaicam, inter Ægyptum & Tripolitanum regnum ſuper mediterraneum mare poſitum, etiam ſub dominio Turcorum. Caput eius eſt vrbs *Barca* in mediterraneis, vnde nomen habet; *Cairoan* Cyrene, quodammodo reducta a mari ad Syrticum ſinum *Bernicho*, Berenice; *Tolemeta*, Ptolemais; *Taochara* Arſinoe, & cis ſinum *Bon Andrea*, Apollonia, cum promontorio huius nominis & portu: in Marmaricæ finibus *Porto d' Alberton*, Paratonium.

TRIPOLITANVM regnum ab occaſ

caſu excipit. Caput *Tripolis* vrbs potens & piratica æque, ac Alger & Tunis, formidabilis, in tutela Turcorum, inter vtramque Syrtem ſita a qua in ortum diſtat *Lepe*, Lebeda: in occaſum *Tripoli Vecchia*, Vetus Tripolis, *Zoara*, & *Capes*, vnde Byzacenæ ſinus *Golfo de Capes* cognominatur: intus *Hamma* & aliæ.

TVNETANVM regnum, Africam propriam continet, ſiquidem *Tunis* vrbs princeps & præpotens nauigationibus, ex Carthaginis ruinis incrementum habuit, a cuius loco altero milliario diſtat. Etiam hoc regnum in clientela Turcorum eſt. In maris ora ſubſunt prope metropolim *Goletum* ab Hiſpanis munitum, ſed 1574 amiſſum: *Porto Farina*, Vtica, & *Biſerta*: ab ortu *Suſa* & *Hammamet*; *Bona*, Hippo Regius, ab occaſu: intus ſupra Suſam *Cayrouan* ſiue *Caruan*, Calipharum aliquando ſedes: ſub metropoli *Beya* & aliæ. Inſulæ *Guletta*, *Pandalarea*, & *Capo Bona* ſiue Bonæ promontorium nautis nota ſunt.

ALGERIANVM regnum amplisſimum

ſimum eſt, Numidiam & Mauritaniæ partem, id eſt Sitifenſem & Cæſaream, complectens, quod ſub Turcorum clientela talem nunc reip. formam habet, quæ ex piratica maxime, qua formidabilis Chriſtianis eſt, ſuas opes conſervet. *Alger* caput, vrbs magna & maritima, Arabibus *Gezaira* dicta, quo nomine & Algeriana propria, ſiue ager vrbi ſubiectus, appellari ſolet. Præterea duas magnas prouincias, etiam ſub regnorum titulo, habet ab oriente; totidem ab occaſu. In Tunetani confinio eſt CONSTANTINAE regio, ab vrbe mediterranea *Conſtantina*, veterum Cirta, nomen trahens; inter quem tractum & Algerium in maris ora *Bugia* eſt, olim Salde, arce & portu valida, quæ etiam prouinciam denominat, in qua præter hanc vrbem etiam *Steffi* vel *Stiffa*, antiqua Sitifis continetur. Ab occaſu Algerii eſt vrbs *Teneſa* ſiue *Tenez*, etiam prouinciæ cognomini caput, munimentis, portu & promontorio clara: & vlterius *Tremiſen*, ſiue *Telenſinum*, vrbs ampla ſuper oſtia flu-

rii *Teffifii*, olim regia, & adhuc ſuæ prouinciæ, quam denominat, primaria. In hoc tractu inter Teneſam & Telenſinum Hiſpani poſſident *Oran* & *Mazalquibir*, munita ad mare oppida, a Ferdinando Catholico occupata.

FESSANVM regnum, (cui Marocenſe & Tafiletum interdum coniunguntur, a nobis ſeparatim ſcribenda) Mauritaniam Tingitanam abſoluit, diuiſumque eſt in VIII prouincias, ne nomine quidem Europæis ſatis notas, qui in litorum cognitione ferme ſola adquieſcunt. A Tremiſano regno per fluuium *Meluya*, Muluiam, ſeparatur, prope cuius oſtium *Melilla* eſt Hiſpanici iuris propugnaculum, vt etiam, quæ in occaſum ſequuntur, *Algouzenes* & *Pennon de Velez* in ora mediterranei maris; *Tetuan* ſiue *Toutoüan* prope mare, & cetera in barbarorum poteſtate. Regia *Fezz* in interioribus regni ſita in duas vrbes, Fez-Belé, magnam & prædiuitem; & Fez Gedide, minorem, ſed magis munitam, diuiſa: ab ortu *Theza* adiacet, ab occaſu vrbs *Miquenez*, vbi

rex commoratur. Ad fretum Herculeum *Ceuta*, Septa, Hiſpanorum; & *Tanger*, Tingis, Portugallorum antea, poſt Anglis conceſſa, qui nuper deſeruerunt. In ora Oceani a freto in auſtrum ſita *Arzilla*, ab Hiſpanis derelicta; *Alcaſſar*, barbarica; *l' Arache*, Lixus, Hiſpanorum; *Mamora*, ad oſtium fluminis *Subæ* eorundem, ſed nuper a Mauris expugnata: *Salée* ſedes proregis barbari, nauibus & commerciis potens, vt fœdera etiam cum Belgis & aliis exteris percutiat: *Anafé* ſiue *Anfa*, nunc deſerta & belluarum habitaculum, integris quanquam muris atque tectis. Hinc

MAROCCENSE regnum in auſtrum ſubiacet. Prima poſt Anfam vrbs maritima *Azamor*, dein Portugallorum *Maſagan*; poſt *Valadie*; *Safie* ab Hiſpanis deſerta, ſicut etiam quæ ex interuallo ſequitur *Sancta Crux*, in prouincia SVS, cuius quoque eſt caſtellum *Sus*, & *Maſa*, & intus *Tarabanta* vltra montes, qui cum Atlante cohærent, citra quos pariter in mediterrane-

raneis eſt *Marocco* regia & vel maior vrbs quam Fezza, a qua in ortum diſtat *Zaouias*. Pars auſtralis prouinciæ Sus defecit a rege, & principem ſibi, quem Gaylan vocant, conſtituit, cuius ſedes eſt *Illec*, vrbs ampla & diues in mediterraneis.

TAFILET regnum quidem ſingulare eſt vltra Atlantem montem, in auſtrum Fezzano, in ortum hibernum Maroccenſi oppoſitum, verum non aliam nobilem vrbem habet, quam *Tafilet*, & tria hæc regna Fezz, Marocco, & Tafilet a fratribus hodie poſſideri dicuntur.

Interiora Africæ ſunt minus cognita. Algerianis & Tunetanis prouinciis BILEDVLGERID obiicitur, cui interdum ita laxi fines ponuntur, vt vniuerſæ Barbariæ a meridie ſubtendatur; *Dahra* vrbs & prouincia eius mare verſus Atlanticum. Vltra Biledulgeridiam ſunt *Zaaræ* deſerta, & Nigritarum regio iuxta fluuium *Nigrin*, qui Nili ſiniſter alueus eſt, ex Æthiopia in Atlanticum oceanum decurrens, cui

propter Viride promontorium (*Cabo Verde*) intimatur. Barca & Ægypti parti ab auſtro, Habeſſiniæ ab occaſu opponitur NVBIA, cuius vrbs princeps traditur *Dancala* eſſe; ceteræ *Cuſa*, *Gualua*, *Ialac*, *Sula*, ſi fides relationi in tam dubiis & incertis habenda eſt.

HABESSINIA ſiue Æthiopum Chriſtianorum regio, ab Ægypto in auſtrum, & a Nubia in ortum hibernum longe lateque tendit, de qua mirum quam falſa ab Europæis adhuc fuerint vel tradita vel excepta: veriora nunc tradente ſummo viro Iobo Ludolfo, qui in regiones illam certas deſcripſit, e quibus *Ambara* nobiliſſima eſt in meditullio ferme Habeſſiniæ poſita, & regum hodiernorum ac præcipuæ nobilitatis patria: ceterarum nomina ex ipſius Hiſtoria Æthiopica petantur, cuius commentarii & Geographica Æthiopiæ tabula clariſſimam in re dubia & obſcura lucem dant. Solam addimus prouinciam, quæ *Gojam* (J Gallico) vocatur; iuxta eam enim, qui tot ſæculis latuerunt, *fontes Nili*

reper-

:perti ſunt, illamque fluuius iſte, vt
eninſulam, vere totam circumfluit,
ui infra eam diuortium facit, & dex-
rum alueum per Ægyptum in medi-
erraneum mare; ſiniſtrum, qui *Niger*
ocatur, transuerſo itinere in Atlanti-
um mare immittit. Vrbes in his re-
ionibus nullæ ſunt, ſed ſub tentoriis
iuitur, & aulam ipſe rex pro arbitrio
ransfert, de quo vnum adiicimus, ma-
e vulgo Presbyterum Ioannem ex ne-
ſcio cuius Aſiatici regis *Preſter-Chan*
nomine tum praue intellecto, tum
peius applicato, appellari. Habeſſinis
a latere *Gallani* ſiue *Galla*, adiacent,
gens ſæua & barbara, illisque perpetuo
nfeſta. Qui plura cupit de vtraque
gente, ad Ludolfum, quem honoris
cauſſa appellamus, vnicum in his
tenebris phosphorum, volumus ſe con-
vertat.

Sequitur ora litoralis oceani Æthi-
opici (ſeu orientalis reſpectu Africæ)
quæ ZANGVEBAR appellatur mul-
taque regna ab Luſitanis perluſtrata
continet. Prope Æquatorem eſt *Ma-*
gado-

gadoxo ; vltra illum *Lamon*, *Melind*
Monbazo, *Zanzibar* ſiue Zangueba
proprium in inſula; *Quiloa*, *Mozam*
bique, *Zefala* vel *Sofala*, vſque ad Ca
pricorni Tropicum, ſingula regnorun
capita, a Luſitanis pleraque ita ſubiuga
ta, vt tributarios eorum regulos habe
ant, etiam caſtellis exſtructis ſtabilen
mercaturæ ſuæ ibi ſedem collocaue
rint. Prorex, ſiue gubernator regi
Portugalli auſpiciis, Mozambiquæ ſe
det, eiusque adiunctus Zefalæ. Qui-
dam Zanguebarinum tractum etiam in
ſeptentrionem protendunt vſque ad
fretum ſeu os Arabici ſinus, quod *Ba-*
bel Mandel hodie vocatur, ſicque *Ayan*,
Adea, *Adel* aliasque obſcuras regiones
comprehendunt.

Circa Capricorni Tropicum regnum
MONOMOTAPANVM eſt, Cafreriæ ſi-
ve Hottentotarum regioni ab ortu op-
poſitum, cuius partes in litore orienta-
li, *Sedanda*, *Chicanga* & aliæ ſunt.
Monomotapa regia vrbs in mediterra-
neis vltra Tropicum; *Butua* cis eun-
dem in confinio imperii MONOEMVGINI,
quod

quod a ſeptentrione Monomotapanum contingit: QVITEVE regnum circa flumen Sofalam eſt. Prætermiſſis aliis obſcuris regnis, ſolos CAFRES populos ex hoc auſtrali tractu ſuperaddimus, feros & crudeles, quos *Hottentotas* a lingua illorum ſeu loquela inepta & ridicula appellant. In extremo & huius gentis & Africæ angulo ad promontorium, quod *Bonæ Spei* vocatur, Hollandi munimentum poſuerunt, vt portu ſuo hoſpitium eſſet, & neceſſaria itineri præberet nauibus, quæ in Indiam orientalem eunt redeuntque.

Inter Tropicum Capricorni & Æquatorem ſunt in occidentali latere plura regna *Mataman*, *Angola*, *Congo*, & *Loango*, hisque alia minora immixta, vt *Benguela* inter Angola & Mataman. Matamannum Cafribus collimitatur: *Benguela* nomen ab vrbe maritima trahit, quæ duplex, Noua, auſtralis; & Vetus ex magno interuallo ſeptentrionem verſus ſita. ANGOLAE præcipua vrbs eſt *Loanda*, ſiue fanum *S. Pauli de Loanda*, capacem portum habens

in

in parua inſula continenti propinqua: ſub dominio Portugallorum, ſicut in CONGO *S. Saluator*, incolis *Banza*: & *Bamba*, ac alia.

Receſſus litoris, ſupra Æquatorem in occaſum vergens, ſupereſt, GVINEA appellatus, diues regio & a multis Europæis petita. Nam non modo Luſitani, vt in aliis oris Africæ, ſed Galli, Hiſpani, Belgæ, Angli, Dani, Brandenburgici, hic arces condiderunt mercaturæ ſuæ præſidia, vt celebrantur Batauorum caſtella *del Mina, Sommà, Secondè, Butroo*, & alia: arx Capitis Corſi, *Capocors* poſt varios dominos iam Anglorum: *Fridericoburgum*, iuxta *Capo tres puntas* in ditione Electoris Brandenburgici, cuius & *Takorare* eſt; atque ſic alia aliorum. Diuiditur tota Guinea in tres partes: media *Guinea propria* eſt ab occaſu promontorio *Palmarum*; ab ortu *Cabo de tres Puntas*, ſiue regno Benini terminata, continetque Oram Auream (*la coſte d'or*) & Littus Dentium: occidentalis pars *Malegueta*, vſque ad altiſſimum promontorium *Sier-*

Sierra Liona: orientalis *Benini* dicitur. Inter hunc tractum & Tropicum Cancri etiam multa regna iuxta Atlanticum mare sunt *Melli, Geneboa, Gualata,* & intus *Madinga, Tombotu, Agade,* & alia, a primariis vrbibus pleraque denominata: sicut etiam in ora Nigris fluuii vrbes non paucæ a Geographis notantur, quas nominare supersedeo. De *Viridi Promontorio* prope huius amnis ostium, supra diximus: *Arguin* castellum & insula parua iuxta litus eiusdem nominis in regione Gualata varios dominos habuit, Lusitanos conditores, Belgas postea inuasores, nunc Anglos: inde Atlantem versus *Cabo Blanco*, Album promontorium est.

INSVLAE circa Africam sunt in Atlantico oceano CANARIAE, olim Fortunatæ, e regione Atlantis, septem numero, *Canaria* magna, *Teneriffa* quæ altissimum montem *Pico* habet: *Palma, Gomera, Ferro, Lancerota, Madera* septentrionalior, vt & *Porto Santo.* Subsunt regi Hispanorum, & omnium insularum in vrbe Canariæ magnæ,

gnæ, quæ *Ciuitas Palmarum* eſt, iuridicus conuentus celebratur.

Inſulæ DE CABO VERDE, promontorio Viridi obiectæ & Nigris oſtio, olim Heſperides ſiue Gorgones, vltra Tropicum Cancri in eodem oceano ſunt. In maxima *S. Iacobi*, Portugalli vrbem *Ribiera grande* condiderunt; ceteræ ſunt *S. Luciæ*, *Antonii*, *Vincentii*, *Nicolai*, *de Sal*, & ſi quæ aliæ.

Minores ſeparatæ in occidentali oceano ſunt inſula *S. Thomæ* ſub æquinoctiali linea, a Luſitanis reperta, poſt a Belgis erepta, iterum a Luſitanis, recuperata. Vicina in ſeptentrionem Inſula *Principis*, & *Fernando Poo*; in auſtrum *Annabon*, ſub auſpiciis noui anni inuenta. Inde in occaſum recedunt inſula *S. Matthæi* & *Aſcenſionis*, medio inter Africam & Americam ſitu. Inſula *Helenæ*, communis antea nauigantibus, qui ſe inde reficiebant: nunc Anglorum tenetur præſidio: inſula autem *S. Helenæ Nova* ab iſta in ortum magis remota eſt. In oceano orientali MADAGASCAR, ſiue S. *Laurentii*, Gallis

Gallis etiam *Insula Delphini* dicta, in maximis insularum numeranda, nondum tota cognita est, præsertim in parte septentrionali: in australi nuper colonias quasdam Galli condiderunt. Portus quidam castellis sunt muniti, vt *S. Augustini*, *Vincentii*, *Andreæ* in latere occidentali; *Delphini* in australi; *S. Antonii* in ortu æstiuo. Plures parvæ insulæ hanc magnam circumiacent, in quibus, quæ *Comeres* dicuntur, sunt Quiloam & Mozambicam versus, in iisque *S. Christophori*, *S. Spiritus*, & aliæ: ad ortum a Madagascaria, insula *Mauricii*, quæ Belgarum coloniam habet, & *Burbonia*, siue *Isle de Bourbon*, & aliæ recedunt.

CAPVT XXVII
DE
AMERICA.

AMerica seu India Occidentalis (West-Indien) per Christophorum Columbum Genuensem 1492 detecta fuit, qui vero insulas solum Hispanio-

ſpaniolam, Cubam, Iamaicam & proximas adiit. Sed Americus Veſputius Florentinus ipſam continentem ingreſſus eſt, vnde in dies latius patuit America, pluresque regiones fuerunt repertæ. An priſcis ſæculis nota fuerit, valde dubium & incertum eſt, nec magna illa inſula, quam *Atlantidem* Plato vocauit, definire poteſt controuerſiam. Nihilominus ante Columbum oram Braſilianam nauigatam fuiſſe ab Antonio Zeno Veneto, & Martino Behaimo, Crumlouienſi e Bohemia non ſine fide probabilitatis eruditi viri tradiderunt.

Diuiditur America in *ſeptentrionalem* & *auſtralem*, quæ iſthmo *anamico*, tanquam duæ peninſulæ cohærent.

Septentrionalis in litore occidentali, vbi *Nouam Albionem* ponunt, nondum eſt cognita: neque ſatis perluſtrata, quæ in ortum inde æſtiuum tendunt, *Noua Dania*, *Noua NortWallia*, *Sudwallia*, & alia: orientalis litoris eſt a ſeptentrione poſt fretum *Hudſonium* ESTOTILANDIA ſiue *Terra Laboratoris*, quæ etiam *Noua Britannia* vocatur,

:ur, infra quam maximo tractu NOVA FRANCIA siue CONADA extenditur, distincta in plures prouincias, *Saguenaiam*, *Conadam propriam*, *Acadiam*, Nouam *Angliam*, cui immixta *Neu Nieder land*; *Nouam Sueciam*, ac tandem in Floridæ confinio *Virginiam*, ab Anglis inuentoribus in Elisabethæ reginæ honorem ita appellatam. In singulis suarum gentium coloniæ, plurimæ autem Gallicanæ, quarum caput est *Quebec* vrbs cum arce ad fluuium *S. Laurentii*: in Noua Anglia *Baston*, *Neu York*, quæ antea *Novum Amsterodamum* dicebatur: & tractus qui *Pensiluania* colonia appellatur, & *Carolina* prouincia, vtraque Anglorum, qui in Virginia metropolin habent *Iames Town*, Iacobipolim, & alias. Hinc

FLORIDA ampla regio vsque ad *sinum Mexicanum* extensa, ab Hispanis, Gallis & Anglis pro diuersis partibus in litore possessa. Hispanorum arces sunt *S. Matthæi* & *S. Augustini*: Gallorum *Carolina* & aliæ, qui nuperrime nouam ibi prouinciam Ludouicianam, *la Lovisia*.

viſiane, inuenerunt, ſupra Mexicanum ſinum in occaſum & mare verſus, quod *Vermeio* vocant & Californiam inſulam ſeparat, productam. Supra hanc in boream late patet *Nouum Mexicum* infra eam in auſtrum & Iſthmum verſus NOVA HISPANIA in plures provincias diuiſa, e quibus præcipua eſt *Mexicana* ab vrbe primaria & ſede proregis *Mexico* cognominata: aliæ vrbes *Mechoacan*, *Gaudalaria*, *S. Iago de Guatimala*, *la Puebla de los Angelos*, & ad ſinum Mexicanum *Panuco*; in peninſula eius ſinus *Salamanca*, *Merida*, & ceteræ.

In iſthmo ſiue *Terra firma* ad ſuperum mare vrbs *Nombre de Dios*, & *Porto Belo*, Portus Pulcher: ad inferum *Panama*, per quarum interuallum merces terreſtri itinere in alterum mare deuehuntur.

In auſtrali America poſt iſthmum ad mare *Pacificum* eſt ditiſſima regio PERV, cuius vrbes maiores ſunt *Quito* mediterranea prope Æquatorem: *Lima* maritima, ſedes proregis, conſilii &

acade

cademiæ: *Cusco* barbarorum quon-
am regia in mediterraneis, nunc epi-
:opalis: *la Plata* archiepiſcopalis ſub
adice montis *Potoſi* auri argentique
odinis famoſisſimi. Subiacent Peru-
ano regno ad mare CHILI, intus TV-
VMANIA vſque ad *Rio dela Plata*, id eſt
rgenti fluuium, per quem prima clas-
, quæ argentum in Hiſpaniam ad-
exit, in oceanum deducta fuit, vnde
iam nomen accepit. Ad os hujus
gentis fluminis eſt vrbs *Buenos Ayres*,
onus Aer, quæ etiam *Ciuitas Trinitatis*
ppellatur. Ignobiliora ſunt, quæ
hoc oſtio ad fretum vſque Magel-
nicum in meridiem ſita ſunt; vlte-
ora, capite vltimo attingemus.

Supra fluuium de la Plata obſcuræ
giones ſunt, ultra quas cum oppidis
quot ſub Tropico ferme Capricorni
is, *Septem Angelorum*, *Ciudad Real*. *S.*
l & aliis GVAIRA: ſed nobilior, quæ
le in ſeptentrionem adſurgit BRASI-
A ditionis Portugallicæ, inter Tropi-
m & Æquatorem latisſime extenſa.
bes ejus præcipuæ ſunt ab auſtro in

boream, *S. Sebastiani* ad ostium fluminis *Ianuarii*: ciuitas *Spiritus Sancti*, *Porto Seguro*, *Porto todos los sanctos*, h. e. Omniũ Sanctorum, *S. Salvator*, *Olinda* in Pernambuci præfectura, vnde sæpe etiam cognominatur: *Paraiba* (quam Belgæ *Fridericiam* vocabant, quum aliquando possiderent) *Siara*, & *Para* ad ostium fluuii Amazonii, omnium, vt fertur, maximi. A Brasilia ad isthmum vsque Panamicum est TERRA FIRMA in varias regiones diuisa, vt sunt *Caribana*, *Venezquela*, *Granada* & ceteræ: vrbes *Corduba* siue *Comana*, *S. Martha*, *Cartagena* & aliæ. *Terra Firma propria* est ipse Isthmus, quem supra exposuimus.

INSVLAE Americanæ ab æquatore in septentrionem sunt primum CARIBES siue ANTILLAE, diuisæ bipartito, *Sottauento*, australes, e quibus *Margarita* & *Trinitatis* Hispanorum; iuxta quas vnionum piscatio nobilis est: adiacent in ortum *Boriquen*, *S. Crux*, & ceteræ: sed *Curassou* & *Tabago* Belgarum, & aliæ. Quædam sita sunt *Barlovento*, vt *Barbados* Anglorum

m *Martinique* Gallorum, *Christophori* rundem & Anglorum: *Eustachii* Bel-rum; *S.Thomæ* Danorum: *Porto Rico*, rtus diues, cum vrbe cognomine *S. Iohannis*, ſub dominio Hiſpano-n, & innumeræ aliæ.

Majores his adiacent CVBA, quæ op-lum & portum celeberrimum habet *uana*:, & huic proxima in ortum SPANIOLA, in qua urbs archiepiſco-is eſt *S. Dominici* fanum: vtraque ſpanorum: Anglorum autem *Iamai-* minor iſtis & in auſtrum inclinans. pra Tropicum ſunt *Lucaiæ* inſulæ, ræque obſcuræ: *Bermudes* plures in teſtate Anglorum: *Terra Noua* iuxta um; S. Laurentii: *Drogeo* ſiue inſula monum, ſpectrorum diritate infa-s: In occaſum diſtat *California*, aliis ninſula, vnde non longisſimus tra-tus eſt in regionem *Iezzo* nuper in-ntam, de qua in Iaponicis inſulis uca diximus. Hæ vero omnes ad realem Americam pertinent: in ſtrali pauciores ſunt & pleræque obſcuræ; fluuialis parua *S. Gabriel*

in flumine dela Plata Portugallorur
nuper 1681. celebrior ideo facta, quo
ab Hispanis occupata & restituta fuit

Dubiæ siue inter Europam & Am
ricam mediæ in septentrionali ocean
sunt *Asores* (id est *accipitrum* insula
hoc enim vox Lusitanica sonat) qu
etiam *Flandricæ* appellantur, ante C
lumbi tempora a Martiano Behaim
detectæ, qui in aliquamillarum *Fag*
lem a fagis dictam, coloniam ex Flar
dria deduxit auspiciis Isabellæ vidu
Belgii principis. Nunc præcipua ill
rum *Tercera* est cum oppido *Angran*
in ditione Portugallorum.

CAPVT XXVIII.

DE
TERRA INCOGNI TA.

QVæ regiones non conspectæ, ni
ex longinquo sunt, aut in extrem
tantum ora quodammodo lustratæ
incognita terra appellantur. Septer
tri

ionalis tres partes ſunt Grönlandia,
iizberga, & Nova Zembla.
Grönlandia vicina eſt Americæ, cu-
s continenti vtrum in ſeptentrione
hæreat, an inſula ſit, adhuc inco-
itum eſt. De litoribus ejus in re-
io Norwegiæ diximus. In auſtrali
rte freto *Danis* ab America ſepara-
r. SPIZBERGA ex aduerſo Lapponiæ
octogeſimum vſque gradum ſita, a
æacutis montium verticibus, niue
rpetua obſitis, nomen accepit. Bata-
anno 1596 viam per glaciale mare
Indiam orientalem quærentes dete-
unt. Subjacet Norwegiam verſus
ula *Vrſorum* perparua. NOVA ZEMBLA
ra Rusſiam & Tartariam ſita freto
ſſonio ſiue *Waigats* a ſeptentrionali
ſcouia diſtinguitur. Eodem itine-
reperta fuit a Batauis. An cum
rtaria ab ortu cohæreat nec ne,
ne incertum eſt.
Amplior eſt TERRA AVSTRALIS INCO-
TA. Non modo enim a freto *Ma-
nico* incipit terra *del Fougo*, id eſt
is terra, quam Ferdinandus Magel-

lanus detexit 1520. & vlterius Iacob
le Maire Batauus 1617. per fretum
Maire nauigando expertus eſt, n
continentem, ſed magnam inſulam
ſe: verum etiam ſub Africa caput B
næ Spei præteruecti Belgæ ſæpe in
medias tempeſtates vaſtam terra
conſpexerunt, nunquam tamen
maris impetum potuerunt adire, n
fortaſſe voluerunt. Indiæ orien
ſubjacet auſtralis terra, cujus p
Æquatori vicinior *Noua Guinea* vo
tur, tanquam ſitu & fertilitate Guin
Africanæ perſimilis: altera circa C
pricorni Tropicum *Hollandia No*
ſed utraque tantum e litoribus no
nec adhuc conſtare potuit, contin
ſint, an inſulæ.

In Pacifico tandem mari *Noua Sel*
dia a Belgis detecta fuit, ſed nec hu
præter litora, quidquam cognitum
buerunt. Referri huc poſſunt *inſula*
lomonis, a diuitiis ita dictæ, ad q
appellunt, qui ex America in Philip
nas & alias Indorum inſulas per Pa
ficum mare, id eſt placidum & tranq
lum oceanum nauigant.

INDEX.

A.

Au

Ben-

Bou

Brze-

Cala-

Ca-

Cel

Col-

Cau-

Don

Gel

Lau-

Me-

Mi-

Nassau

Nei

Noyon

Orixa

Par-

Ph

Qua

Tiagn

Vara-

Vi-

Vsbek

S. VVen-

Zbo-

FINIS.

CORRIGENDA.

g. 73. lin. 4. lege APPENZELL. Pag. 76.
. 7. *Meyenfeld.* p. 145. lin. 16. *Lugeam.*
162. lin. 5. *Pforzheim.* p. 164. lin. 13. *Do-*
ßßerda. p. 203 antepen. *Arolſa.* p. 319.
. 4. poſt *Finalium* dele comma. p. 384.
. 10. *Teioiana.*

In Antiqua Geographia præter ibi nota-
. p. 36. lin. 15. *Areßaci.* p. 88. lin. 11. *Ti-*
rni. p. 89. lin. 6. & 11. *Tifernum*, & *Ti-*
rni. p. 410. lin. 4. *Omnium.* p. 412. lin.
Martino.

CHRISTOPHORI CELLARII
SMALCALDIENSIS

GEOGRAPHIA ANTIQVA

Ad veterum Hiſtoria-
um, ſiue a principio rerum
ad Conſtantini Magni tempora de-
ductarum, faciliorem explica-
tionem adparata,

& denuo auctius edita.

ræmiſſa eſt in omnium tem-
porum Geographiam brevis
Introductio.

IENAE
MTV IO. BIELKII BIBLIOP. IEN.
TYPIS IO. DAV. WERTHERI.
M DC XCI.

LECTORI S.

QUinquennium est, cum quæ olim Nouæ coniuncta Antiqua Geographia prodierat, non solum pleniorem innumeris accessionibus immutationibusque luci exponerem, sed ad Noua etiam plane seiunctam separatamque exhiberem, cuius rei caussam, iterata editione prædictam, nunc denuo repetere non ab re esse existimo. Etenim propter limitum diuersitatem non facile coniungi prouinciæ possunt, quæ antiquum etiam hodieque nomen custodiunt. Verbi gratia, Antiqua Gallia ab ortu amne Rheno terminata magnam Germaniæ nostræ sibi partem destinauit: contra Vetus Germania ab Rheno

ad Viſtulam ſupra Danubium patebat, & ſicut Poloniæ partem citeriorem in finibus ſuis continuit: ita quidquid trans Danubium ſitum eſt, & in primis Germaniæ noſtræ prouinciis numeramus, Rhætiam puta, Vindeliciam atque Noricum, abruptum olim fuit. Pannonia creditur Hungaria eſſe, quæ vero maxime diuerſos terminos habent, cum illa in nouam Germaniam vltra Vindobonam excurrat; hæc ab eadem ſeparata ſit: illa citra Danubium fuerit; hæc maiorem partem trans hunc fluuium teneat: illa Illyricum attigerit; hæc Boſniæ & Slavoniæ regna interiecta videat. Quibus cauſſis inductus ſeiunxi antiqui orbis deſcriptionem, ut cum Antiqua noſtra Hiſtoria in ſcholarum vſum coniungi facilius poſſit, ſicut Nouam quoque, ſiue noſtrorum temporum Geographiam,

m, ſeorſum in Hiſtoriæ Nouæ
ıſum edidimus. Antiquam hanc,
qua nunc ſe facie prodit, non
paucis locis auctam correctam-
que ſcias; ſed operarum feſtina-
tione, vt fieri ſolet, irrepſerunt,
quæ inde eiecta aut emendata
prius velim, quam vſui libellus
& lectioni applicetur.

PAg. 13. verſu 22. lege *Sporades*. p. 14. v. 20 *Caucaſus, Hæmus*. p. 15. v. 14. *iugum*. p. 35 v. 15. *Cæſarauguſta*, una voce, & expuncto. p. 43. v. 11. *Rauracis*. p. 47. v. 17. poſt *fluuios*, comma, non punctum. p. 53. v. 23. *Eburodunum*. p. 59. v. 21. *a gentibus*, diviſe. p. 63. v. ult. *Emona*. p. 73. v. 22. *Timauus*. p. 78. v. 14. Meuania. p 79. v. 14. *Antemnæ*. p. 87. v. 8. *Acerræ*. Ibidem v. 20. *Silarum*. p. 95. v. 16. *Vergæ*. p. 99. v. 15. *Sacra*. p. 101. v. 11. *Læſtrigonii*. p. 112. v. 22. *Theſſalonia*. p. 116. v. 2. *Soſthenis*. ibidem v. 22. *Coronéa, Thebæ*. p. 120. v. 7. *Ambracius*, & v. 9. *Ambracia*. p. 123. v. 18. *Acheloo*. p. 134. v. 1. *Hermione*. p. 139. v. 18 *mercatu*. p. 143. v. 10. lege: *Callipolis*; & Herûs. p. 145. v. 23. *transdanubianis*, uno verbo. p. 146. v. 1. *Dacorum*. ibidem v. 10. *Triballorum*. p. 147. v. 15. *apud* pro &. p. 149. v. 10. *Nentidaua*. p. 151. v 26. *extra* pro *intra*.

 p. 154.

p.154.v.10.*Harmene* ibidem v. 18. deleatur alterum p. 164. v.13. *Cariæ* p.166. v. ult. *qi* pro *quia* p 175 v. 13. *Alexandrêa.* p. 177. v. 1 *Ciliciam.* p. 178. v. 20. *Eupatoriam* p. 180. 16. *Satala* p. 199. v. 20. IVDAEA. p. 20(v. 3. *Æliæ.* ibidem v. 14. *Nob, Anatoth, Kiriat iearim.* p. 201. v. penult. *Diospolis.* p. 20 v. 6. *Gadara* p. 207. v. 12. *Nabathæorum.* p 210. v. 2. *fingitur.* p. 211. v. 5. poſt *Anthemun te,* comma. Ibidem v. 14. *defensæ.* p. 212. v 20. *Arabiæ pertingit.* p. 213. v. 6. poſt *apellatu* comma, non colon. p. 218. v 16 deleantur verba perperam repetita : *quidem trans Tigrin in Chaldæorum.* p. 228. v. 11. inſeratur & poſt *Arriani.* 236. v. 10. *civitatum.* ibidem v. 14. *Sebennytes.* ibidem v. 17 *Leontopolites.* p. 238. pars primæ vocis *tine* finiat. p. 243. v. 21. *ſiue.* p. 247. v. 23. *Tritum.* p. 249 v. 10. *Bocchum.* ibidem v. 22. *diſcrimine.* p. 251. v. 1. *erat.* p. 261. v. 1. *Iunonis* ibidem v. 18. *prædicat.* p. 264. v. 12. deleatur prius *per.*

INTRO-

INTRODVCTIO
IN
GEOGRAPHIAM.

GEographia eſt notitia Globi Terreſtris, maribus intermiſti, cuius rotunditas tum ex inæqualitate dierum & noctium, tum maxime ex conica vmbræ terreſtris figura in eclipſi lunari demonſtratur. Talis enim vmbra non poteſt, niſi corporis rotundi, eſſe. Non autem intelligenda eſt rotunditas accuratiſſima & geometrica, (talem enim montes altiſſimi cum vallibus impediunt) ſed qualis in grano piperis, aut malo aurantio deprehenditur. *Excelſa*, ait Seneca lib. IV. Quæſt. Nat. cap. IV. *ſunt montium cacumina, quamdiu nobis comparantur: at vero vbi vniuerſum reſpexeris, manifeſta eſt omnium humilitas.*

Diuidi terrarum mariumque globus commodiſſime poteſt tripliciter: Mathematice, Phyſice, Politice. De ſingulis diuiſionis noſtræ membris breviſſime agemus.

I.

DIVISIO ORBIS MATHEMATHICA.

MAthematice Globus Terrarum in Zonas & Climata diuiditur, quæ quod ſine Circulorum notitia intelligi non poſſunt, quam breuiſſime fieri poteſt, illos delineamus, quorum inſignis in Geographia vſus eſt.

AEQVATOR in maioribus circulis, hoc eſt æqualiter ſphæram diuidentibus, primus ac nobiliſſimus, AEQVINOCTIALIS etiam LINEA, nautis vulgo die Lineen / dictus, medium Zonæ Torridæ tenet, per Africam, Americam & inferiores Aſiæ partes in Indicis regionibus, tranſiens, menſura longitudinis terrarum.

ME

MERIDIANUS per polos & illam plagam, quam ſol meridie attingit tranſiens, (vnde etiam nomen accepit) toties variatur, quoties alius in hemiſphærio ab ortu occaſum verſus, aut ab occaſu in ortum tractus adſumitur. In oppoſito hemiſphærio, ſeu poſtica globi parte, iidem Meridiani continuantur. Geographia autem non tam hos multiplices Meridianos, quam vnum illorum, quem *primum* dicimus, ſibi curæ habet, in occidentali parte Europam inter & Americam conſtitutum, principium longitudinis terrarum. Sed, quod deteſtandum eſt, ita variant in hoc defigendo artifices, vt ex nulla re gravius detrimentum hæc ſtudia capiant, quam ex Meridiani primi inconſtantia, de qua inferius ad Longitudinem locorum plura dicemus.

HORIZON, visûs finitor, quid Geographiæ ſtudio præſtet, ex vſu Globi Terreſtris, quem ſubiiciemus; cognoſcetur.

TROPICI duo ſunt circuli minores, *Cancri* alter, qui Zonam Torridam ab ſeptentrionali Temperata disterminat; alter *Capricorni*, qui auſtralem Temperatam a Torrida diſtinguit. Hos inter oblique ZODIACVS aut ECLIPTICA in cœlo extenditur, vnde temporum tempeſtatumque in terris pendent differentiæ, vt ex vſu Globi poſtmodo conſtabit.

Minimi omnium circulorum ſunt duo POLARES, *Arcticus*, Septentrioni vicinus; & *Antarcticus*, huic ad auſtralem Polum oppoſitus. Hi Zonas Frigidas diſcriminant a Temperatis. Reliquos circulos doctrina Sphærica ſuppeditabit. Hos in præſentia, vt Geographiæ præ ceteris vtiliores, ſufficiat attigiſſe. Nunc de Zonis.

ZONAE, a circulis ambientibus, aut finitoribus, μετωνυμικῶς ita dictæ, ſunt quinque ex plurimorum ſententia:

TORRIDA inter duos Tropicos latiſſime expanſa, medium Æquatorem habet, a quo in partem ſeptentrio-

trionalem, Auſtralemque diſpeſcitur. Nomen dedit vis Solis, vertici imminentis, vehementior. Vnde inhabitabilis olim credita fuit. Peregrinationibus autem deprehenſum eſt, hanc Zonam, vt amplior ceteris eſt, ita infinita hominũ animantiumque multitudine abundare, dum æqualitate dierum & noctium perpetua, altiſſimorumque montium vmbra, nec non refrigeratione maximorum fluminum, quidquid exſuperantis caloris eſt, prouida natura attemperauit. Quæcunque in terris precioſiſſima ſunt, copioſiſſime in Zona hac inueniuntur

TEMPERATA SEPTENTRIONALIS inter Tropicum Cancri, & Circulum Polarem Arcticum continetur. Si ingenia hominum reſpicias & geſtas res, hæc præſtantiſſima omnium eſt, inuentrix artium, & rerum domina, maiorem Aſiæ Europæque partem complectens. Quæ huic Zona opponitur

TEMPERATA AVSTRALIS, parum cognita eſt, niſi in Africæ Ameri-

cæque litoribus. Adfectiones cœli temporumque contrarias habet nostris regionibus, vt in vſu Globi oſtendemus.

Tandem duæ FRIGIDAE ſunt, frigoribus nimium rigentes, AQVILONALIS altera, a Polari Arctico ad cognominem polum procurrens; altera MERIDIALIS, ad Auſtrum ab Antarctico Polari vergens. Hæc tota incognita eſt: illius patent citeriora. Vtriusque mirabiles adfectiones vſus Globi explicabit.

Latitudinem ſingularum Zonarum ex Globis aut Tabulis facillime cognoſcimus. Torrida vtrinque ab Æquatore XXIII & dimidio gradibus, ſiue circuli particulis: Temperata alterutra ſuum polum verſus, gradibus XLIII recurrit: quod ſupereſt ſpacium vtrobique, relinquitur Frigidis, eſtque tantum, polũ verſus alterutrũ, quantum Torrida Zona ab Æquatore ad alterutrum Tropicorum patet. Vnus autem maioris huiusmodi circuli gradus XV milliariis Germanorum expletur. CLI-

CLIMATVM minor hodie, quam olim fuit, vſus eſt, cum longe expeditiores rationes ſint, etiam accuratiores, quæ ex latitudine locorum, poli reſpondente eleuationi, petuntur, quam quæ ex diſtinctione laxiore climatum. Eſt autem Clima tractus inter duos circulos Æquatori parallelos (aut ipſum Æquatorem & parallelum) tantæ latitudinis, quantam differentia longiſſimi diei ſemihoraria poſtulat. Cum vero dies longiſſimus augeatur a XII ad XXIV horas; etiam XXIV Climata ab Æquatore ad Polarem vtrinque conſtituuntur, vt in vniuerſum Climata ſint XLVIII numero, XXIV cis Æquatorem, & totidem trans eundem. Vltra Polares Climata non extenduntur, quia incrementa diei ibi non ſunt horaria, ſed hebdomadum aut menſium integrorum. Veteres autem quemadmodum Septentrionem & Auſtrales regiones parum cognitas habuerunt: ita paucioribus climatibus, VII vel IX contenti fuerunt, quibus nomina ex locis eo-

rumi nsignioribusimposuerunt,vt A-
lexandrinum,Rhodium,&c.

Ex diuisione in Zonas & Climata Terricolæ varie appellantur, & quidem

I. respectu vmbræ, *Ascii*, in Zona Torrida, & eo tempore,quo Sol meridianus ipsis est verticalis : *Amphiscii*, in eadem Zona, qui vtrinque cadentem vmbram Meridianam diuerso tempore habent, septentrionalem & meridialem : *Heteroscii* in ZonisTemperatis, quibus vmbra meridiana ad alterutram plagam perpetuo cadit: *Periscii* in Zonis Frigidis, vbi, quod æstiuo tempore perpetuus dies est sole Horizontem non egrediente, fit, vt vmbra in circulum quasi redeat. *Antiscii*, qui contrariam vmbram habent vel semper, quales respectu Europæ sunt omnes, qui vltra Tropicum Capricorni Austrum versus habitant : vel certo tempore, vt Arabiæ Felicis quidam incolæ, qui Pompeii arma in Græciam secuti, Lucano lib. III vers. 248 dicuntur

Vm-

Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Quod ipſum etiam mirati ſunt ex Taprobrane legati, Claudii principatu, auctore Plinio lib. VI cap. XXII.

II. Reſpectu ſitus & cohabitationis, atque ita ſunt *Antipodes*, noſtræ terræ prorſus oppoſiti: *Antœci*, qui eandem longitudinem trans Æquatorem habent, quam nos habemus cis eundem, & vice verſa: *Periœci*, qui in eadem nobiſcum Zona ſub eadem Poli eleuatione habitant circumcirca; ſed ſpeciatim, & vt aiunt, κατ' ἐξοχὴν, qui longitudine CLXXX graduum, id eſt, integri ſemicirculi, a nobis diſcrepant.

Quod vt intelligatur, Longitudo & Latitudo locorum paucis explicanda eſt. LONGITVDO loci eſt tractus ab occaſu in ortum, cujus menſura eſt Æquator. Quia vero omnis circulus in CCCLX gradus diuiditur, gradus vero in LX minuta; eadem ſupputandi ratio in Geographia uſurpatur. Vtinam vero certius eſſet ini-

tium computationis, & vel tandem Geographi in Meridiani primi conſtitutione conſentirent! Maximus enim hic, vt ſupra queſti ſumus, diſſenſus eſt, plurimorum tamen in eo concordia, vt inter Braſiliæ litora & Canarias inſulas hunc principem Meridianum ducant vel per Teneriffam aut Palmam Canarias: vel per aliquam de Cabo Verde, aut etiam Flandricarum inſularum.

LATITVDO vero eſt tractus ab Æquatore ad alterutrum Polum, eiusque menſura eſt Meridianus. Conuenit autem loci Latitudo cum Poli eleuatione ejusdem loci, quantum ad numerum graduum attinet, quod ſchemate vel Globo facilius demonſtratur, quam verbis exprimitur. Cum vero duo ſint Poli, Latitudo quoque duplex eſt, Septentrionalis, ab Æquatore Septentrionem verſus: & Auſtralis, ab Æquatore Polum verſus Antarcticum.

Hinc magnitudo Terreni Globi cognoſci poteſt, ſi ſ ppoſueris cuiuslibet

libet maioris circuli gradum (quod mutatio Eleuationis Poli confirmat) in terra abſoluere XV milliaria Germanica. Quod ſi CCCLX gradus (totidem habere circulum diximus) per XV multiplicaueris, proueniet ambitus noſtri orbis, nempe 5400 milliaria Germanica.

Huc quoque diuiſio in Cardines pertinet, *Orientem* Oſt: *Occidentem* Weſt: *Meridiem* Sud: *Septentrionem* Nord / vnde venti cardinales nominantur, *Eurus* ſeu *Subſolanus* Oſtwind: *Zephyrus* ſeu *Favonius* Weſtwind: *Auſter* ſeu *Notus* Sudwind: *Boreas* ſeu *Aquilo* Nordwind. Intermedii a nautis numerantur XXVIII, ex quibus quatuor præcipui ſunt NordOſt: SüdOſt: NordWeſt: SüdWeſt. His interpoſiti, ex ſchematiſmis petantur paſſim proſtantibus. Quod enim extra nauigationem vix obſeruantur, prætermittimus. Iis vero intermediis, quos enarrauimus, reſpondent ferme apud Latinos *Cæcias*, *Vulturus*, *Caurus*,

Africus, quorum interpretationem vide ſis apud Gellium lib 11 cap xxII

Ex plagis ſeu cardinibus poſitio etiam Tabularum ſiue Mapparum pendet, quæ ſi recte & ordine conſtitutæ ſunt, Orientem a dextra, Occaſum a læva, Septentrionem ſuperiori parte, inferiore Meridiem tenent. Cum ergo hic ordo naturalis ſit (Cynoſuram enim ſpectanti, vt ducem in plagarum controuerſia, ſemper dextrorſum Oriens eſt, ſublato Septentrione, depreſſo Auſtro;) ineptiores oportet eas tabulas eſſe, quæ inuertunt ordinem, & illas res perturbant, quæ certa & ſtabili ratione, vt fundamenta & adminicula memoriæ, proponendæ erunt.

II.
DIVISIO TERRARVM ORBIS PHYSICA.

PHyſice Globus noſter diuiditur in partes terrenas & aqueas. Terrenæ ſunt

I. CON-

I. CONTINENS, terra mari non diremta, ſeu ex qua in aliam ſine navibus tranſiri poteſt, ſicut v. g. Germania eſt continens reſpectu Italiæ, non autem reſpectu Britanniæ.

II. INSVLA, quæ eſt vndique mari cincta. Inſularum aliæ ſunt maiores; vt *Britannia, Laurentii, Sumatra, Boreno* &c. aliæ mediocres, vt *Hibernia, Sicilia, Sardinia, Creta, Ceilon, Hiſpaniola, Cuba:* quædam parvæ, e. c. *Seelandia* Daniæ, *Corſica, Eubæa, Lemnus, Cyprus, Helena.* Tandem minores aliæ ſunt innumerabiles, ex quibus eas tantum nominare viſum eſt, quæ multitudinis numero enunciantur, vt ſunt *Canariæ, Virides, Aſores* ſiue *Flandricæ*, in Oceano Atlantico: *Orcades* ſupra Scotiam: *Ægates* & *Æoliæ* iuxta Siciliam: *Baleares* ad Hiſpaniam: *Strophades* in Ionio mari: *Cyclades* & *Sporates* in Ægæo: *Maldiuæ, Moluccæ* & *Philippinæ* in Indico Oceano: *Inſulæ Salomonis* in mari Pacifico.

III. PENINSVLA ſiue CHERSONE-

svs, maximam partem mari cincta, aliqua tamen continenti cohærens. Nobiliores sunt *Peloponnesus*, *Chersonesus Aurea*, *Cimbrica*, *Taurica*, *Thracia*.

IV. ISTHMVS, angusta terra, qua continenti peninsula adhæret. Et totidem sunt Isthmi, quot peninsulæ. Imprimis celebrantur *Corinthiacus*, & *Panamensis* Americam Septentrionalem iungens parti Australi.

V. MONS est portio terræ sensibiliter globosa, cuius superficies inæqualiter distat a centro grauium communi. Montium altissimus creditur *Picus* esse in insula Teneriffa, quæ vna ex Canariis siue Fortunatis est: & huic forsan æqualis *Sierra Liona* [mons Leonum] in Guinea Africæ: item *Atlas*: quibus succedunt, *Ætna*, *Caucosus*, *Hæmus*, *Casius*, & alii.

Montes quidam etiam sunt *igniuomi*, vt *Ætna*, non tantum veterum poetarum fabulis, sed insigni quoque variorum temporum clade, quam Siciliæ vsque ad nostram ætatem attulit, magnopere famosus, Deinde *Vesuuius*

Cam-

Campaniæ, incendio ſuo Plinium maiorem ſuffocans, nec minus noſtris temporibus ſubinde accolentibus funeſto incendio exitialis. Porro *Hecla* Islandiæ, & permulti alii in India Orientali & Occidentali, quos deſcribit Varenius Geograph. Gen. a p. 101.

Montes, qui longiore tractu procurrunt, *iuga* dicuntur, cuiusmodi ſunt *Pyrenæi* montes, *Apenninus*, *Taurus*, *Caucaſus*, *Riphæi*, *Carpatici*, montes *Lunæ* iuga *Peruuiana* Americæ omnium longiſſima. Per ſe autem *iugum* montis accliuitas eſt.

VI. PROMONTORIVM, hodie *Cabo*, quaſi caput, mons eſt in mare prominens. Celebria promontoria ſunt Siciliæ tria, *Pelorum*, *Pachynum*, *Lilybæum*: Peloponneſi *Malæum*, quod *Aureum* piratæ a ſpoliis vocabant. *Mycale* ad Ioniam: Africæ *Cabo verde*, celebratiſſimumque *Bonæ Spei*.

VII. PORTÆ ſunt anguſti tranſitus per montes, rupes, aut inter montem & mare. Græci *Pylas* vocant, item *στενά*: Latini *fauces*, *clauſtra*. Notiſſimæ ſunt

ſunt *Thermopylæ* in Græcia, quarum ſitum deſcribit Liuius lib. XXXVI cap. XV; ſunt præterea *Ciliciæ pylæ, Italiæ fauces, portæ Caſpiæ, Caucaſiæ,* & aliæ. Litora, ſiluæ, rupes, fodinæ, & ceteræ per ſe notæ partes, prætermittuntur.

Partes aqueæ ſunt

I. MARE, Generis nomen, cuius Species ſunt *Oceanus, Sinus, Fretum,* & interdum *Lacus* ac *Æſtuaria.*

II. OCEANVS eſt mare Orbem habitabilem circumfluens, die offenbare See. A regionibus, quas alluit, varie nominatur, vt *Atlanticus, Æthiopicus* (vterque nautis Mare del Nort dicitur, quamuis minus proprie,) *Indicus, Hyperboreus,* &c. aut a qualitate ſua, vt *Mare pacificum* (del Zur nautis) quo ex America in Orientalem Indiam placido curſu nauigatur.

III. SINVS (vulgo Golfo & Baya) eſt excurſus mariũ in terram. Eſtque vel *oblongus*, vt mare Mediterraneum, quod quia longiſſime in terras incurrit, *Internum mare* Plinio dicitur lib. III. procem. & cap. IV. Sinus Arabicus,

bicus, Perficus, &c. vel *latus*, vt Gaditanus, Mexicanus, Gangeticus, &c.

IV. FRETVM eft anguftia maris, *Canal*, Straffe. Celebriora freta funt Herculeum feu Gaditanum, Britannicum, (das Canal) Danicum (der Sund) Siculum, Hellefpontus, Euripus Eubœæ, Bofporus Thracius & Cimmerius, Fretum Magellanicum, le Maire, Bantamicum.

V. LACVS eft copia aquarum vndique terris cincta, nauigabilis plerumque, fluuium transmittens, faltem recipiens. Quidam eorum Maris nomen retinent, vt *mare Genefareth* feu Galilææ, *mare Mortuum*; quorum illud Iordanem recipit emittitque; hoc tantum recipit. Præterea huc pertinent. *Mæotis palus*, & *Lacus Lemanus* Rhodanum per fe; & Acronius, Rhenum transmittens. Maximus vero lacuum eft *Mare Cafpium* fiue *Hyrcanum*, (hodie Mare de Sala) quod perperam veteres finum Oceani feptentrionalis credebant effe.

VI. PALVS differt a Lacu, quod hæc

hæc aliquando exſiccatur; lacus nunquam. Interdum Palus ac Lacus idem ſunt, ut *Mæotica Palus*.

VI. AESTVARIA loca ſunt depreſſiora, mari aut flumini vicina, aquis exundantibus oppleta, ſaltem foſſis inciſa & diſtincta. Nauigari interdum poſſunt, & exinde, refugiente vnda, in altum ferri. Vide Cæſarem, Tacitum, alios.

VII. Nec prætereunda videtur nöſtratium Küſte / vox ex Gallica *Coſte* vel *Côte* haud dubie ducta, qua latus litoris, vel mare litori propinquum ſignificatur.

Poſſent quoque flumina, thermæ, acidulæ, ſalinæ adjungi: verum quia per ſe ſunt notæ ſignificationis, maluimus, ſi digna erunt, ad ſingula loca, vbi inueniuntur, horum quoque mentionem facere.

III.
DIVISIO ORBIS POLITICA.

POlitice tandem Orbis diuiditur ſecun-

cundum imperia,regna, dominia,&c. e. g. in *imperium Romanum, regnum Hiſpaniæ:* aut in regiones & nationes, v. g. *Indiam, Scythiam,Parthiam,Syriam*,&c. Singula infra explicabuntur ordine. Et quia hæc tam diuerſa dominia quatuor magnis partibus concluduntur,*Europa,Aſia,Africa* &*America*; non ab re erit illarum hoc loco diuiſionem & terminos appoſuiſſe.

EVROPAM a ſeptentrione & occaſu terminat Oceanus, a meridie mare Mediterraneum ; ab ortu mare Ægæum, Propontis, Pontus Euxinus, Mæotis palus cum fluuio Tanai, ſupra quem Europæ & Aſiæ termini confuſi incertique ſunt.

ASIA terminos habet ab occaſu communes cum Europa: ab ortu & ſeptentrione Oceanum : a meridie clauditur Oceano Indico, ſinu Arabico,Iſthmo Ægypti, & parte maris Mediterranei. Veteres ad Nilum vſque aut Catabathmum extendebant ; ſed propior naturæ rerum eſt hodierna diſtinctio, quæ Sinum Arabicum cum Iſthmo

Iſthmo Ægyptiaco terminũ occidentalem ponit. Sic ex recentiorum ſententia.

AFRICA eſt magna peninſula, vndique Oceano Atlantico, mari Mediterraneo clauſa, præter exiguam Ægypti partem, qua continenti Aſiæ adhæret. Verum qui termini apud veteres ex oriente fuerint, iam in Aſia, quæ communes illos cum Africa habuit, cognouimus.

AMERICA omnium maxima pars, ſpeciem referens duarum peninſularum communi iſthmo cohærentium, ſi ex ſeptentrione ab Europa & Aſia Oceano aut freto diremta eſt. Nam incertior res eſt, & multis perſuaſum, cum noſtro ibidem orbe, vt continentem terram, cohærere. Sed quæcunque facies ſeptentrionis eſt, ceteri termini certiores ſunt, Oceanus nempe, ſiue maria del Nort, del Zur & Pacificum, cum fretis, Magellanico & le Maire. De ſingulis infra diſtinctius.

His diuiſionibus Terrarum orbis adiungimus menſurandi rationem,

nec

nec non vſum verſatilis machinæ, quam Terreſtrem Globum appellamus.

IV.
MENSVRAE GEOGRAPHICAE.

PRincipia menſurandi geographice ſunt *Gradus* & *Minuta* quibus, vt ſupra diximus, tam Longitudo locorum, quam Latitudo, exprimi ſolet, idque non ſolum a Geographis, ſed a nautis etiam, qui vtramque, præſertim Latitudinem, docte explorare, & accurate gradibus determinare didicerunt.

Vulgo diſtantias noſtri per *milliaria*; Romani per *lapides*, aut *millia paſſuum*; Græci per *ſtadia*; Ægyptii per *ſchœnos*; Perſæ per *paraſangas*, Galli per *leucas*, dimetiebantur. Hæc inter ſe qui comparare nouerit, facile cuiuslibet gentis ſermones & ſcripturas hac in parte intelliget.

Stadium vulgo ex Plinio centum viginti quinque paſſus, non vulgares, ſed

ſed geometricos, continere dicitur ſeu octauam partem milliaris Italici, a mille paſſibus ſic denominati.

Deinde *milliarium Germanicum* mediocre horum paſſuum quater millia comprehendere cognoſcitur. Quod ſi eſt, octo ſtadia erunt milliare Italicum, quod *Lapis* dicitur in loquendi generibus, *tertio ab Vrbe lapide*, &c. quia in Italiæ viis milliaria ſingula ſingulis lapidibus erectis ſignificabantur: Triginta vero & duo ſtadia explent vnum milliare Germanicum.

Paraſanga Perſarum ſecundum Herodotum lib. II cap. VI habuit triginta ſtadia, vtut alii ſexaginta malunt. Strabo de hac re dubius lib XI eſt, etiam, quod Xylander in nôtis obſervat, mendoſus. Sic paraſanga parum differet a milliario noſtratium mediocri.

Schœnus Ægyptiorum, quod Strabo lib. XVII docet, admodum variat. Alibi enim XXX, LX alibi, aut plura ſtadia continere dicitur. Herodoto, dicto loco, LX, in cuius ſen-

ten-

tentia, tanquam medii inter maximum minimumque numeri, acquiescunt eruditorum plurimi.

Leuca siue *Leuga* Gallica, vt Iornandes de Reb. Get cap. XXXVI definit, mille & quingentorum passuum est, quibus hodie *les Lieües* respondent, quanquam & has sibi non vbique constare peregrinatores perdocent.

In Globo superficiariam distantiam quodammodo inuenimus, si quadrans æneus aut chartaceus vtrique simul loco applicetur, & gradus, quibus distant, (multiplicando per XV) in milliaria conuertantur. Sed hæc incertior & tumultuaria est cognitio: accuratius inuestigatur beneficio Trigonometriæ Sphæricæ.

Caue vero, quisquis es, ne vulgari calculandi distantiam modo per Extractionem Radicis Quadratæ, multum fidas. Fallit enim ideo, quod Terræ superficiem, quam constat rotundam esse, instar planorum mensurat, cum in rotundis distantia non possit,

poſſit, niſi Trigonometriæ Sphærica præceptis inveſtigari.

Quod ſi contingat, vt Longitudine conueniant duo loca; ſine labore diſtantia inuenitur, ſi ſola Latitudinis differentia, quando eundem polum verſus ſunt, in milliaria conuertatur: Sin alter locorum eſt cis Æquatorem, alter trans eundem, aggregatum vtriuſque Latitudinis ſic in milliaria conuerti decet, ſiue per XV multiplicari.

Pari modo res peragitur facile, ſi vterque locorum, de quorum diſtantia quæritur, ſub Æquatore ſitus eſt, v. g. inſula Thomæ & Sumatra. Tum enim ſola Longitudinis differentia in milliaria reſoluitur.

Reliqui caſus non poſſunt accurate abſque Trigonometria & Canone Sinuum ac Tangentium expediri. Nec vero tam difficilis res eſt, vti multis videtur, ſed breui ductu & modica induſtria ſuperatur quidquid impedimento poterat eſſe, & a iucundiſſimo pariter ac vtiliſſimo exercitio deterrere. Scilicet quoties diſtantia locorum

rum extra Æquatorem, & Longitudine & Latitudine differentium quæritur; toties ſolvendum eſt Triangulum, cuius cognita ſunt duo latera, Complementa Latitudinis, cum incluſo angulo, cuius menſura eſt Longitudinis differentia. His cognitis facile diſtantiam quæſitam inveniet, qui non prorſus hoſpes eſt in Trigonometriæ ſtudio nobiliſſimo. Tunc demum poſſumus certi eſſe de vera locorum intercapedine, & ita accurati, vt & in longiſſime diſiunctis locis ne vno quidem milliario aberremus. Ipſa vero Longitudo & Latitudo locorum, quæ prima huius dimenſionis fundamenta ſunt, ex accuratioribus Tabulis ſiue Mappis, vel ex confectis in hanc rem & publice proſtantibus vrbium locorumque catalogis haberi poteſt. Oportet autem Tabulas binas, ſi ſpeciales ſunt, ex quibus duorum locorum, pro diſtantia quærenda, longitudines petis, vnius auctoris eſſe, ſaltem communi termino Meridiani primi conuenire. Quod niſi obſeruaueris, nimium quantum aberrabitur.

V.
VSVS GLOBI TERRESTRIS.

QVanquam ex planis etiam Tabulis, quæ Gradibus & Minutis distinctæ ſunt, non ſolum Circuli & Zonæ, ſed Longitudo quoque & Latitudo locorum, item Antipodes, Periœci, Antœci, & aliæ adfectiones cognoſci poſſunt: tamen ex rotunda machina, quæ terræ formam exacte repræſentat, longe expeditius hæc omnia intelliguntur, & inſuper alia non pauca, quæ fruſtra ex planis quæſiueris. Quæ præcipuæ vtilitatis ſunt, pro methodo breuitatis noſtræ delineamus.

I. Globum Terreſtrem præparare. Hoc ita peragitur, vt ante omnia Globi alueus ad plagas mundi conformetur, vt Polus Polo, Oriens Orienti, & ſic ceteræ ſibi plagæ reſpondeant. Deinde quanta cuiuslibet loci Latitudo eſt, tantus arcus Meridiani ab Horizonte ad vicinum Polum eleuetur. Tandem quæſitus in Terra locus ſub Meri-

Meridianum ducatur ita, vt verticale in Globo punctum ille obtineat.

II. Latitudinem loci determinare.

Quod Latitudo loci, diſtantia eiusdem ab Æquatore eſt Polum verſus alterutrum; illa in Meridiano æneo gradibus exſculpta inuenitur, ſi locum quæſitum ſubter hunc circulum duxeris. Gradus autem plane idem deprehenditur, qui Eleuationis Poli eſt in dicto loco, vt ſupra prædiximus.

III. Longitudinem loci inuenire.

Longitudo eſt diſtantia a primo Meridiano Æquatoris gradibus determinata, quæ inuenitur applicato loco ad Meridianum æneum, qui ſic Æquatorem in illo gradu ſecabit.

IV. Antipodes, Antæcos, & Periæcos ex Globo cognoſcere.

Globo ita, vt num. I. præſcriptum fuit, præparato, punctum pedale oſtendit *Antipodes*: Latitudo æqualis Polum alterum verſus, cum Longitudine eadem oſtendit *Antæcos*: *Periæci* ſiue circumhabitantes ex communi Latitudine per totum tractum circularem

intelligunrur: maxime vero qui semicirculo a nobis absunt, hoc est, qui Latitudinem cum nostra communem; Longitudinis autem differentiam semicircularem, siue CLXXX graduum habent, ita nominari apud Geographiæ peritos solent.

V. Diversitatem Sphærarum experiri.

Si Globus præparatur pro loco, qui sub Æquatore est, vel prope illum; non aliam, quam *Rectam* is *Sphæram* constituet, hoc est talem, in qua Æquatuor per Zenith siue verticale punctum transit, & rectos cum Horizonte facit angulos. Sin pro loco extra Æquatorem præparaveris, reddetur *Sphæra Obliqua*, hoc est talis, qua plures circuli, præcipue Æquator, oblique ab Horizonte adsurgunt. Vbi vero locum Polo vicinum in vertice constituas, habebis *Sphæram Parallelam*, saltem propius vergentem ad illam. Parallela autem dicitur, quia plures in ea circuli sunt Horizonti paralleli.

VI. Æ

VI. Æstatis & hiemis interualla definire.

Sitne, videas, locus in Zona Torrida, hoc eſt, intra Tropicos & ſolis viam; an extra illam. Si intra eſt, nec tamen in extremitate, bis æſtatem totiesque hiemem quotannis habebit, cum æſtas ex acceſſione ſolis; hiems ex diſcuſſu oriatur. Qui extra Tropicos in Temperatis Zonis habitant, ſemel æſtatem in anno habent, ex ſole propinquiore: ſemel hiemem, ex eiusdem remotiore ſtatu. Ita tamen alternis vicibus hæc permutantur, vt cum noſtræ Zonæ æſtas eſt, hiems ſæviat in Temperata auſtrali: quando nos hieme vrgemur, illic æſtas incaleſcat. Eædem etiam veris & autumni eodem tempore viciſſitudines ſunt. In Frigidis Zonis cum propter parallelam ſphæram, aut parallelæ propinquam, dimidia pars Zodiaci ſemper elevata ſit, altera pars ſemper depreſſa & occultata; non poteſt aliter fieri, quam vt, ſole in ſignis elevatæ partis verſante, continuus dies appareat: & ſole in ſignis ex-

ſiſtente, quæ depreſſa ſub Horizontem ſunt; non interrupta nox cum ſæviſſima hieme premat. Sunt vero & Frigidis Zonis ſuæ vices, & cum in ſeptentrionali ſemeſtris nox & hiems eſt: totidem menſium luce ac tepidiore tempeſtate fruitur Frigida auſtralis. Viciſſim cum auſtralem nox & hiems oppreſſit, ſeptentrionalis diem habet, &, pro radiorum obliquitate, quadamtenus æſtatem.

VII. Diei & noctis ſpatia pro quolibet loco & tempore determinare.

Globus dicto modo præparetur: & cum in Terreſtri Globo etiam Ecliptica deſcripta ſit, locum ſolis pro dato die ducas ſub Meridianum, & indicem horarium dirigas ad punctum meridiei. Hinc reuoluto Globo ortum & occaſum ſolis pro quouis loco inuenies, etiam horam vtriusque, horario indice ſignificatam. Pari ratione noctis quantitas explorari poteſt.

VIII. Di-

VIII. Distantias locorum investigare.

Hæc superius acta sunt pag. 23. 24. Breviori modo & paullum mutato repetere liceat. Si loci habent communem Longitudinem, sub Meridianum ducantur, & gradus inter vtrumque in Meridiano intercepti, per XV multiplicentur pro milliaribus quæsitis. Si Longitudo diversa est, poteris circini diuaricatione, vtrumque locum comprehendente (quem postea circulo alicui maiori applicabis pro gradibus & milliaribus determinandis) id aliquo modo cognoscere. Idem in aliarum quarumlibet distantiarum investigatione usurpari potest. Verum cum in Globo propter spacii angustiam paucissimæ vrbes expressæ sint, & planæ figuræ inæqualiter extendantur, compressæ in medio, ad latera siue in extremis dilatatæ; inutilior in plerisque fit circini vsurpatio, præsertim si longior distantia ex generaliore quadam Tabula quæratur; nec alius modus inueniendi distan-

tias ſupereſt, quam quem accuratiſſimum diximus, Trigonometriâ Sphæricâ peragendum.

Hæc in limine aut veſtibulo præmonenda erant: nunc penetralia Geographiæ ingredienda ſunt, tum *Antiquæ*, pro veterum ſcriptorum interpretatione meliori: tum *Novæ*, pro vſu noſtrorum temporum.

DE-

DESCRIPTIO
ORBIS ANTIQVI.

CAPVT I.

DE HISPANIA ANTIQVA.

HIspania Pyrenæis montibus, Mediterraneo mari, freto Herculeo & Oceano terminatur. Fluuios maiores habet *Iberum*, qui in Mediterraneum mare; *Bætim* & *Anam*, qui in ſinum Gaditanum; *Tagum*, *Durium*, & *Minium*, qui in Oceanum occidentalem ſe exonerant. Minores aut minus nobiles ſunt *Cinga* & *Sicoris*, qui mixti in Iberum effunduntur: *Sucro* & *Turias* inter Saguntum & Carthaginem Nouam: *Monda*, inter Durium & Tagum: & fabuloſus *Obliuionis* fluuius, *Limæas*, vltra Luſitaniam in ſeptentrione.

Romanis vel *Citerior* erat, quæ & *Tarraconenſis* dicitur: vel *Vlterior*, cuius duæ partes erant, ſuperior, *Luſitania*; inferior, *Bætica* prouincia.

TARRACONENSIS Hiſpania per omnem

omnem citeriorem partem latiſſime patuit, eidemque Auguſti diuiſione, quidquid ſupra Durium eſt, acceſſit. Nomen dedit *Tarraco*, caput prouinciæ, opus Scipionum, ad mare Mediterraneum, cis fluuium Iberum. In eodem maritimo tractu, Pyrenæos verſus, *Barcino*, hodie Barcellona, *Emporiæ*, *Gerunda*, & *Rhoda* fuerunt: Trans Iberum, *Dertoſa*, *Saguntus*, excidio ſuo II Punicum bellum excitans, *Valentia*, *Carthago Noua*, Punicæ prouinciæ vrbs primaria, Romanorum expugnatione nobilior facta. Ad Iberum *Cæſar* & *auguſta*, & *Iulia Celſa*, ipſo nomine auctorem ſignificantes: & in fame nihil non experta *Calagurris*, Sertoriano bello. Prope Durium *Clunia*, & Romano bello nobiliſſima *Numantia*. In meditullio *Toletum* ad flumen Tagi: Inter Durium & Oceanum, *Aſturica* Auguſta, *Lancia*, & magis in occaſum ſolis vergens *Callaica* ſiue *Gallacia* regio, vnde Bruto Gallæci cognomen acceſſit. Inter Pyrenæos & Iberum *Oſca* mediterranea, & ſub

montibus *Pompeiopolis*, (Pompelone hodie) Pompeii ex Sertoriano bello monumentum egregium. Fuerunt etiam minores ciuitates, vt *Bilbilis* inter Numantiam & Cæſarauguſtam media, Martialis poetæ patria: & *Ilerda* (nunc Leride) prope Sicorim amnem, vbi Cæſar Pompeii ſub legatis exercitum in deditionem accepit: *Segouia* ſiue *Segubia* in Areuacis, vetuſti aquæductus opere hodieque clara: *Palantia*, & in confinio Bæticæ ad Anæ ripam *Caſtulo*.

Populi huius prouinciæ fuerunt, ab occaſu ſolis *Gallæci*, dein *Vaccæi*, *Aureuaci*; & in ſeptentrionali parte *Cantabri* ad Oceanum, qui Cantabricus inde appellatur. Sub Pyrenæis *Vaſcones*: ad Iberum vergentes *Celtiberi*: *Ilergaones*, *Ilergetes*, & ad Galliæ fines, *Auſetani*.

BAETICA ab Ana fl. in meridiem ad mare vſque prolata. Mediam diuidit interfluens *Bætis*. Trans Bætim, ſiue inter hunc & Anam, eſt *Corduba*, Senecæ & Lucani patria: *Italica*, augu-

gustorum cunabulis, Traiani & Hadriani clara: *Pax Augusta*, Badaiox hodie, quam Anas alluit. Cis Bætim *Hispalis*, nunc Seuille; *Munda*, ad quam Cæsar Pompeii filios profligavit: *Vrsaon* & *Vlia*, eodem bello memoratæ: ad mare *Malaca*: inter ostia Bœtis *Tartessus*: ad fretum *Carteia*, *Calpe*, vrbs & promontorium, cui in Africa aliud, Abyla, respondet, quæ famosæ sunt columnæ Herculis: in sinu Oceani *Gades*, parua insula, sed magni nominis ciuitas, colonia Tyriorum.

Populi Bæticæ *Turdetani*, *Turduli*, *Bastuli*, & alii recensentur.

LVSITANIA reliquam partem tenet ad occidentalem Oceanum, inter Durium & sinum Gaditanum. A Bœtica distinguit Anas fluuius, in cuius ripa *Augusta Emerita* posita est, caput regionis, Augusti Cæsaris colonia. *Ebora*, (hodie Evora) etiam Liberalitas Iulia dicta: & ad Tagi ostium, auriferis arenis celebrati, *Olisippo*, (Lisbone) quam ab Vlysse conditam veteres cre-

diderunt: *Corimbrica* ad Mondam fluuium: *Medobriga; Iulia Myrtilis*, & *Norba Cæsarea*.

Populi Lusitaniæ fuerunt *Lusitani, Vettones*, & ex parte *Turdetani, Turduli*, &c.

Insulæ Hispaniæ sunt in mari Mediterraneo duæ *Pityusæ*, quarum minor *Ophiusa*, a serpentum frequentia; maior *Ebusus* dicta, nunc Yuica: & duæ *Balearides* siue *Gymnesiæ*, a iaculorum fundarumque studio nominatæ, hodie Maiorca & Minorca. De Gadibus in Bætica dictum fuit.

CAPVT II.
DE
GALLIA ANTIQVA
TRANSALPINA.

GAllia antiqua a Pyrenæis montibus ad Rhenum vsque patuit, quo Germania diuisa fuit, quemadmodum montibus illis ab Hispania, & Alpibus ab Italia. Reliquos terminos Oceanus & Mediterraneum mare constituunt.

Flu-

Fluuii *Garumna* & *Ligeris* (Loire) Oceano Aquitanico siue occidentali: *Sequana*, la Seine, Britannico; *Rhenus*, & *Mosa*, (Mase) & *Scaldis* (Schelde) Germanico infunduntur: Mediterraneo mari *Rhodanus*, (la Rhône) cui miscentur *Arar* (nunc Saone) & *Isara*, & propius Alpes *Druentia*: Sequanæ *Matrona* (la Marne) & *Axona*: Rheno *Mosella*: Garumnæ in ipso demum ostio *Duranius*. Altiores montes seu iuga sunt *Gebenna* inter Narbonensem & Lugdunensem: *Iura* ad Heluetiam, *Vogesus*, inter Sequanos & Triboccos.

Hæc de Galliæ Transalpinæ terminis, siue vlterioris. Nam Romani vniversam Galliam in *Cisalpinam* siue Citeriorem, quæ & *Togata* dicta fuit, & pars Italiæ est; ac *Transalpinam*, siue Vlteriorem, diviserunt, quæ quatripartita fuit, *Narbonensis* ad mare Mediterraneum; *Aquitanica* ad Garumnam & Oceanum: *Lugdunensis* siue *Celtica* ad Rhodanum, & supra Ligerim latissime patens: & tandem *Belgica*,

gica, a Matrona & Sequana ad Rhenum vſque, Germaniæ terminum, prolata. Ex his Narbonenſis *Braccata* quoque dicta fuit, & Cæſaris æuo, *Prouincia Romana:* reliquæ partes barbaræ, *Comata* Gallia.

NARBONENSIS a Varo amne, communi Italiæ termino, ad Pyrenæos montes inter mare & Gebennam montem ac lacum Lemanum patebat, prima trans Alpes Romanorum prouincia, quod ſolum eius Cæſaris temporibus nomen fuit, Narbonenſis appellatione ab Auguſto demum adiecta. Rhodanus bipartito ſecat. Trans fluuium ad Gallicum ſinum, Pyrenæos proſpectantem, *Ruſcino* in Hiſpaniæ finibus: *Narbo Martius* antiqua colonia, vnde nomen prouinciæ: *Nemauſus* (nunc Niſmes) amphitheatro nobilis: *Agatha* ad mare. Cis fluuium, *Arelatum*, ripæ impoſitum, Arles hodie, ſequenti æuo ſuis quoque Conciliis illuſtratum: & *Aquæ Sextiæ* (Aix) a Sextio Caluino, victore gentis (*Salyes* erant) appellationem nactæ. *Maſ-*

ſilia,

ſilia, Phocæenſium, Ioniæ ciuitatis, colonia inclyta: *Telo Martius*, nunc Toulon: *Forum Iulii*, hodie Frejus: & *Antipolis* (Antibe) in Italiæ confinio. Et hæc inter Druentiam ac mare: ſupra quem amnem in Rhodani ripa, aut propius ab illa, ſunt *Auenio*, Auignon; *Arauſio*, Orange; *Valentia*: & ſupra Iſaram in eadem ripa, *Vienna*, ALLOBROGVM ciuitas, quorum & *Geneua* ad Lacum Lemanum fuit metropolis. Infra Allobroges, *Vaſio*, Vaiſon, & Arauſioni vicinum *Carpentoracte*.

AQVITANIA Iulii Cæſaris temporibus Pyrenæis & Garumna concluſa fuit. Auguſtus ad Ligerim protatauit. Ad Garumnam vrbs *Burdegala*, poſteriore æuo clarior facta: inter hunc fluuium & Aturum *Aquæ Tarbellæ*: & montana verſus *Eluſa*: populi *Auſci*, *Bituriges*, *Vaſátes*, *Toloſates* & alii. Inter Garumnam & Ligerim *Santones*, *Cadurci*, *Petrocorii*, *Pictones* &c. Ad orientem *Lemouices* cum oppido *Lemouico*; & bellicoſſiſſimi

mi *Aruerni* , quorum munitiſſimam vrbem *Gergouiam* Iulius Cæſar deleuit, eo fortaſſe loco ſitam vbi hodie Clermont eſt: item cognomine genti oppidum *Aruernæ* vel Aruernum apud Plinium. Supra hos alii *Bituriges* erant, *Cubi* cognomento, quorum *Auaricum* fuit, itidem a Cæſare expugnatum: ad Duranium amnem, *Vxellodunum* in Cadurcis.

LVGDVNENSIS Gallia, ſiue CELTICA, inter Rhodanum, Matronam, Sequanam & Ligerim ad Oceanum vsque extenſa, in cuius vltimo receſſu, vbi nunc prouincia Bretainge eſt, *Nannetes* populi erant, & *Veneti* & *Armorici*. Poſt hos *Turones*, & *Carnutes*, vbi *Genabum* (Orleans) a Cæſare euerſum: *Senones*, quorum *Agendicum* fuit, nunc Sens appellatum; & *Vellaunodunum*: & in eodem tractu *Trecaſſes*, atque *Lingones*: ſupra hos ad Matronæ & Sequanæ confluentem *Pariſii*, ubi *Lutetia*, & *Metioſedum*: inferius, *Mandubii*, quorum *Aleſia* erat

ſiue

ſiue *Alexia:* & *Ædui*, primi ex Gallis Romanorum ſocii, quorum ditionis *Bibracte* ſiue *Auguſtodunum* fuit; ad Ararim *Cabilonum* ac *Matiſco*, & ipſa metropolis *Lugdunum*, Lyon, licet Seguſianis eam alii vindicent.

BELGICA Gallica populorum multitudine explicatu difficillima eſt. Præcipuos cum oppidis ſuis enumeraſſe ſufficiat. In *Helvetiis* fuit *Auenticum:* in *Raucaris*, *Auguſta Rauracorum*, nunc vicus ſupra Baſileam: in *Veragris*, ſiue Vallenſibus, *Octodurus* vicus, fortaſſe Martinach: in *Sequanis*, inter Rhodanum, Iuram montem, & Rhenum late habitantibus, *Viſontio*, Beſanco: in *Mediomatricis*, *Diuodurum*, Metz: in *Triboccis*, *Argentoratum:* in *Nemetibus*, *Nouiomagum*, Speyr: in *Vangionibus*, *Bormitomagum*, Worms / & *Magontiacum*, Meyntz: in *Treuiris*, *Auguſta Treuirorum*, Trier: in *Eburonibus* cis Moſam (nam maior pars inter Moſam & Rhenum erat) *Aduatica* caſtellum, poſt

Tun-

Tungri, Tongern dictum: *Menapii* ad Rheni ripas habitarunt ſine oppidis: in *Vbiis* ex Germanica ripa in Galliam traductis, *Colonia Agrippina*, Cöln/ & *Bonna*, & *Noveſium*, Neuß; & *Geldu-ba*; ſuperius *Tolbiacum*, nunc Gülch: in *Sicambris*, itidem ex vlteriore ripa Rheni in citeriorem transpoſitis, *Ve-tera*, caſtra ſcilicet, munimenti no-men.

Et *Neruiis* ſua oppida fuerunt, vt ex Cæſaris commentario conſtat; quo-rum nomina ignorantur. Hannoniæ maiorem partem, & aliquam comita-tus Namurcenſis, videntur poſſediſſe. In *Veromanduis* (Vermandois) *Augu-ſta Veromanduorum*, cuius veſtigia alii in fano S. Quintin; alii prope illud quærunt: in *Ambianis* ad *Samaram* (nunc la Somme) fluuium, *Samaro-briua*, vrbs & Cæſari & Ciceroni me-morata, Amiens Picardiæ: in *Belloua-cis*, inter Ambianos, Veromanduos, & Pariſios, *Bratuſpantium* ſiue *Cæſaro-magus*: in *Rhemis*, vrbs *Durocorto-rum*, hodie Reims, & *Bibrax*: In *Sueſ-*

ſio-

ionibus, Cæsaris *Noviodunum*, post *Augusta Suessionum*, hodie Soissons: in *Velocassibus* siue *Bellocassiis* ad Sequanam, *Rotomagus*, nunc Roan: in *Atrebatibus*, *Nemetacum* fortasse Arras: in *Morinis* ad fretum Britannicum, *Portus Icius*, ex quo Cæsar in Britanniam traiecit, qui idemne sit ac *Gesoriacum*, quod pariter in Morinis laudatur, an diuersus ab illo, disputamus alibi. *Batavorum*, qui insulam Rheni incoluerunt, vnum oppidum Tacitus memorat, nomen non adfert: vicos autem maiores narrat, *Batauodurum*, & *Arenacum*, & alios. *Toxandri* Selandiam & alias Oceani insulas videntur habitasse: *Caninefates* in Batavorum insula.

Rheni Gallica ripa, propter colonos ex Germania transductos, Romanis *Germania Cisrhenana* dicta fuit, in duas provincias divisa, *Germaniam Primam*, quæ & Superior erat; ubi Argentoratus, Nemetes, Vangiones, & Maguntiacum: & *Secundam*, siue Infy-

Inferiorem, ubi Colonia Agrippina, Bonna, Tungri, & aliæ urbes ſunt.

Ex his manifeſtum eſt, longe ampliores terminos fuiſſe antiquæ Belgicæ, quam hodie XVII provinciarum ſunt, quæ id nominis ſolæ vſurpant.

CAPVT III.
DE INSVLIS BRITANNICIS.

MAxima Britannicarum inſularum, quæ ſub *Magnæ Britanniæ* nomine nunc Angliæ & Scotiæ regna continet, olim *Albion* dicta, iam tum Cæſaris æuo BRITANNIÆ nomine clareſcebat, quanquam non tota illis temporibus cognita fuit, ſed pars tantummodo auſtralis. Strabo ſilvas Britannis pro vrbibus fuiſſe tradidit: at vero oppida ſua inde vſque a Claudii principatu habuiſſe, ex Auguſta hiſtoria ſatis notum eſt, quanquam pauciorum nomina literarum monumentis expreſſa ſunt.

Diui-

Diuiſa Britannia ab Romanis fuit n *Superiorem* ſiue citeriorem ; & *Inferiorem*, quæ & vlterior erat. Illa in Auſtrum vergit,& hodiernum regnum Angliæ complectitur ; hæc ſeptentrionalis eſt, & Scotiæ fere regno reſpondet.

SVPERIORIS Britanniæ varii multique populi erant, eorumque notiores, ad fretum *Cantii*, quos Cæſar ſubegit, quorum & regio *Cantium* dicta,& promontorium eiusdem nominis. Deinde in eodem litore magis occidentales *Durotriges* & *Damnonii*; vltra hos *Regni*, *Atrebatii*, & *Trinobantes* : & ad litus orientale, inter Tameſin ac Garienum fluuios. *Iceni* & *Cenimagni*, ac reductiores *Caſſii* : contra in latere occidentali, Hiberniam verſus, *Silures*, *Ordouices*, *Genunii*, & fortaſſe etiam *Cangi*, quorum ſedes incertior eſt. In ſeptentrionem ſpectabant, *Brigantes*, *Pariſii*, *Coritani*.

Oppida ſuperioris Britanniæ nobiliora fuere *Durouernum*, vel *Dauernum*, in Cantio , hodie Canterbury:

Du-

Dubris ad fretum, nunc Douer: *Londinium* ad Tamesin, negotiatorum copia & commeatuum, quod Tacitus tradit, maxime celebre: *Durobriuæ* in Trinobantibus: *Verulamium* municipium, prope fanum S. Albani, nunc excisum: *Mediolanum* in Ordouicibus: *Camalodunum* in Brigantibus: & *Eboracum*, hodie York, vbi Seuerus imperator mortuus est.

INFERIORIS Britanniæ, quæ & vlterior & septentrionalis est, *Caledonia* pars nobilissima fuit, & *Caledonii*, populus fama nominis, quam aliæ gentes, præstantior, quibus etiam vicinum ab occasu solis mare Oceani *Caledonii* siue *Deucaledonii* nomen debet. Ab his proximi *Picti* erant, & in meridiem magis vergentes *Horesti* ac *Attacotti*, qui duo populi intra Murum Seueri continebantur.

Nam cum septentrionales huius insulæ populi, ceteris barbariores, Romanæ ditionis partes infestarent; Hadrianus imperator ab *Itunæ* fluuii (nunc Eden) æstuario ad oppositum Ger-

Germanici maris litus, murum seu vallum potius in transuersum posuit, vt incursiones barbarorum inhiberet, quem Antoninus Pius imitatus est, & longius progressus Seuerus persimilem molem a *Glota*, æstuario Hibernici maris, ad *Bodotriæ* sinum, vbi angustissima insula est, perduxit.

Flumina maiora Britanniæ, & quidem Superioris, *Tamesis*; Inferioris, *Tauus*, siue *Taus*, cum lacu & æstuario cognomine. Portus Trutulensis Taciti ignotus est, nisi *Rutupensis* in Cantio intelligendus.

Ceteræ insulæ sunt HIBERNIA, Britanniæ ad occasum solis opposita, quæ & *Iuernia*, *Iuuerna*, ac *Ierne* appellatur. Oppida eius *Eblana*, Dublin; & *Menapia*, quæ fortasse Wexford est. Fluuius *Senus*, aliis *Scena*; hoc tempore *Schenanus*, huius insulæ maximus.

VECTIS vel VECTA, ad meridiem Britanniæ obiectæ, hodie Wight: SILVRVM insulæ, in latere occidentali, nunc Sôrlingen, quas veterum *Cassiterides* quidam credunt, quamvis

Ptolemæus, Strabo, & alii veteres, Hispaniæ ab ſolis occaſu easdem oppoſuerint: MONA, (Man) inter Britanniam & Hiberniam: EBVDAE ſiue HEBRIDES, in mari Caledonio, plures numero: nec pauciores ORCADES ad extremum inſulæ ſeptentrionem. THVLEN etiam vltimam cum Britannicis numerarunt, quam recentium plerique Islandiam interpretantur, longius a Britannia remotam.

CAPVT IV.
DE GERMANIA ANTIQVA.

ANtiqua Germania ab occaſu ſolis Rheno fluuio, eiusque medio in Batauis alueo; ab oriente Viſtula; a meridie Danubio & æquali tractu; a ſeptentrionibus Oceano terminata fuit. Fluuii ergo maiores ſunt & partim terminales, *Rhenus* vſque ad diuortium a quo Vahalis (die Waele) in Gallis relinquitur, reliqui aluei ad Germanos pertinent: *Amiſia* (die Emſe)

Emſe) *Viſurgis*, (die Weſer) *Albis*, *Danubius*, *Viſtula*, (die Weixel) Alios hi excipiunt, vt *Mœnum*, *Nicrum* (Neckar) & *Lanum* Rhenus: *Fuldam* (die Voll) & ceteros Viſurgis: *Salam* & *Muldam* Albis, *Lechum* Danubius &c.

Ab Rheno proximi erant *Friſii* ſive *Friſiones* aut *Friſæones*, quibus *Marſaci* vel *Marſatii* admixti erant, præſertim Friſiis Minoribus, qui quomodo a Maioribus diſtinguantur, non liquidiſſimum eſt. Sunt hîc *Fleuus* lacus, (Süder See) & *Foſſa Druſiana*, qua Rhenus Iſalæ coniungitur, id eſt veterum *Nabaliæ*, vt multi interpretantur. Oppidum quoque *Naualia* ſiue *Nabalia*, in his oris fuiſſe probabile eſt.

Inter Amiſiam & Viſurgim ſub Oceano erant *Chauci* ſiue *Cauchi* Minores, & ad oſtium Amiſiæ, cognomine oppidum *Amiſia*, quod creditur Emden eſſe. Inde meridiem verſus *Angriuarii*, *Chamaui*, *Vſipetes* & *Tenteri*, ex aliis ſedibus huc compulſi,

Nam antea Rheno propiores erant, ſicut & *Iubones: Sicambri* vero late habitarunt ab Rheno ad fontes ferme Lupiæ. Oppida in hoc tractu, *Lupia*, & *Aliſo*, & *Teutoburgum*, quod *ſaltui Teutoburgico*, quo Quintilius Varus cum legionibus deletus eſt, nomen dedit. *Segedunum* Ptolemæi ad amnem Sigen & cognomine oppidum videtur referri poſſe. Tencteris *Bructeri* coniunguntur, ſed vagabundi, & inſtabilis ſedis.

CATTORVM gens a Lani Rhenique confluentibus ad Mœnum vſque, & intus ad Viſurgim, aut vltra hunc amnem, late longeque habitauit. Ex his Rheno propinquiores *Mattiaci*, nomen a *Mattio* oppido vel caſtello, quod Marpurg eſſe creditur, procul dubio nacti. Ad hos etiam mons *Taunus*, Maguntiaco oppoſitus, pertinuit. *Caſtellum* ad Fuldam, antequam Viſurgi miſcetur, nunc Caſſel/videtur etiam ex Druſi operibus reliquum eſſe.

Inter Nicrum, Rhenum, ac Danubium *Marcomanni*, *Seduſii* ac *Harudes*

des antiquitus coluerunt, quibus in Boiohæmum diſcedentibus, *Alamanni* ſucceſſerunt, ex medii æui, quam antiqua hiſtoria, notiores, cum fines ſuos, validiores indies facti, longius protulerunt. His vicini *Hermunduri* fuerunt, inter Mœnum, Salam, Danubium & Albim, quo tractu, quidquid Miſniæ cis Albim eſt, Voigtlandia, & Marchionatus Bereutenſis cum parte Franconiæ, contineri Cluuerio videntur: *Nariſcorum* autem, Palatinatus ſuperior. *Boiohæmum*, Marcomannorum poſterior ſedes, quod nomen retinet, notiſſimum eſt. *Marobudum*, regia Marobudui, quibusdam Praga eſt, caput Boiohæmi. A tergo montium Boiohæmicorum *Quadi* ad *Marum* vſque fluuium (vulgo March) habitarunt, & fugitiuis Sueuorum aucti, ad amnem *Cuſum* id eſt Wagam, fines protulerunt. Oppida Quadorum, *Ebrodunum*, Brin Morauiæ; & *Eburum*, Olmütz, ex vulgari interpretatione, quam in medio relinquimus.

Inter Albim, Viſtulam ac Danubium SVEVORVM gens ampliſſima. Boiohæmo vicini *Marſingi* ad vſque Sueuum amnem, hoc eſt Viadrum ſiue Oderam, Sileſiæ portio: inde *Semnones* Saxoniam Superiorem cum Miſnia Tranſalbina occupantes: poſt hos *Langobardi*, in Marchiæ parte, fortaſſe illa, quam Antiquam dicimus: *Varini*, in ſede Meklenburgicorum: inde ad oſtia Albis *Angli*, *Foſi*, alii: ad Cherſoneſum *Cimbri*.

Inter Viſtulam & Viadrum a meridie *Gothini*, *Oſi*, *Burii*, in partibus Sileſiæ Tranſoderanis & Poloniæ citerioris. Vnde etiam Ptolemæi *Caliſiam* & *Carrodunum* in Polonia eruditi quærunt. Viſtulæ propiores erant *Lugii* ſiue *Logiones*.

Supra hos Oceanum verſus inter Sueuum & Viſtulam *Burgundiones*, gens tum forſan parua, quæ aliis temporibus validiſſima facta, ampliores fines, etiam ſub alio cœlo quæſiuit: item *Sidini*, *Carini*, in Pomerania vlteriore: ad Oceanum *Lemouii*, *Rugii*, ac

prope Viſtulam *Gothones*, qui paruum videntur initium fuiſſe latiſſime poſtmodum diffuſæ Gothorum gentis, de qua tamen alii aliter ſentiunt.

CAPVT V.
DE INSVLIS ET TRANSMARINA GERMANIA.

VEteres Germaniam in extremum ſeptentrionem, vbi Suediæ nunc & Daniæ regna ſunt, extenderunt, & trans mare *Sueuicum* ſiue ſinum *Codanum*, qui nunc mare Balticum eſt, nihil niſi inſulas poſuere, quarum maximas dixerunt *Scandinauiam* ſiue SCANDIAM, & FINNINGIAM, incompertæ magnitudinis; quas conſtat peninſulas potius eſſe, quæ nec hodie nomen ſuum penitus amiſerunt. De THVLE celebratiſſima ſub finem cap. III. de Britannia diximus, Islandiam plerosque interpretari, cuius mare *glaciale*, *Cronium*, *pigrum*, *concretum*, & Græce vniuerſum, quod ad ſeptentriones eſt, *Hyperboreum* appellatur.

Minores & in meridiem vergentes insulæ sunt plures, præcipua *Codanonia* a sinu Codano, in quo sita est, dicta, quam vulgo credunt Selandiam, Danorum regiam insulam esse. Insulas huic adiacentes habitasse *Teutoni* dicuntur, qui finitimi Cimbrorum erant, chersonesum Iutlandiæ incolentium.

CAPVT VI.
DE GERMANIA TRANSVISTVLANA AC SARMATIA.

VIstulam quidem terminum posuimus ab ortu Germaniæ, sicut ab occasu Rhenum: non autem contineri multitudo gentis ita potuit, quin vtrobique fines transiliret. Quemadmodum ergo *Cisrhenana Germania* Romanis Gallicus ager erat, a Germanis gentibus occupatus: ita haud parua agri Sarmatici portio itidem Germanis populis, ad orientem latiores fines quærentibus, aut vi, aut commerciis

ac consuetudine cessit, qui communiore nomine *Bastarnæ* vel *Basternæ* appellati, sub quibus *Peucini* siue *Peucæ*, & *Carpi*, & *Borani*, aliique fuere, qui ad Dacos vsque late habitarunt. Oppida Bastarnica apud Ptolemæum sunt *Carrodunum*, quod Lemberg Cluuerius interpretatur; distinctum ab altero Carroduno cis Vistulam, in tractu fere quo Cracouia est, de quo supra diximus: & *Clepidaua*, quod eidem videtur Caminik Podoliæ esse. Nam in Podolia & Vkraina ac finitimis partibus præcipuæ sedes Bastarnarum fuerunt. Sed alio sæculo propiores Istro facti Romanum imperium infestarunt: pars etiam transgressi amnem in Pannoniam vsque fines suos ac sedem protulerunt.

Supra Bastarnas, Vistulam versus *Venedi* siue *Vinidi* erant, a quibus forsan Wendorum nomen reliquum est: Sinus etiam Oceani vicinus *Venedicus* dictus. Ex his Oceanum respectantes *Æstii*, in Borussiæ & Poloniæ parte, quæ trans Vistulam sita, vsque ad *in-*

ſulas Electrides habitarunt, quæ ab electri ſiue ſuccini prouentu in illa ora copioſiſſimo, appellationem habent.

SARMATIA, Europæa Scythia, a Viſtula ad Aſiæ terminos protracta, a meridie Daciam, & Pontum Euxinum habuit, a ſeptentrione Oceanum & Finningiam; partes Poloniæ trans Viſtulam, Liuoniæ, & Europææ Moſcoviæ, hisque finitimas complexa.

Fluuii eius ſunt *Boryſthenes*, vulgo Dniper: *Tyra*, Dnieſter, aliique: Populi *Alaunii*, *Agathyrſi*, *Hamaxobii*, *Geloni*, & alii minoris notæ ſub his comprehenſi, quibus ab occaſu accedunt, quos Germanicæ originis ſupra in Germania Transuiſtulana, recenſuimus.

Boſporani autem Sarmatæ Europæ & Aſiæ terminis diuiſi erant. Pars Aſiatica ad Caucaſum vergebat, Cimmeriis tenebris fabuloſa: Europæa inde a Tanais oſtio per oram Mæotidis paludis & Ponti Euxini extenſa, *Tauros* populos habuit cum *Cherſoneſo*

Taurica,

Taurica, cuius vrbes ſatis celebratæ, *Theodoſia*, nunc Caffa; & *Panticapæum*, prope Boſporum in eadem peninſula: dein *Mæotas* ſiue *Mæotidas*, paludem accolentes: & *Iazygas*, qui vel ipſi Mæotidæ erant, vel eorum finitimi, quos *Alani* & *Roxolani* contingebant, ex medii æui hiſtoria, quam antiqua, notiores. Sed & alii *Iazyges* erant, Dacis contermini, inter Danubium & pathiſſum, qui Tibiſcus eſt, & ipſi Sarmatæ, ſiue ex Mæoticis Iazygibus huc profecti.

CAPVT VII.

DE VINDELICIA, RHAETIA, ET NORICO.

HIc tractus hodie Germaniæ eſt: olim extra illam erat & vltra terminum eius Danubium in meridiem: nec agentibus Germanicis poſſidebatur, ſed Vindelici originis Illyricæ; Rhæti Italicæ fuerunt.

VINDELICI omnem ripam Danubii tenuerunt a fontibus ad Æni confluen-

fluentem, diſtincti *lacu Brigantino* (Boden See) ab Heluetiis. Sub Vindelicis & alii populi erant *Breuni*, *Genauni*, & *Licates*, Licum (Lechum) amnem accolentes, qui mediam ſecat Vindeliciam. Oppida erant *Brigantium*, ad lacum cognominem, quod nomen retinet: *Campodunum*, Kämpten: *Auguſta Vindelicorum*, colonia, Augſpurg: *Batava*, intellige Caſtra, Paſſau / & alia.

RHAETIA in meridiem magis porrecta vſque Alpes illas, quas Rhæticas inde appellant; partem quoque Alpinarum gentium complexa, vbi *Tridentum*, *Pons Druſi*: populi *Griſones*, *Vennones*, & qui *Vallem Tellinam* inhabitant. Quidam Breunos etiam & Genaunos Rhætiæ accenſent, quos modo in Vindelicis numerauimus. Fluuii, *Addua* & *Atheſis*, & alii.

Rhætia itaque ab ortu habet partem Norici: ab occaſu Heluetios: in meridiem adiacet Gallia Transpadana: ad ſeptentriones Vindelicia. Sed hæc de *Rhætia Propria*: nam & latiores

ei

i non raro fines dantur, vt non hanc
nodo, quam deſcripſimus, ſed omnem
tiam Vindeliciam complectatur, quip-
e Vindelicum nomen ſenſim exoluit,
& Rhæticum toti prouinciæ impoſi-
um fuit, quemadmodum Tacitus co-
oniam, quam Auguſtam laudauimus,
n Rhætis ponit, quæ Vindelicorum
ropria erat. Quæ cauſſa eſt, vt dif-
iculter inter Rhætos & Vindelicos
eri termini inueniantur.

NORICVM ab Æno iuxta Danu-
ium ad iuga *Cetii* montis (quæ inter
Murum & Danubium ſunt & Vindo-
onam ferme contingunt) extendeba-
ur, a meridie ad *Alpes Noricas* vltra
Drauum amnem, qui mediam ſecat
nediterraneam partem, procurrens.
Diuiſum enim Noricum fuit in *Ripen-
ſe*, quod & ſeptentrionale eſt, ac Da-
ubio ſubiacet, nunc Auſtriæ pars, &
Archiepiſcopatus Salzburgenſis: &
Mediterraneum, ſiue auſtrale, vbi Car-
iola, Stiria, Carinthia eſt.

Oppida Norici *Boiodorum*, ad con-

fluentem Æni, nunc Inſtad: *Iouauun* ſiue *Iuuauia*, Saltzburg: *Claudia* Plinii: *Ad pontem*, Muri ſcilicet, Mũraw: *Virunum* ad Drauum: *Aguntum* & *Æmonia* ſub Alpibus. Ab Italia *Iulio Carnico* dividitur, ſed hoc Foro Iulii Italiæ potius, quam Norico adſcribendum eſt.

CAPVT VIII.
DE
PANNONIA ET ILLYRICO.

PAnnonia omnis tractus ſub Danubio eſt a Cetiis iugis ad *Aureum* vſque *Montem*, Mœſiæ poſt *Taurunum*, terminum. Latitudinem Danubius; a ſeptentrione, & Illyrici montes a meridie deſcribunt. *Sauus* & *Drauus* flumina, quam longa fere eſt, diſſecant. Non ergo Hungariæ noſtræ, niſi ex parte reſpondet, cum hæc vltra Danubium latiſſime porrigatur, quo amne, tanquam termino, Pannonia vetus circumſcripta fuit; contra in Auſtriæ partes, Pannonia protendebatur,

atur, a quibus Hungaria hodie ab-
cissa est.

Diuisa fuit Pannonia in *Superiorem*
& *Inferiorem* per fluuium *Arabonem*,
ie Rabe. Ad quem a Cetii iugis Su-
perior pertingebat: Inferior ab eodem
mne ad fines Mœsiæ. Deinde quæ
Sauo & Drauo inclusa portio erat, *In-
teramnia* Pannonia dicta fuit, vt &
Ripariensis, quæ ad ripas Saui erat:
quibus pars quædam *Valeriæ* nomine,
sed posteriore æuo, sub Galerio Maxi-
miano accessit.

SVPERIOR Pannonia, quæ alio sæcu-
lo *Prima* nominata fuit, Austriæ par-
tem, Marchiam Vinidicam & Croa-
tiam cum finitimis complexa. Vrbes
sunt ad Danubium *Vindobona*, Wien:
Carnuntum, siue *Carnûs*, inter Vien-
nam ac Posonium siue Preßburg:
Petovio, ad Drauum, Petau Stiriæ:
Siscia, nunc pagus Sisek Croatiæ: &
huic vicina *Segesta*, Augusti munimen-
tum, vnde *Segestica*, insula Saui cogno-
minata est: *Nauportum* Ober-Lau-
bach Carniæ: & *Emena*, Unter-Lau-
bach/

bach / in finibus Italiæ atque Noric. *Strido*, Hieronymi patria, confiniur Pannoniæ & Dalmatiæ; *Sabaria*, pa tria S.Martini.

Inferioris, quæ & *Secunda* poſt modum dicta fuit, oppida fuerunt *Ci balis*, ad *Hiulcam* lacum : *Murſa* a Drauum: vtraque ex Conſtantini cun Licinio bellis nota : *Sirmium*, nun Simach, inter Almum montem & Sa vum : *Budalia*, prope eundem fluuium Decii imperatoris patria: *Taurunum*, ad Danubium, hodie Grichiſch Weiſ ſenburg / in Mœſiæ confinio. Slavo niæ & Boſniæ in hoc tractu partes ſunt.

ILLYRICVM ſiue ILLYRIS ab Hiſtria ad Macedoniam inter Adriaticum mare & propria montium iuga, Italiæ parallela, continetur. Montes iſti variis in locis varie nominantur, *Albii*, *Bebii*, *Ceraunii*, *Ardii*, vſque ad transuerſa *Scardi* iuga in Macedoniæ & Mœſiæ finibus.

Diuiſa fuit Illyris per *Titium* amnem in Liburniam & Dalmatiam: illa

lla Hiſtriæ contermina ac occidenta-
alis : hæc Macedoniæ propinquior,
adeoque orientalis.

Libvrniæ populi erant celebriores *Iapides* ſiue *Iapodes*, Hiſtrorum accolæ; oppida *Iadera*, nunc Zara: *Ænona*, *Lopſica*, *Senia*, *Tarſatica*. Auctor hæc gens fuit nauium, quas *Liburnas* appellamus.

Dalmatia a Titio amne ad *Drinum*; vel potius ad oppidum *Liſſum*, protendebatur. *Scardona* Liburniæ finis & initium Dalmatiæ: *Salon* ſiue *Salona* metropolis fuit & colonia, eademque nauale, in loco fere Spalatri: deinde *Tragurium* ad mare: *Narona* ad *Naronem* fluuium: hodie Narenta: *Epidaurus*, nunc Raguſa: *Rhizinium*, nunc Riſine: *Delminium*, quod nomen genti dedit, ab Auguſto euerſum. *Scodra*, (hodie Scutari) olim regia Illyricorum: etiam *Medeon*, Urbs *Labeatium* populi, in hac vltima Dalmatia fuit. *Liſſus*, Aleſſia, terminus ad Macedoniam. *Tralli* etiam gens Illyriorum, in his partibus; & *Piruſtæ*, a

Cæ-

Cæſare multati: item *Mazæi*, alii.

Inſulæ in hoc mari plures: præc puæ, *Pharia*, nunc Lieſina; *Corcyr Nigra*, quæ ad regnum Gentii pertin bat: *Iſſa*, vnde populi *Iſſenſes* apu Liuium; *Tauris*; *Boæ*, & *Abſyrt des*, &c.

CAPVT IX.
DE
ITALIA ANTIQVA.

ITalia vniuerſa Supero & Infero, ho eſt Adriatico & Tyrrheno mari, a Alpium iugis circumſcribitur. Sub Alpibus latiſſima eſt, & ab Liguſtic mari ad Illyricum vſque extenditur. Diuidebatur in Galliam Ciſalpinam, & Italiam proprie dictam: Illa Alpibus vicinior; à Gallis colonis poſſeſſa, vnde nomen habuit; hæc vtroque mari coarctata inferiorem partem abſoluit. Flumina ſunt, & quidem ex Alpibus ruentes *Atheſis*, (Etſch) *Padus* (Græcis *Eridanus*) hodie Po; & hi in mare Superum exonerantur, vt

& multi

multi minores, e. g. *Rubico, Metau-s, Æsis, Truentus, Matrinus, Atern-s, Aufidus*: alii in mare Inferum, vt *rus, Macra, Arnus, Tiberis, Liris, lturnus, Veseris* prope Vesuuium, & teri: in sinum Tarentinum *Siris*, & *baris*: sunt & alii, qui ab his ex-piuntur, v. g. *Nar* & *Glanis* a Tiberi, *ebia, Ticinus*, & *Mincius* a Pado &c.

Montium Italiæ maximus est *Apen-nus*, longo tractu Italiam diuidens, ut incolæ quoque, arbores, & aliæ s, respectu montis huius vel Supe-m vel Inferum mare prospectantis, *Supernates* & *Infernates* distin-untur.

CISALPINA GALLIA.

la pars Italiæ, quæ Alpibus vicina, & præter Inalpina Sabaudici iuris, atum Mediolanensem & Veneto-m regionem cum partibus quibus-m Pontificiæ ditionis ad Adriati-m mare, continet, Romanis olim opter incolas Gallos *Gallia Citerior* *Cisalpina* vocabatur, perque Pa-dum

dum fluuium, qui mediam interlu
in Transpadanam, quæ ad mare A
driaticum vergit; & *Cispadanam*, qu
est ad Apenninum & Ligusticum ma
versus, diuiditur.

Terminus huius Galliæ ab occas
& ad inferum mare, est *Varus* fluui
Liguriam a Narbonensi Gallia disti
guens: ex parte Illyrici *Arsia* fluui
paruus peninsulæ Histriæ: respeć
mediæ Italiæ ad mare Adriaticum, o
pidum *Sena Gallica*, vel potius *Rubi*
fluuius. In Alpibus incertiores fine
nec vbique distincte determinari po
est, quæ Italiæ sint, & quæ Norici, a
Galliæ vlterioris.

Alpes autem variis locis cognomi
nantur varie. *Maritimæ* Liguria
contingunt, inter quas & *Cottias* era
Taurini populi, eorumque caput *A*
gusta Taurinorum, hodie Turin, prin
cipalis sedes Ducis Sabaudiæ. *Cotti*
Alpes ex historia Neronis, qui Cot
regnum prouinciam fecit, non ign
tæ. Hic *Segusio* vel *Segusium* oppidum
nunc Susa. Inde *Graiæ*, & *Pennin*

qu

as Hercules & Hannibal pertransi-
e vulgo dicuntur. *Salassi* in Graiis
l prope illas habitarunt, quorum
ugusta Prætoria erat, hodie Aosta;
Eporedia: supra hos *Alpes Summæ*
im monte *Adula*, inter Rhodani ac
heni fontes: Inde *Lepontiæ, Rhæticæ,*
ridentinæ, Noricæ, Carnicæ, Iuliæ, quæ
Pannoniæ Alpes appellantur.
Cis Padum LIGVRIA est, ad mare,
uod inde *Ligusticum* dicitur, inter
arum & *Macram* amnes, illum Gal-
æ Narbonensis, hunc Etruriæ termi-
um. In maritimo tractu a Varo pro-
ima *Nicæa*, nunc Nizza, Massiliensi-
m colonia: deinde *Portus Herculis*
Ionœci, *Albingaunum*, circa quod *In-*
auni Ligures habitarunt: *Vada Saba-*
ia, & clarior facta his cunctis oppi-
is vrbs *Genua*: post *Delphini* atque
eneris portus. In mediterraneis ad
anarum fluuium, *Alba Pompeia*: *Asta*
olonia, *Polentia*, *Clastidium*, & ad *Iri-*
m fl. *Dertona*. Liguria autem quan-
uam citra Alpes erat, tamen mores
ranſalpinorum tenaciter seruabat, &
eos

eos propter ab Romanis Galliæ *Coma-
tæ* adnumerata fuit.

A *Trebia* amne ad Adriaticum mar-
sub Pado flumine cultiores populi fu-
erunt, iique ad *Togatam* Galliam per-
tinentes. Ipsum Trebiam Romano-
rum clades Punico II. bello nobilita-
uit, cuius & Padi confluenti propior
Placentia est, a qua ad *Parmam* fossa
Scauri ducebat, *Æmilia* dicta: media
inter vtramque, supra fossam, *Fiden-
tia*: vltra *Niciam* flumen, *Tannetum*
vicus Livio, Plinio oppidum: & Pado
propinquum *Brixellum*: inter vtrum-
que *Macri Campi*. Post *Mutina*, bel-
lo Mutinensi contra Antonium gesto
clara: & *Labinius* amnis paruus, in
cuius insula Antonius, Lepidus, &
Octauianus Triumuiratum inierunt:
& aliquot millibus inde passuum ori-
entem versus, *Bononia*, quam *Rhe-
nus* alluit: ac *Claterna*; & *Forum Cor-
nelii* ad *Vatrenum* fluuium, post quem
Fauentia erat, nunc Faenza: & pro-
pius dexteriora Padi ostia *Forum Li-
uii*, nunc Forli, ac *Rauenna* colonia,
muni-

unita, & portu in Adriatico mari ſtructa. *Rubico* amnis, verus huius alliæ terminus, non longe hinc, tum ſolis verſus, aberat. Inde Vm-ia incipit, cuius maritima oppida que ad Senam Gallicam propter Gal-s incolas plerumque Galliæ Togatæ numerantur. Sed de iis in Vmbria.

Populi Ciſpadanæ nobiliores *Ana-ani*, *Lingones*, *Boii*, atque Adriam rſus, *Senones*: propiores Apennino *eſates*.

GALLIA TRANSPADANA.

CIrcumpadana oppida, ſi ab Alpibus cundo flumine prouehimur, ſunt *ercellæ*, longius quidem ab amne ſub lpibus remotæ, *Lybicorum* caput, in ſubrum confinio. Inde *Raudii cam-*, C. Marii contra Cimbros victoria lebrati: Poſt hos *Ticinus* Eridano iſcetur, qui cum oppido, cui etiam *icinum* nomen, perinſignis eſt pro-er Hannibalis victoriam: Longius rogreſſis *Cremona* colonia, item *Ho-lia* vicus; *Forum Allieni*, nunc Fer-

rara,

rara, occurrunt, & ad extimum Pad
oſtium *Spina*, vnde Spino cognomen
eſt illi brachio fluminis.

INSVBRIAE, remotioris a Pad
ripa, caput fuit *Mediolanum*, Mey
land/vetus municipium: poſt id *Lau.*
Pompeia, itidem municipium, nunc
Lodi Vecchia. Supra Inſubres in
ſeptentrionem coluerunt *Orobii*, quo
rum *Bergomum* erat; & *Comum*, ſiue
Nouum Comum, ad lacum *Larium*
Plinii iunioris patria. Inde ad ortum
ſolis *Cenomani* populi, in iisque *Bri
xia*, nunc Breſcia: *Bedriacum*, vicus, ad
quem victus eſt Otho: *Cremona*, quam
diximus ripæ Padi impoſitam: *Man
tua*, Virgilii natale ſolum, in proximo
vico nati, cui *Andes* nomen: *Verona*
ad Atheſin, ſub lacu *Benaco*, in cuius
peninſula *Sirmione* vel natus fuit, vel
prædium habuit Catullus Veronen
ſis. Lacum *Mincius* fl. perlabitur.

VENETIA maritimus tractus eſt
iuxta Adriaticum mare, ab extimo
Padi Oſtio, Rauennæ propinquo, ad
Carnos vſque & Hiſtrorum peninſu
lam

lam. *Veneti*, antiquus populus, vel ex Gallis Venetis; vel Henetis Aſiaticis huc profecti. Oppida, quæ coluerunt, *Spina* Ciſpadanæ proxima, de quâ ſupra diximus: *Adria*, vel *Atria*, ad fluuii cognominis oſtium: *Patauium*, Padua, Liuii hiſtorici patria: *Ateſte*, & *Vicentia*, mediterraneæ coloniæ: *Altinum* & *Taruiſium* municipia: *Concordia* & *Opitergium* coloniæ fluuius *Liquentia*.

CARNI proximi, in quibus *Aquileia*, olim ampla ciuitas: *Forum Iulii*, colonia, vnde toti regioni Carnorum FORI IVLII nomen impoſitum fuit: *Vedinum*, Vdine: *Noreia*: & in Rhætorum confinio *Feltria*: in Norici finibus, *Iulium Carnicum*, quod ſupra memorauimus. Extremum ad Hiſtriam oppidum *Tergeſte*, inter quod & Aquileiam ad ſinum Tergeſtinum *Timauus* eſt, fontis, amnis, lacus, ac portus nomen.

HISTRIAE ſiue ISTRIAE peninſulæ oppida fuerunt *Ægida*, poſt Iuſtinopolis dicta: *Pola*, antiquum oppidum;

pidum: *Mutila,Faueria:* at *Nesactum*, Ptolemæo vltimum Italiæ; & fluuius *Arsia*, Italiæ & Illyrici terminus. Populi dicuntur *Istri*.

ITALIA PROPRIA.

PRopriam Italiam a Gallia Cisalpina distinguimus: possumus etiam a Magna Græcia, vt infra ostendemus. Prima huius Italiæ ab occasu ortum progredienti est ETRVRIA siue TVSCIA amnibus Macra & Tiberi, ac Apennini iugis contenta.

Inter Macram & Arnum hæc sunt *Luna* vetus oppidum, ad ripam Macræ sinistram, haud procul a mari: inde *Portus Lunæ*, & promontorium eiusdem nominis. In mediterraneo colonia *Luca*, vel *Auserem* amnem, ad cuius & *Arni* confluentes veteres, (hodie enim vterque proprio alueo ad mare fertur) *Pisæ* sunt, itidem colonia *portus* autem *Pisanorum* ad Arni ostium. Ad radices Apennini *Pistorium* & interuallo orientem versus, *Fæsulæ* colonia Catilinæ castris nota: his vicin

cina ad Arnum posita vrbs *Florentia.*

Ab Arno ad Volsinium lacum in maritimis fuere *Vada Volaterrana* ad Cecinnæ ostium: sed colonia *Volaterra* inde longius reducta in septentrionem: *Populonium* promontorium & oppidum: Post *Vmbro* fluuius, *Caletranus Ager*, & coloniæ, *Rusellæ*, *Saturnia* ac *Graviscæ*; *Forum Aurelii*; vrbs *Tarquinii*: ad mare *Cosa*, etiam colonia; *Loretanus portus*, & ad Ossæ fluminis ostium *nauale Grauiscarum.* Post *Marta* fluuius ex *Volsinio* lacu emanans: supra lacum *Volsinium* oppidum: ad *Glanim* amnem siue paludem, ex qua amnis profluit, *Clusium*, Porsenæ regia: inde in ortum *Sena* colonia: & trans Glanim *Aretium.* Inter *Aretinum stagnum* & *Trasimenum* lacum, Hannibalis victoria nobilem, *Cortona* colonia: inter Trasimenum & Tiberim *Perusia*, Perusino Lucii Antonii bello clara: superius ad Tiberim *Tusci*, villa Pliniana, auras ex Apennino leniter fractas accipiens.

Reliqua pars Etruriæ, a Volsinio la-

cu ad Latium siue Romam, in maritimis habet ab occasu solis *Centumcellas*, (nunc Ciuita Vecchia) hisque coniunctum *Portum Traianum*: deinde *Pyrgi* sunt, nauale Cæretanorum: *Cære* autem oppidum, Mezentii regia, a mari aliquantum recedit, etiam colonia *Alsium*, & *Artena*, inter lacum Sabatium & mare. Inter *Laronem*, qui erumpit ex hoc lacu, ac Tiberim, *Veii* erant, Veiente bello celebratissima ciuitas: & ad mare *Fregena* colonia. In mediterranea parte post lacum Volsinium in ortum *Ciminius saltus* fuit, oppidum *Capena*, colonia *Sutrium*, & *Nepete*, cuius incolæ *Nepesini* dicti. Supra hoc oppidum prope Tiberim *Falerii*, ciuitas *Faliscorum*. & *Fescennia*, vnde Fescenninis carminibus nomen fuit: mons *Soracte* autem ab ortu oppositus: vnde in meridiem *Saxa Rubra* ac *Cremera* amnis, funesta cladis Fabiorum monumenta.

VMBRIA Etruriæ ab ortu solstitiali opponitur, comprehensa Supero mari, & Rubicone, Tiberi, Nare, Æs

flumi

luminibus, per Apenninum in duas partes diuiſa.

Trans Apenninum in maritimis *Ariminum* cum fluuio cognomine: *Piſaurum*, nunc Péſaro, cum fluuio *Iſauro* vel *Piſauro*: *Fanum Fortunæ*, quod & ſimpliciter *Fanum*, item colonis iam acceptis, *Colonia Faneſtris* dictum fuit, ſicut & incolæ *Faneſtres*. Proximus *Metaurus* fluuius ad quem Aſdrubal Hannibalis frater cum exercitu cæſus eſt. *Sena Gallica* vel *Senogallia*, quæ & ſimpliciter *Sena* dicitur, a Senonibus Gallis condita, ad flumen *Miſum*, a quo in occidentem aliquot millibus paſſuum amnis oppido cognominis *Sena* remotus. Tandem *Æſis* flumen eſt, terminus Vmbriæ & Piceni, cui eiuſdem nominis colonia appoſita fuit.

Mediterraneæ Vmbriæ trans Apenninum ſunt *Sarſina* ſiue *Saſſina* ad Rubiconem, Plauti patria: *Vrbinum* inter Piſaurum & Metaurum amnes, *Hortenſe* cognominatum, vt ab ignobiliore Vrbino, quod propius Metauro adiacet

iacet & *Metaurense* dicitur, distinguatur. Sic & *Tifernum Metaurense* discriminis caussa notatum fuit. *Sentinum*, & *Petra Pertusa*, Vespasiani opus ad Flaminiam viam pertinens: *Suasa* municipium, municipes *Suasani*.

Cis Apenninum *Tifernum* erat *Tiberinum*, hoc cognomine a Metaurensi distinctum municipium: *Egubium* ad radices Apennini: *Asisium* municipium: *Hispella* colonia cum mirabili fonte *Clitumno*: ad *Tiniam* amnem *Fulginium*; & *Mevania*, patria Propertii, quibus in meridiem subiacent Tiberim versus *Tuder* siue *Tudertum*, (nunc Todi) cuius *Tudertes* incolæ: & *Ameria*, municipium: ad Narem *Interamna*, hoc amne circumflua: & in altera ripa *Narnia* colonia, abrupto monti imposita. Inter hanc & Mevaniam *Carsulæ*: & extrema in meridiem *Ocriculi* siue *Otriculum*, in confinio Sabinorum. At in ortum solstitialem vergunt *Nuceria*, Camellaria cognomento, nunc Nocera: *Forum Flami-*

nii;

ii; & *Spoletium* colonia: ac in limi-
e Piceni *Camerinum* siue *Camers* co-
onia, populus vel incolæ *Camertes*.
SABINI Vmbris in meridiem sub-
acebant, Tiberi, Nare & Aniene ter-
ninati. Extrema in septentrionem
uit *Nursia:* inde *Reáte* præfectura, &
acus *Velinus:* in ortum magis verge-
bat *Amiternum*, Sallustii patria: meri-
lianas partes implebant *Cures*, alu-
mno Numa celebres: *Trebula* muni-
cipium, antiquis temporibus *Mutusca*
licta: *Regilli*, siue *Regillum*, incertæ
positionis: *Nomentum*, *Antenna*, *Fi-
lenæ*, *Crustumerium*, *Cænina*, cum *Allia*
& *Aniene* fluuiis, quorum ille Roma-
norum clade a Senonibus accepta; hic
Anio) Hannibalis castris Vrbi immi-
nentibus admodum famosus est. *Mons
Sacer*, trans Anienem primus, in quem
secessiones plebis factæ. Alii inferio-
res has partes accensent Latio, prout
vel Sabini vel Romani antiquis tem-
poribus potentiores fuerunt.
In ortum Sabinis & Vmbris PI-
CENTES finitimi. PICENVM regio

illorum dicta & *Ager Picenus*, isque a tergo mare habet ab Æſi flumine ad Matrinum. Maritimæ ciuitates fuerunt *Ancona* & *Potentia* coloniæ, *Firmum* & *Truentum* caſtella: hoc amnis eiusdem nominis præterfluit: at *Vomani* fluuii, ac vlterius *Matrini* oſtia in vltimo Piceno ſunt. In mediterraneis e regione Anconæ & *Cumerii* promontorii, *Auximum* colonia: *Tollentinum* municipinm: *Aſculum*, in primis contra Romanos munimentis Italico bello, poſt id colonia: *Cingulum* ciuili bello exædificatum: *Interamna* alia, ab Vmbrorum oppido diuerſa: *Hadria* vel *Adria* colonia monti impoſita inter Vomanum Matrinumque amnes.

VESTINI his proximi ſunt, a Matrino flumine in meridiem ad *Aternum* obſcuris oppidis habitantes: vltra Aternum MARRVCINI, quorum *Teáte* oppidum erat, a quo *Teatinorum* nomen eſt. PELIGNI hos contingebant, *Sulmonem* colentes, Ouidii patriam, & *Corfinium*, cui *Italicæ* nomen acces-

ıcceſſit Sociali bello, quod Italici po-
uli hanc vrbem caput legerant, vt
dem ipſis eſſet, quod antea vniuerſæ
taliæ Roma. His MARSI ad occa-
um contermini, a Pelignis Apennini
ugo; a Veſtinis Aterno fluuio ſepa-
ati. Caput gentis *Marrubium*; præ-
er hoc *Alba*, *Fucentis* cognomine,
nunita colonia, quo Perſes & Bituitus
eges in cuſtodiam ducti ſunt. Id co-
gnomen a lacu *Fucino* habet, qui inter
oc oppidum & Marrubium eſt. His
AEQVI ad occaſum æſtiuum obuer-
untur, quorum *Algidum* erat ſub
monte *Algido*, cum Tuſculanis mon-
ibus connexo: & *Corbio* oppidum Al-
gido vicinum: item *Cliternum*; & *Vi-
tellia* colonia: ac *Carſeoli* ad Anienem.
Sublaqueum oppidum, a quo nomen
fuit Neronis villæ *Sublacenſi*. Habita-
unt etiam pars vltra Anienem, in La-
ii finibus, vnde paſſim videas Æquos
quoque cum Latii antiqui populis nu-
merari, ſicut de Algido diximus in
agro Tuſculano fuiſſe. Dicuntur et-
iam ÆQVICOLI, Græcis Αἰκανοί.

LATIVM inter Tiberim & Lirim, qui Campaniam præterfluit, extenditur. Latitudo ab Aniene & æquali tractu ad mare inferum eſt. Diuiditur Latium in ANTIQVVM, quod a Tiberi ad *Circæum* promontorium eſt: & NOVVM, quod præter Latinorum populos alias quoque gentes complectebatur ad Lirim vſque amnem.

LATII ANTIQVI caput *ROMA* fuit, compendium terrarum orbis, cis Tiberim pleraque: pars etiam transtiberina, *Ianiculum*, Etruriam ſpectans. In maritimis erant *Portus Romanus* ſiue *Portus Auguſti*, ad Etruſcum oſtium Tibridis, isque perfluus: *Oſtia*, prima colonia, ad alterum ſiue Latinum oſtium. *Laurentum*, oppidum, cum ſilua lauro conſita: *Lauinium* Æneæ opus: *Ardea*, Rutilorum caput: *Numitius* amnis: *Antium*, hodie Nettuno, Volſcorum nauale, vnde nauium roſtra, in forum Romanum deducta, ſuggeſtui nomen dederunt: *Aſtura*, cum fluuio cognomine, *Setia* colonia, *Pomptinæ paludes*, quibus ſubiacet

Cir-

Circeium oppidum & promontorium. In mediterraneis *Bovillæ*, & *Aricia* ad Viam Appiam: & *Tres Tabernæ*, ac *Forum Appii* ad eandem viam: ad sinistram viæ proxima *Alba Longa*, metropolis ante Romam conditam; cum lacu & monte Albano: *Velitræ* colonia, ad radices montis: *Vlubræ*, præfectura: vlterius *Cora*, & ad dextram Appiæ *Corioli*, *Satricum*, *Lanuuium* municipium, nunc Ciuità della Vigna: *Suessa Pometia*, *Norba*, & amnis *Vfens*, qui *Amaseno* miscetur. Supra Romam, *Collatia*, *Tusculum*, nunc Frascati, cum amœnissimis villis Ciceronis, Luculli, & aliorum: *Gabii* in via Prænestina, *Præneste* natura munitum, nunc Palestrina: *Labicum* siue *Lauicum*: *Tibur*, hodie Tivoli, amœnitate, quam *Anio*, fluuius, nunc Tiuerone, cataractis facit, in primis commendatum. Incerti situs sunt antiquissimis temporibus deleta *Politorium*, *Ficana*, *Tellene*, & Volscorum *Artena*.

NOVI LATII fuerunt ad mare *Tarracina* siue *Anxur*: *Amyclæ*; *Caietæ* portus,

tus, *Formiæ* cum prædiis Formianis: *Minturnæ* ad Lirim amnem, qui Campaniæ terminus vulgo habetur. Medio a mari loco *Priuernum*, & inter Formias ac Tarracinam, in *Cæcubo* agro, *Fundi* Auruncorum oppidum, cum lacu *Fundano:* remotior a mari *Anagnia* Hernicorum caput, *Alatrium*, *Forentinum*, *Verulæ*, *Signia*, *Fregellæ*, *Frusino*, *Fabrateria*, coloniæ: & quæ vltra Lirim ad Latium Nouum pertinebant, *Arpinum*, Ciceronis & Marii natalibus præclarum municipium: *Atina*, *Casinum*, *Aquinum*, *Interamna*, *Lirinas* cognomine, & mari vicinior *Sinuessa* colonia, ante Sinope dicta.

Populi in Latio fuere *Latini*, *Hernici*, *Rutili*, *Volsci*, *Ausones* siue *Aurunci*; quanquam Ausones vltra hos terminos per omnem inferiorem Italiam, inde *Ausoniam* dictam, maritimas partes antiquitus tenuere. Volsci tamen inter Latii populos inprimis potentes, oppida quam plurima possederunt, vt Antium, Asturam, Circæum, Tarracinam,

am,Velitras,Coram, Norbam, Signi-
m, Setiam, Priuernum, Sueſſam Po-
ıetiam, Coriolos, Satricum, Forum
ıppii, Fruſinonem, Fregellas, Aqui-
ıum,Interamnam,Soram, & alia.

CAMPANIAE ab Latio Nouo ad
Picentinos inter Samnium & mare
porrectæ, in maritimis erant *Vultur-
num* oppidum & flumen, & in hoc
nagnificus pons Domitiani: *Liternum*
olonia,vbi Scipio Africanus mortuus
ſt: *Cumæ*, (vnde cognomen fuit *Cu-
manæ* Sibyllæ, & prædio Ciceronis
Cumano) portu ad ſinum Cumanum
nſtructæ : *Miſenum* promontiorium,
ppidum & portus. *Acheruſia palus*
nter Cumas & Miſenum: *Baiæ* cum
hermis, Romanorum deliciis; *Auer-
nus*, & *Lucrinus*, & *Baianus* lacus,item
ſinus Baianus, ad eumque amœniſſimæ
villæ, e quibus *Baulli*, Hortenſii villa
& piſcina, cum primis celebres: *Pu-
teoli* cum portu ac pharo; & ſinus Pu-
teolanus, qui ipſe Cumanus eſt: mons
Gaurus, inter quem & Puteolos Cice-
ronis *Academia* fuit, portu ac nemore

instructa villa, exemplo Atticæ Academiæ appellata. *Neapolis*, antea *Parthenope* dicta, cum portu capacissimo: *Palæpolis* in litore vicina: *Herculaneum*, & *Via Herculis*, & *salinæ Herculanenses*: *Pompeii*, colonia, & Ciceronis *Pompeianum* prædium. Imminet huic litori *Vesuuius* igniuomus mons, & olim Plinio maiori fatalis, & nostra memoria non semel circumiacenti agro terribilis: a quo breuiter recedunt *Stabiæ*, oppidum: *Surrentum*, ac *Mineruæ* promontorium, terminus Campaniæ & Picentinorum regionis.

In mediterraneis Campaniæ proximus Liri *Falernus Ager*, cuius editiores partes *mons Falernus* siue *Massicus* dicuntur, generosi vini fertilitate celebratissimæ. Loca non procul absunt, Hannibalis bello toties memorata, *Callicula* mons, *Stellatis* ager, amnibus *Vulturno* & *Sauone* inclusus: item *Calenus ager* circa *Cales* oppidum; *Capua* metropolis, *Casilinum* colonia: *Calatia*, inter Capuam & Beneuentum. *Pons Campanus* Horatii

videtur

idetur in Sauone amne fuiſſe; *Tifata* ions, ad cuius radices *Caſerta* oppi-um fuit: vltra has *Teanum* ſiue *Sidi-inum* colonia: *Sueſſa Aurunca*, quæ t ſimpliciter *Sueſſa* dicitur, altera in atio ſemper Pometiæ cognomentum ræferente: *Venafrum*, colonia: *A-era* municipium; *Sueſſula* colonia, & *Abella*: municipium *Atella*, inter Ca-uam & Neapolin: *Nola*, colonia, ad quam Auguſtus Cæſar mortuus: *Nu-eria*, colonia, ab Auguſto deducta, Conſtantina cognomine ad diſcrimen Camellariæ: *Veſeris*, dubium, amnis, n caſtellum ſiue oppidum. Illud Au-ctor de Viris illuſtribus bis dixit, quem upra ſecuti ſumus; hoc cenſet Phil. Cluuerius.

Campanis continuantur PICEN-TINI, vsque ad *Sclarum* amnem, pars uulſa Picentium, qui ad ſuperum nare habitabant. Oppida eorum *Sa-ernum* & *Picentia* fuere.

SAMNIVM Campaniæ a tergo op-oſitum: *Samnites* dicebantur popu-i, quibus Liuius interdum fines laxio-

res

res dat vrbibus adnumeratis, quas ipſi Campanis aut Volſcis per vim erepta poſſidebant. Proprium autem Samnium inter Volſcos, Pelignos, Campanos, Apulos, Lucanos continebatur. Oppida potiora Samnium fuerunt *Aufidena* iuxta *Sagrum* amnem: *Tifernum* oppidum & flumen: & ſupra hoc, ad *Trinium* amnem, *Treuentinum* in confinio Frentanorum. Ad Apennini vero radices prope fontes Triferni, *Bouianum* colonia: Infra Aufidenam *Æſernia* colonia, nunc Iſernia: & magis meridiales *Alliſæ*, ac *Teleſia* prope confluentes Vulturni & *Sabati* fluuiorum: *Beneuentum*, auſpicatiore nomine ex Maleuento facto, itidem colonia: & in Campano limite iuxta Appiam viam *Caudium*, cum *Furculis Caudinis*, quibus Romanus exercitus interceptus & ſub iugum miſſus fuit: *Satricula*, confinis Campaniæ colonia. Sunt alia incertæ poſitionis oppida, *Meles*, *Fulfulæ*, *Orbitanium*, *Compulteria*, *Maronea*, ab Liuio laudata lib. XXIV. cap. XX, &. XXVII. ineunte, vt prætermit-

rmittamus, quæ ex Latio aut Campania ſuæ ditionis Samnites fecerant.

Poſt Samnium mari Supero prætendebantur FRENTANI, a *Frentone* flumine dicti, & ipſi per fluuios *Sagrum*, *rinium*, *Trifernum* diuiſi. Oppida oluerunt *Anxanum*, haud procul eua Sagri ripa, hodie Lanzano: *Histonium*, coloniam, prope oſtia amnis rinii: *Larinum* municipium, a dextra Triferni ripa:

Ab ortu Samnitibus adiacebant HIRPINI, & ipſi quondam pars Samnii, quorum oppida fuerunt *Abellinum* ad Sabatum flumen; *Calliſæ*, *Rufrium* ſiue *Rufræ*, aut *Rufæ*: Lacus *Amſanitus*, mephitim exhalans: *Tauraſium* colonia ad *Caloris* fluuii dextram: *Aquilonia* oppidulum: *Æcæ* municipium, (vnde Æcani ſunt) nunc Troia: *Compſa*, ad Aufidum amnem.

APVLIA a Frentone flumine ad Iſthmum Calabriæ ſiue Brundiſium iuxta mare Adriaticum continuatur. Inter Frentonem & Cerbalum fluuios *Garganus* mons in peninſula, poetis celebratus:

bratus: *Teanum Apulum*, ad discrimen Sidicini in Campania: *Gerion* siue *Gerunium*: *Arpi* & *Luceria*; *Sipontum* (Græcis Sipûs) ad ostia *Cerbali*: supra quæ oppidum *Vria*. Inter *Cerbalum* autem & AUFIDUM *Salapia* cum *palude Salapina*: & in meridiem *reductum Asculum*, Apulum cognomento, ad quod Romani cum Pyrrho depugnarunt; ac *Herdonia* recto itinere inter Æcas & Canusium. Quidquid huius Apuliæ est inter amnes Frentonem atque Aufidum, DAUNIA olim siue Dauni regnum appellatum fuit.

Post AUFIDUM *Canusium* erat, & mari propiores *Cannæ*, Romanæ cladis triste monumentum secundo Punico bello: maritimæ ciuitates *Barium* & *Egnatia*: mediterraneæ *Venusia* colonia, patria Horatii in Lucaniæ limitibus: item *Acherontia* oppidum, & *Forentum*, & *Bontia*, & mons *Vultur*. Et hæc Apuliæ pars PEVCETIA, ad Dauniæ discrimen, & populi *Peucetii* appellati sunt.

Vltimus, ortum versus, Italiæ recessus

ssus siue peninsula Græcis IAPYGIA
citur, populi *Iapyges*, quanquam ho-
m nomine longior tractus, atque sic
sa quoque Apulia antiquis tempori-
is signata fuit. Romani huius penin-
læ, a Lucania separatæ, partem su-
riorem, quæ inter Apenninum &
driaticum mare est, CALABRIAM
xere: alteram, inter montem hunc
num Tarentinum, SALENTINO-
VM agrum, Græci autem MESSA-
AM appellauere. Verum tota penin-
la non raro Messapia & Calabria
ommuniter nominatur. Latitudo
hmi inter Tarentum & Brundisium.
ima itaque Calabriæ vrbs *Brundi-*
m fuit, colonia, portu in Græciam
ntibus aptissimo instructa: ab hoc
letium siue *Valetium*: vlterior *Hy-*
ûs, siue *Hydruntum*, hodie Otranto,
dem portu celebrata: *Lupia* inter
ydruntem & Brundisium.
Altero latere ad sinum vrbs potens
rentum erat, quæ nomen hodieque
tinet, bello Romano, quo Pyrrhum
partes vocauit, nobilissima. Post

hanc in Salentinis *Vria* fuit, & *Rudia* Ennii poetæ patria: vlterius, *Manduria*, & *Neretum*: *Soletum* siue *Salentia*: *Callipolis*, Melæ vrbs Graia, a Plinio Gallipolis, Senonum opus, & tandem *promontorium Salentinum* siue *Iapygium*, terminus Italiæ, inter quod & Hydruntem *Basta* oppidum fuit.

Ad inferum mare & LVCANIAM regredimur, quam *Silarus* amnis a Picentinis; *Laüs* a Brutiis distinguit. Silaro miscetur *Tanager*, postquam ex specu, quo IV millia passuum latenter fluxerat, emersit. *Atinum* oppidum ad dextram ripam Tenagri est. *Alburnus* mons: *Pæstum* oppidum (Græcis *Posidonia*, *Neptunia* Velleio;) vnde Pæstanus Sinus, Pæstanæ rosæ: *Velia* siue *Helia* & *Elia*, vltra fluuium *Haletem*, (*Hales* primo casu) qui in sinum ibi *Eleatem* decurrit. *Portus Velinus*, & ad finem sinus, *Palinurus* portus sub *Palinuro* promontorio: post quod & fluuium *Melphen*, oppidum *Buxentum*, Pyxûs, Græce, nunc Policastro: inde *Laüs* fluuius, cum sinu

ıu & oppido eiusdem nominis. Cis
aum etiam *Blandæ* , oppidum , fue-
ınt, Liuio memoratæ.

Sed hæc Lucaniæ pars, quæ ad ma-
e Tuſcum fuit: ad ſinum Tarentinum
uoque nobiliſſimæ vrbes : *Sybaris*
rutiis contermina, qua deleta eodem
ere in loco *Thúrium* conditum eſt, ſiue
hurii, Græca colonia. *Lagaria*, pro-
ior mari: *Siris* amnis, & ad eum oppi-
lum eodem nomine, quod, *Heracleâ* ab
arentinis ibidem condita , nauale
Ieracleenſium factum eſt. Hæc illa
Ieraclea eſt, in qua poeta Archias ſe
iuem ſcribi voluit. *Aciris* fluuius
roximus, & obſcuriores: tandem in
odem litore, *Metapontum*, Pythago-
æ obitu & templo vrbs clariſſima. In
nediterranis Lucaniæ *Grumentum*,
ıunc Agromento, ad dextram Aciris
luuii: *Anca, Acalandra , Potentia*,
ınde Potentini apud Plinium: *Mar-
ſicum*, *Sontia*: *Genuſa* iuxta *Bradanum*
lumen: *Vlci*, ſiue *Vulci*, aut *Vulceium*,
ınde Volcentani & Vulceiani.

Quidquid reliquum Italiæ eſt, à Lu-
cania

cania ad Siciliæ fretum, BRVTTI
possederunt, qui tractus peninsular
constituit sublongam & in duas pe
Apenninum partes diuisam. Cis mon
tes ad Tyrrhenum mare a Lao fluuio
Lucaniæ termino, fuere *Clampetia* op
pidum, *Thempsa* colonia, *Terina*, qu
sinui *Terinæo* nomen dedit: *Lameti*
siue *Lametus*, vnde idem sinus etian
Lametinus dictus, hodie Golfo di S
Eufemia: *Vibo*, quæ & *Valentia* & *Hip*
ponium dicitur, & *Vibona Valentia*, cõ
lonia, vnde & sinus *Vibonienfis* cogno
minatur: *Metaurum* oppidum, &
amnis *Metaurus*: *Taurianum* oppi
dum, & *Scyllæum* cum promontorio &
cauato saxo (ad quod *Scyllæ* notissima
fabula pertinet) e regione Pelori pro
montorii Siciliæ: ad medium fretum
Rhegium oppidum, & tandem *Leuco*
petra promontorium, Italiæ in ha
parte terminus, quod & *Bruttium* pro
montorium appellatur.

Inde ex altero maris Ionii latere
proxima promontoria sunt *Herculi*
& *Zephyrium*; vrbs *Locri*, ad sinum
Locren

ocrenſem: *Caulon* ſiue *Caulonia:* ab
ac longius remotum in ſeptentrio-
em *Scylacium* oppidum, & promon-
oria, *Iapygum*, & *Lacinium* cum tem-
lo Iunonis Laciniæ: *Croton* vel *Cro-
ona*; quam *Æſarus* amnis perluit:
ufcianum caſtellum, nunc Roſſano,
ybaritarum olim nauale.

Mediterranea Bruttiorum *Pandoſia*,
Lucaniæ vicina: *Capraſia*, *Conſentia*,
Numiſtro; ad quam Marcellus Hanni-
alem vicit, ex Ptolemæi poſitione:
Petellia ſiue *Petilia*; & *Acheron* amnis
el *Acheros*, quo Alexander Epirota
eriit: & oppida obſcuriora, *Vffugum*,
Verga, *Beſidiæ*, *Hetriculum*, *Sypheum*,
Argentanum, de quibus Liuius lib. xxx
cap. xix.

Tractus hic Italiæ inferior MA-
GNA olim, vel MAIOR GRAECIA
propter Græcanicas colonias appella-
batur, ſed non æqualiter ab omnibus
determinatus fuit. Sunt qui omnem
oram maris inferi, atque ita Lucaniam
quoque & Campaniam, non ſolos
Bruttios & Sinui Tarentino appoſitas
vrbes

vrbes in Maiore Græcia collocan
Nec negari poteſt, Campaniæ & Lu
caniæ multas fuiſſe Græcorum colo
nias. Præcipue ſub Magna Græci
vrbes Graiæ a Tarento ad Siculum fre
tum; & Siciliæ latus illud, quod Græ
ciam ſpectabat, comprehendebatur.

VIAE STRATAE PER ITALIAM.

Antiquæ Italiæ non mediocre or
namentum erant Viæ lapidibus ſtra
tæ, e quibus nobiliores, & quidem d
conditoribus ſuis cognominatæ, fue
runt.

I. **VIA APPIA**, opus Appii Clau
dii Cæci, ex Capena porta ſub Albano
lacu Ariciam & Velitras, ac per Pom
ptinas paludes aggeribus munita Tar
racinam, Sinueſſam ac Capuam fere
bat: inde per Samnium & Apulian
vſque Brundiſium producta.

II. FLAMINIA per Etruriam a
Otriculum, & inde per Vmbros Ari
minum vſque ſtrata. Via quoque
Bononia Arretium ducta itidem Fla
minio auctore.

III. AEMI

III. AEMILIA Flaminiam exci-
iens, Arimino Bononiam, & inde A-
uileiam ferebat. Erat & alia *Æmilia*,
er Pisas, Lunam, Sabatos, Dertonam
sque deducens, opus Æmilii Scauri,
ui & viam ab Placentia, vt Flaminiæ
ommitteret, Ariminum perduxit.

IV. AVRELIA via per Tusciæ ma-
timam oram, oppidaque Pyrgos &
entumcellas, ad Forum Aurelii, &
terius ad Pisas vsque munita.

V. VALERIA a Tibure incepit per
abinos & Marsos Corfinium vsque
tensa, Vrbes habuit Valeriam, Car-
olos, Albam.

Aliæ viæ ex locis aut gentibus, quo
rebant, denominatæ. LATINA
a, quæ ab Roma inter Tusculum &
lbanum montem ducta, oppida pro-
nqua aut contigua habebat Algi-
um, Ferentinum, Frusinonem, Fabra-
riam, Aquinum, Interamnam, Tea-
um, & tandem ad Casinum in Appi-
n incidebat. Sic via TIBVRTINA,
VMENTANA, PRAENESTINA, LAVICANA,
VSCVLANA, PORTVENSIS, OSTIENSIS, AR-

DEATINA, quælibet ab oppido, ad quod ducebat, nomen accepit ſuum. At SALARIA per pontem Anienis prope confluentem, inter Tiberim & Numentanam viam in Sabinos ducebat, Fidenarum ac Cruſtumerii ruinas contingens. Ita autem dicta fuit, auctore Feſto, quod Sabini ſal per eam a mari deferebant. Via TRIVMPHALIS a porta triumphali ad Veios, antiquam Tuſciæ vrbem, nunc Iſolam, pertinuit.

INSVLAE minores ad Italiam attinentes (de maioribus ſingulari capite agemus) fere omnes in Tyrrheno mari ſunt, pauciſſimæ in Adriatico. Tuſciæ ſubiacent *Ilua* ſiue *Æthalia*, vbi nunc Portolongone eſt; *Planaria* ſiue *Planaſia*, in quam Auguſtus Agrippam poſthumum, nepotem ſuum, deportauit. Sub Latii litore ad Campaniam vergentis, *Pontia* inſula, colonis Romanis aucta, exilium Flauiæ Domitillæ, Chriſtianæ illuſtri ortu fœminæ. *Pontias* Liuius dixit pluraliter: *Pandataria* inculta in ſinu Puteolano, in quam Auguſtus Iuliam ſuam, & Tiberius

ius Agrippinam nurum relegauit. *Ænaria* & *Pithecusæ*: & sub extrema Campania *Capreæ*, Tiberii secessus. Contra Pæstanum sinum *Leucasia* siue *Leucosia* est, a Sirene ibi sepulta appellata: contra Veliam, *Pontia* alia, sed minor; & *Istia*, vtræque vno nomine *Oenotrides*, argumentum possessæ ab Oenotriis Italiæ: & contra Vibonem parvæ, quæ vocantur *Ithacesiæ*, Vlyssis specula. Vid. Plin. lib. III cap. VII. In Supero mari *Diomedis insulæ* ex adverso Apuliæ: in *Tarentino* sinu *Electris* siue *Febra*: inter Calabriam & Epirum *Sason*. De *Insula Sara*, quam ostiis suis facit Tiberis, & de aliis fluvialibus, iam nihil attinet dicere.

CAPVT X.
DE SICILIA, SARDINIA ET CORSICA.

SICILIA omnium interni maris insularum maxima, a Sicanis incolis *Sicania*, a tribus ἄκρεις, hoc est promontoriis, *Trinacria* olim appellata

 fuit.

fuit. Promontoria illa ſunt *Pelorum* ad fretum, quod Italiam ab inſula ſecernit: *Pachynum*, quod Peloponneſum proſpicit: *Lilybæum* e regione Carthaginis.

Inter Pelorum & Pachynum hæc ſunt: *Meſſana*, hodie Meſſina, colonia Meſſeniorum Peloponneſi, vicina freto & *Charybdi* famoſæ in freto voragini, cui in Italiæ litore Scylla, rupes cavata, opponitur. *Zancle* fuit huius vrbis nomen, antequam nouum colonia inderet. *Mamertini* vero, Italici generis mercenarii milites, colonos oppreſſerunt, vnde fretum etiam, & ager ſuburbanus cognomen Mamertini acceperunt. Succedit *Chalcidicus* mons, & ex longiore intervallo *Drepanum* promontorium: proxime *Tauromiņium*, oppidum portu inſtructum, antea *Naxos* dictum: ſed *Aſines* fluuius, e regione *Ætnæ*, igniuomi montis, non tam fabulis, quam veris hiſtoriis funeſtisque cladibus, quas circumcolentibus attulit, longe notiſſimi. In latere montis oppidum *Ætna*, antea

Ineſſa

Ineſſa vocatum. Ad mare quoque Cyclopum ſcopuli & Vlyſſis portus, poſt quem *Cátana*, vetus colonia, quam *Amenanus* interfluit: *Murgantia* vel *Morgentium* haud procul oſtio *Simæthi*. Ad interiora inſulæ recedunt *Hybla* maior, & *Centuripa* ad radices Ætnæ: Poſt fluuios autem *Simæthum* & *Erycen*, ac *Teriam*, vrbs *Leontini*, a qua late patent *Leontini campi*, qui & *Læſtrigoii* dicuntur, nomine de priſcis cultoribus *Læſtrigonibus* deducto: *Trotilum*, oppidum, ad maris ſinum: *Mylas* amnis; & oppidum *Megára*, antea *Hybla*: proximus *Sinus Megarenſis*, vel *Megarus*, in quem *Alabus* fluuius exoneratur. Fontibus huius amnis *Hyblæi colles* imminent, thymo & mellis prouentu lætiſſimi. *Tapſus* peninſula & oppidum: inde *Syracuſæ*, vrbs magna & regia, multis caſtellis, portubus, operibus munita. Adiacens inſula, & ipſa pars vrbis, *Ortygia*, arcem ciuitatis habet & *Arethuſæ* fontem. Medio loco inter Syracuſas & Pachynum *Elórum* ſiue *Helorum* oppidum & flu-

 men,

men, & *Tempe Heloria* : & *Neetum* vel *Netum*, & *Motyca* siue *Mutyca*. Atque hæc omnia in primo latere, quod Græciam respiciebat.

Inter Pachynum & Lilybæum portus *Edissæ*, Ciceroni memoratus: *Camarina* vrbs: *Hipparis* & *Oanus*, amnes: supra quos *Acræ*, reductæ a mari : ex intervallo *Gela* fluuius & vrbs, vnde *Geloi campi* appellantur. Videtur idem fluuius esse Ptolemæi *Himera*, maximus insulæ, quo hæc in duas quasi partes diuiditur. *Agrigentum* emporium ad mare inter *Agragam* & *Camicum* fluuios: at vrbs *Agrigentum* a mari remotior. *Heraclea Minoa* cognomine: *Halycus* amnis, *Pintia* vel *Phintia* oppidum: *Thermæ* colonia, quæ & *Aquæ Selinuntiæ* & *Aquæ Labodæ* dicta: amnis *Hypsa*, qui *Crimissum* recipit, iuxta quem Timoleon Carthaginenses vicit : *Selinus* vrbs quondam potens atque celebris *Mazara* flumen & emporium : *Lilybæum* oppidum & promontorium.

A Lilybæo, in tertio latere, prox-

mu

num fuit *Drepanum*, oppidum cum portu, & introrſus mons *Eryx*, poſt Ætnam altiſſimus inſulæ, qui in vertice arcem cum *Veneris Erycinæ* templo; in accliuitate oppidum eiusdem nominis habuit. Promontorium *Ægitharſus* ſiue *Ægyhallus*: oppidum *Motya* (quæ & *Mutye* & *Mute*) cum portu: *Segeſtanorum portus*, & ad interiora recedens vrbs *Segeſta*, antea *Ægeſta*: flumen *Thermeſſus*, qui aliis *Herbeſus*: oppida *Parthenicum* & *Hycara*: vltra hæc *Panormus* cum portu, hodie vrbs ſplendidiſſima Palermo: portui imminens *Ercta* caſtellum montanum: *Solûs* ſiue *Soluntum* oppidum: *Himera* flumen & vrbs: *Thermæ Himerenſes*: oppida *Cephalœdis*, *Alæſa* vel *Haleſa* ad fluuium Alæſum: *Calacta*, & *Aluntium*: *Agathyrna* vel *Agathyrnum*: & vrbs *Tyndaris* ſiue *Tyndarium*, Romanis colonis aucta: in cherſoneſo *Mylæ*, nunc Milazzo, & vltra peninſulam *Naulochus* ſiue *Naulocha*, inter quæ oppida Octauianus Cæſar Sextum Pompeium claſſe vicit,

iuxta *Artemisium* nempe, siue *Dianæ fanum*, quod medio situ erat. Inter Mylas & Pelorum locus est, fœdo purgamento maris abundans, vnde Solis ibi boues stabulari in fabulis fuit.

Hactenus Sicilia in maritimis perlustrata: ad mediterranea progredimur: *Tissa* Ætnæ a septentrione vicina: ab occasu hiberno monti adiacet, de qua supra diximus, *Centuripe*, & vlterius eodem tractu *Agyrina*, siue, vt Ptolemæus & Itineraria scribunt, *Agurium*: & longius in meridiem ac occasum recessit *Enna* siue *Henna*, excelso loco sita, vmbilicus Siciliæ. Infra vrbem *Pergusa* lacus est, & spelunca, ex qua Pluto Proserpinam rapturus prodiisse fingitur. Inter Ennam & Agyrinam *Assórus* oppidum siue *Assorium*, amnis *Chrysas*, mons *Heræus*, qui & in septentrionem adsurgit, vbi *Capitium* siue *Capitina ciuitas*; & *Herbita*, & *Imachara*: sed *Adranum* sub radicibus Ætnæ inter Centuripen & *Hyblam* maiorem, quæ in agro Catanensi erat: nec procul *Magella* videtur abfuisse,

fuiſſe, & *Ergetium* ſiue *Hergentum*. Inter Ennam & Syracuſas *Menæ* ſiue *Menena vrbs*; & *Palica*, cum lacu & fano: *Erbeſſus* ſiue *Herbéſus* oppidum ſupra Agrigentum inter Acragantem Halycumque amnes: *Motyum* caſtellum in Agrigentinorum agro: vlteriora *Entella*, & *Ietæ* ſiue *Iétas* virili genere: *Triocala* hinc in auſtrum; *Macella* & *Engyum*: *Amaſtretum* ſiue *Amaſtra*, (etiam *Mutiſtratum* videtur dictum, vnde *Mutiſtratini* ſunt) *Noma*, *Apollonia*, & incertæ poſitionis *Callipolis*, *Abolla*.

Inſulæ minores Siciliæ adiacentes ſunt.

I. AEOLIAE, quæ & *Vulcaniæ* dicuntur, inter Siciliam & Lucaniam ſitæ, contra Mylas, Tyndaridem, & Metaurum Bruttiorum amnem. Plinio ſunt ſeptem: *Hiera*, quæ & *Vulcani inſula* dicitur; *Lipara* cum ciuium Romanorum oppido: *Strongyle*, Æoli regis ſedes: *Didyme*, *Ericuſa*, *Phœnicuſa*, *Euonymos*. Hæ, præſertim Hiera, quod fumum interdum ac ignes eru-

ctare visæ sunt, poetæ finxerunt, in i
Vulcani sedes ac officinam esse.

II. AEGATES, tres, ad latus Sicil
occidentale, siue contra Lilybæu
promontorium, ad quas nauali pug
finis fuit Punico I. bello impositu
Αἰγούσας Græci vocant: aliis *Ægu*
est *Ægátum* primaria.

Medio inter Siciliam & Africa
loco, siue ad austrum Siciliæ, sita
MELITE, hodie Malta, vel solo Pa
naufragio memorabilis. Oppidu
habuit in medio insulæ: præterea *f*
num Iunonis in promontorio, & *por*
tum cum *fano Herculis* in austrino la
tere. Huic ex breui interuallo ad oc
casum obiecta insula GAVLOS, hodi
Gozo dicta: incolæ *Gaulitani*, Ca
limacho Gaulos *Ogygia* est, Calypsi
insula, quod ex Homeri description
Melitæ potius, quam Gaulo, debe
tribui, Cluuerius censet, cui minim
placet vulgaris sententia, quæ Caly
psûs insulam *Ogygiam* in scopulis n
scio quibus, Lacinio Italiæ promon
torio obtentis, quæritat. COSYR
quo

quoque siue COSVRA in hac maris me-dietate est, parua Silio; sterilior, quam Melite, Nasoni.

CORSICA, Græce Κύρνος, *Cyrnus*, Ligustici maris insula, in orientis latere duo oppida non contemnenda habuit, *Nicæam* & *Aleriam*. Nicæa ex C. Marii colonia *Marianæ* nomen accepit, quod nunc etiam in ruinis manet: *Aleria*, quamuis & ipsa colonia facta Syllæ dictatoris auspiciis, nomen non mutauit. Cetera, tam portus, quam promontoria ac oppida, quæ Ptolemæus recenset, quod in antiquis historiis nulla mentio est, intacta præterimus. Ipsa insula inculta fuit & horrida, vt Seneca, in eadem exul, ad Heluiam matrem perscripsit.

SARDINIA, Græce Σαρδώ, in meridiem Corsicæ subiecta, a qua LX stadiorum freto, quod *Fossam* vocant, dirimitur. In maioribus interni maris insulis numeratur, magnitudine parum cedens Siciliæ, sed formæ est oblongæ. In latere, quod solem orientem respicit, non ignobilia oppida fuerunt, *Ol-*

bia, cum *portu Olbiano*; *Caralis*, siue multitudinis numero, *Carales*, ad sinum *Caralitanum*: inter vtramque vrbem, sed intus & remotius a mari, *Valentia*, *Nora*, *Ferraria*. In parte australi *Sulci*, colonia Carthaginensium; cuius incolæ *Sulcitani* dicti, promontorium *Sulcense*. Ab occasu *Vsellis* colonia, & *Neapolis*, quæ nomen hodieque seruat; *Bosa*, *Coracódes portus*: & colonia, quæ vocatur *Ad Turrim Libysónis*, hodie Porto di Torre, Flumina nobiliora, *Thyrsus* inter Vsellim & Neapolim: *Termus* Bosam præterfluens. Prouerbia ex hac insula petita, *Risus Sardóus*, *Sardi venales*, in vulgus nota sunt. Minores quoque insulæ, sed obscuræ pleræque, Sardiniam circumiacent: a septentrione *Fossæ*, vnde freto nomen impositum fuit: ab ortu *Ficaria*, *Cunicularia*: ad austrum *Enosis*, & *Hieracum* siue Accipitrum insula: ab occasu *Bertula*, & insulæ *Herculis*.

CAP.

CAPVT XI.
DE MACEDONIA ET THESSALIA.

EX Italia, cuius iam insulas lustravimus, in Macedoniam & Epirum traiicimus, quæ antiquis temporibus distinctæ a Græcia erant, vt separata regna; post crescente Macedonum potentia, etiam sub Romanorum imperio, cum Græcia coaluerunt.

MACEDONIAE longitudo ab Adriatico ad Ægæum mare fuit: latitudo non omnium temporum nec locorum eadem. A Lisso ad Oricum patuit in latere occidentali siue in Adriæ maritimis, a populis habitata, Illyricæ potius, quam Græcæ originis. Ad Ægæum mare antiquis temporibus inter Strymonis & Penei ostia continebatur: post Thraciæ pars, quæ inter Strymonem & Nessum fluvios est, ab regibus Macedoniæ adiecta. In mediterraneis a septentrione iuga perpetua habet, quæ cum Hæmo cohærent: ad

austrum cum Thessalia commune termini erant, & ex parte cum Epiro Ptolemæus Thessaliam Macedoniæ admiscet, nos eam distincte considera mus.

In maritimis, & quidem ad Illyricum mare fuit TAVLANTIA, popul *Taulantii*, & vrbs *Dyrrachium*, nunc Durazzo, *Epidamni* veteri nomine in hoc auspicatius commutato, colonia Romana portu commodissimo celebrata: *Apsus* fluuius: *Apollonia* litterarum studiis florida, colonia Corinthiorum: *Aulon*, hodie Valona. *Aous* Apolloniam præterfluens: & *Celydnus* amnis, hunc inter & Aulonem: ELYMIOTIS, vbi *Bullis* maritima: in mediterraneis *Elyma*, siue *Elymea*, in Epiri finibus. ORESTIS, vbi *Celetrum*, in lacus peninsula, & duplex Ptolemæi *Amantia*, maritima & mediterranea. A tergo his opposita, & reducta a mari DASSARETIA, Δασσαρῆτις, popul *Dassaretæ* vel *Dassaretii*, lacum circumcolentes, cui adiacens oppidum *Lychnidum*, hodie l' Ocrida, (medic

æuc

æuo Achris, Justiniani patria) nomen dedit. Eodem tractu erant *Creonium*, *Gerûs*, *Enchelanæ*, *Satio*, *Bœi*, *Pelium*: nec longe remota *Antipatria*, in faucibus angustis sita, & *Codrio*; in *Penestarum* finibus *Vscana*. Sed citeriores CALICOENI, in quibus *Bantia* fuit inter Aoum & Celydnum amnes.

In septentrionem mediterranea excurrunt PAEONIA; in qua *Déborus* & *Alórus*; & PELAGONIA, in qua *Stobi* erant, ciuium Romanorum post Macedonica bella municipium; & *Pissæum*: at *Erigonius* amnis Pæoniam percurrens tandem in Axium editur. Infra amnem LYNCESTIS erat, in eaque *Lyncus*, & *Heraclea* Lyncestidis cognomine. At oppidum *Pelagonia* caput & conuentus iuridicus eius partis fuit, quæ post montem *Boram* inter Illyrium & Epirum media est.

In ortum & ad sinum Thermaicum recessit EMATHIA, quod nomen aliquando totius Macedoniæ est; tractus inter *Axium* & *Aliacmonem* fluuios, & quasi Macedonia proprie dicta, in

qua

qua præcipuæ Macedonum vrbes fuere, *Pella* regia, Alexandri Magni incunabulis clara: *Ædeſſa*, antiqua regia, ſepulcris regum nobilis, poſtea *Ægæ* & *Ægea* dicta: *Beræa* ſiue *Berrhœa*. *Ænia*, *Scydra*, *Idomene*, *Gordenia*, *Therme*.

PIERIA ad Thermaicum ſinum, Theſſaliæ vicina, in qua *Pydna* fuit, vrbs clara & munita, vbi Olympias regina periit, ab Caſſandro expugnata: *Aliacmonis oſtia*; etiam oppida *Phylace* ac *Vallæ*: & colonia *Dium*, in Theſſaliæ finibus, vt & *Phila* & *Heracleum*, munita oppida. Supra Emathiam MYGDONIA, a mari remota, cuius oppida *Antigonia*, *Phyſcæ*, *Terpillus*, *Aſſorus*, (Ἄσσορος) *Apollonia*, *Lete*.

Hinc vrbes maritimæ inter ſinus Macedonicos in ortum iacent, & quidem ad ſupremum ſinum Thermaicum *Thaſſalonica*, vel ſolius Pauli epiſtolis clariſſima; intra hunc ſinum & Toronicum *Pallene*, vrbs & peninſula: in iſthmo *Potidæa*, poſt *Caſſandréa* appellata; *Methone* ante ſinum, & *To-*

: *Torone*, quæ nomen dedit ſinui, ſicut
ingus Singitico, a quo vna cum *Olyn-
ho*, quam Philippus euertit, & *Acantho*
lluitur: *Augæa* a mari ad Chabrium
mnem remotior : ad Strymonicum
inum *Stagíra*, Ariſtotelis patria: & in
eninſula, quam hic ſinus & Singiti-
us faciunt, *Stratonice*, & mons *Athos*,
Xerxe perfoſſus; *Athóſa* promon-
orium & ciuitas. Maritimum hunc
ractum qui ab Atho monte ad Sigum
ppidum eſt, Ptolemæus *Chalcidicam*
ocauit: nec longe diſtabat, niſi ea-
lem plane fuit, quæ *Sithonia* regio ab
rbe *Sithona* nominata fuit.

Iuxta Strymonem BISALTAE erant
& EDÓNES. A latere his SINTICA oppo-
ita, vbi *Parœcopolis* fuit & *Heracléa
Sintica*. In Baſaltia, *Euporia*, *Callitera*,
Oſſa, *Berta*: & auctore Plinio, *Amphi-
polis* ad dextram ripam Strymonis: in
Edonide *Philippi* trans Strymonem,
nde bellum Philippenſe dictum, quo
Caſſius & Brutus iuxta hanc vrbem
um Octauiano & Antonio depugna-
unt: inter Strymonis & Neſſi oſtia ad

mare

mare *Oesyma* & *Neapolis*. Nessus au-
tem Thraciæ terminus, postquam Ma-
cedoniæ reges vltra Strymonem fine
protulerunt.

Multa incertæ positionis sunt a Li-
vio & Polybio commemorata, vt *Ci-
tium*, mons & oppidum, *Orgessum* ca-
stellum (nisi forsan Orgysum Polybi
in Pissantinis est) & alia.

Flumina pæne omnia ex dictis co-
gnoscuntur. In Adriaticum mare s
exonerant *Apsus*, *Aous*, & *Celydnus*
Drilon Illyricus amnis, in Macedoni
fontes habet, aut lacus, e quibus, ali
quamuis nomine, emanat. *Penéu*
inter Thessaliam & Macedoniam de
currens; & *Aliacmon*, etiam *Axius*
auctus *Erigone*; nec non *Echedórus* &
Chabrius in sinum *Thermaicum*, hodi
Golfo di Salonichi, effunduntur.
Strymo in sinum sui nominis.

THESSALIA Macedoniæ in meri-
diem subiacet. Ab ortu mari termina-
tur a Thermopylis vltra Penei ostium
a meridie iugis ab Oeta monte ad Pin-
dum protensis: ab occasu Ætólos, A-
carna

arnanes, & Amphilochos respicit.

Diuiditur in quatuor gentes a Strabone, *Estiæotas*, *Thessalos* proprios, *Pelasgos* & *Phthiótas*, quibus *Magnetes*, in angulo ad montem Pelion colentes, accessionem fieri haud inuitus idem Strabo patitur, vt sic sint quinque regiones, Εςιαιῶτις, Θεσσαλιῶτις, Πελασγιῶτις, Φθιῶτις, & Μαγνητικὴ παραλία. Singulis partibus suas vrbes tribuere difficile est: quantum tamen poterimus, diuisionem conabimur dispensare.

ESTIAEOTIDIS, quæ occidua pars Thessaliæ est, Ptolemæo, ab occasu in ortum progredienti, ciuitates sunt *Phæstus*, *Gomphi*, *Atinium*, *Tricca*, *Ctemenæ*, *Metropolis*. Strabo addit *Ithómen* Homeri, & *Pelinæum*, cui fanum, vt ex Scylace constat, subauditur. Sane Gomphi, etiam Cæsare auctore, sunt oppidum primum Thessaliæ venientibus ab Epiro. Inter Gomphos autem & fauces, Thessaliam ab Athamania diuidentes, oppidum *Pheca* medium fuit.

THES-

THESSALIAE PROPRIAE *Hypæta*, *Sc*
sthenis, *Cepæra*, *Phalachthia*. Etiam
populi *Ænianes* hîc ex parte collo
cantur: pars in Oeta monte.

PELASGIOTIS, Pieriæ Macedoni
contermina, eiusque vrbes ex Pto
lemæi dispositione fuerunt *Dolicha*
Azorium, *Atrax*, *Scotussa*, iuxta quam
colles erant Κυνὸς κεφαλαὶ dicti, vbi
victus fuit rex Philippus a Q. Flamini-
no: *Larissa*, *Cranon*, & *Gonni* in fauci-
bus seu aditu τῶν Τεμπῶν; *Tempe* au-
tem amœnissimus locus ad Penéum
amnem: supra illa mons *Olympus*:
Gyrton in *Perrhæbis*, qui ad Peneum
colebant. Sed *Pheræ* terminus Pelas-
gici campi ad Magnesiam.

PHTHIOTIS infra Pelasgiotidem ad
mare vsque pertinuit, eiusque vrbes
fuere præter *Phthiam*, vnde nomen
est, *Lamia* bello Lamiaco nota: *He-
racléa*, *Corronéa*, *Thebæ*, singulæ cum
cognomine Φθιώτιδος; *Larissa* Cre-
maste, *Erethria*, *Pagasæ* Pherarum
nauale; *Demetrias* nauale regum Ma-
cedonum exhaustis Pagasis: populi
Malien-

[M]alienſes & *ſinus Maliacus*, ad quem [Ph]alara erant; ſuper eum *Echinus*, & [L]amumacia, quam alii ad Theſſalioti[de]m referunt. Fuit & *Pharſálus*, in [cu]ius campis Pompeius victus, in his [fin]ibus ab occaſu.

MAGNESIAE fuit vrbs *Magneſia*, & [pr]omontorium huius nominis: *An*[thi]on, *Methone*, *Bœbe* & *Bœbeis* lacus: [Io]lcos & *Aphetæ* ad ſinum Pagaſæum, [vn]de Argonautæ ſoluerunt. Gigan[tu]m bello famoſi *Oſſa* & *Pelius* mon[te]s. *Sycurium* & *Melibœa* ad radices [O]ſſæ.

Hæc præcipua Theſſaliæ. Multa [v]ero ſuperſunt incerti ſitus, & fines [P]elaſgorum, Phthiotarum & Magne[t]um admodum confuſi, ac diuerſis au[c]torum ſententiis perturbati. Quid? [q]uod ipſe terminus Theſſaliæ borealis [n]on poteſt Penei oſtium eſſe (niſi de [m]aritimis hoc forſan intelligas) vt [v]ulgo ex Strabone affertur, ſed vel [O]lympus trans amnem, vel vicinus *Pie*[r]ius mons, Muſarum domo inclitus. [Q]uædam etiam dubia ac controuerſa

ſunt,

ſunt, vt *Hypata*, *Pelinna* ſiue *Pelinnæum*, quæ ab aliis in orientali parte conſtituuntur, ab aliis nimium quantum remouentur in occidentem.

Fluuiorum Theſſaliæ maximus eſt *Penéus*, Πηνειὸς, qui Tempe percurrens, in ſinum exoneratur Thermaicum. Huic minora miſcentur, *Enipeus* & *Apidanus*, ſed Enipeus ab Erythra Pharſalum præterlabens, in Apidanum ſe effundit. *Sperchius* in ſinum influit Maliacum.

CAPVT XII.
DE
EPIRO ET ACARNANIA.

PTolemæus Epirum tam late extendit, vt & Acarnanas & Amphilochos comprehendat. Alii hos ab Epirotis diſcernunt.

EPIRVS vetus (nam de Noua, auulſa Macedoniæ parte, in medii ævi Geographia agemus) ab Orico, quæ ſupra Ceraunios montes eſt, in angulo maris Ionii & Adriatici vſque ad Ambracium

um ſinum protendebatur. Diuiſa
it in *Chaoniam, Theſprotiam,* & *Mo-
ſidem.*

In CHAONIA *Oricus* vrbs cum por-
ı, Græcæ Illyridi, hoc eſt illi Mace-
oniæ parti, quæ ab Illyricis gentibus
otiſſimum habitabatur, proxima:
himæra caſtellum; *Palæſte*, ex ciuili
ello nota; *Onchesmus* portus, *Anti-
onéa, Omphalium, Elæûs*; etiam regio
ltintania, frigida & aſpera cultu, ad
anc partem videtur pertinuiſſe. Mon-
es *Ceraunii* ſiue *Acroceraunii*.

Hinc THESPROTIA ad Ambracium
num percurrit ſub Pindo monte,
uem a ſeptentrione habet. Prima
rbs *Caſſiope*, maritima: poſt hanc
uthrótus itidem littoralis, & colonia:
hyamis fluuii oſtia, vbi Pomponii
ıttici villa fuit: *Sybota* [τὰ Σύϐοτα]
ortus deſertus in continente, & alius
iusdem nominis in vicinis inſulis:
himerion promontorium & oppi-
um: *Acherontis* oſtia, iuxta quem
mnem *Ægeſtæ* populi ponuntur, &
ampus *Ægeſtæus*; *Acheruſius* lacus,
ex

ex quo amnis Acheron erumpit: *Pandosia* Cassiopæorum iuxta Acherontem: *Elatria*: *Comarus* portus: *Nicopolis* Romana colonia, victoriæ Actiacæ monumentum: *Ambracia* Pyrrhi regia, colonia Corinthiorum, ad sinum, qui inde *Ambraicus* appellatur, hodie Golfo di Larta. An autem Larta siue l' Arte sit ipsa Ambraica, vt vulgo creditum fuit, dubitant recentissimi peregrinatores.

Supra Thesprotos MOLOSSI sunt, quorum Dodóne (Δωδώνη) fuit cum celebratissimo oraculo: *Passaron*, cum obscuris *Phylace* & *Horreo*. Fluuius *Arachtus*. Hinc incipit *Pindus* mons, qui inter Musarum quoque habitacula refertur: sed longa potius iuga, quam mons unus, a variis Epiri & Thessaliæ gentibus habitata. Huc enim pertinent *Æthices*, *Perrhæbi*, *Athamánes*, *Dolopes*, *Dryopes* & alii: vnde regionum etiam nomina sunt, vt *Perrhæbia*, (non illa Thessalica ad Penéum flumen, & Olympum: diuisa enim locis & dispersa hæc gens fuit) &

Athama-

Athamania, cuius præcipua vrbs fuit *Argithea*, Diuidit Pindus inter Macedoniam, Theſſaliam, Epirum. Media pars montis Epirum verſus Τύμφη vel Στύμφη dicta, vnde nomen regioni *Stymphæa*, vel *Tymphæa*.

ACARNANIA incipit a ſinu Ambracio & deſinit in fluuio *Acheloo*, qui eam ab Ætolia ſeparat. In principio *Actium* erat, vrbs non magna, ſed Apollinis templo & tuto portu iam olim celebris: ſplendidior facta poſt Auguſti victoriam, & Romana colonia. Non longe ab Actio in ipſo ſinu *Anactorium* fuit, a Nicopoli poſtmodo exhauſtum oppidum. Medio litore *Leucas* erat; vrbs celebris cum Apollinis templo in peninſula *Leucadia*, ex qua, perfoſſo iſthmo, inſula facta, ponte tamen continenti iuncta. Hodie S. Mauræ nomine clara inſula eſt, eiusque oppidum, ſed remotum a Leucadis ruinis, S. Mauræ Fanum appellatur. In eadem Leucadia promontorium *Leucate*. Poſt portum verſus & prope Achelói oſtium, *Alyſia* ſiue

Alyzia. In mediterraneis *Astacus*, & *Stratus*, maxima olim Acarnaniæ vrbs, sed postea, vt videtur, Ætolici iuris: *Tyrrheum* siue *Thyreum*; & *Medion*, cuius nominis & aliæ sunt, in Bœotia atque Phocide. *Lymnæa* ad Ambracium sinum: etiam *Heraclea* quædam in his oris: item *Nasus* & ad Acheloum *Oeniadæ*.

AMPHILOCHIAM alii Acarnaniæ adiungunt, alii distinctam ab ea regionem constituunt. Caput gentis *Argos Amphilochium*, vrbs nobilissima, haud longe a sinu Ambracio remota, quæ modo Acarnanum ditionis, modo Ætolorum fuit, prout hi vel illi potentia præualuerunt. Reliquæ autem Acarnaniæ Amphilochia ab septentrionibus obiecta fuit.

CAPVT XIII.
DE GRAECIA PROPRIA.

QVidquid superest, postquam quæ regii iuris erant, hoc est Macedonum & Æacidarum, separauimus; Græcis

Græcis proprie dictis vindicamus, quorum & Thessalia olim fuerat, sed quod citius in potestatem venit Macedonum, & confusos cum Macedonia limites habet, vnà cum illa, Ptolemæum chorographum secuti, exposuimus. Partes Græciæ liberæ siue propriæ fuerunt Ætolia, Locris, Phocis, Bœotia, Attica, Megaris: & in *Peloponneso* Achaia Propria, Elis, Messenia, Laconia, Arcadia, Argolis siue Argia. Quidquid harum partium est, præsertim extra Peloponnesum, in nomen principis populi *Achiuorum* concessit, qui, si ex proprio limite æstimatur, Peloponnesiacus fuit. *Achaia* ergo, laxo vocabuli vsu, omnem Hellada, quæ à Thermopylis & Acheloo ad Tænarium promontorium, quod in extremo Peloponneso est, extenditur; quemadmodum Romani vniuersam Græciam in *Macedonicam* & *Achaicam* prouincias diuiserunt.

AETOLIA ab Achelóo flumine ad fretum sinus Corinthiaci patebat. Præter *Ætolos* (Αἰτωλοὺς) aliæ quoque

gentes incolebant, *Curétes, Agræi, Aperantii, Ophionenſes*, & expulſis Curetibus *Æoles* (Αἰολεῖς) in locis circa Pleuronem: aut Ætolorum communi hi nomine continebantur.

Auſtralis partis, & ad mare vergentis, vrbes fuerunt *Olenus* (Ὤλενος) diſtincta ab eiusdem nominis in Peloponneſo ciuitate: *Pleuron* noua, vicina Oleno: vetus autem & diruta incertæ poſitionis: mons *Aracynthus*: *Pæanium* a Philippo, & Demetrii filio, deletum, ſicut & *Ithoria*. Sed Conópa (Κωνώπη) breui ſpacio afuit ab Acheloo: poſt *Lyſimachia, Metapa, Thermum, Trichonium, Phœtum*; & iuxta *Euénum* (Εὔηνον) amnem *Calydon*, princeps vrbs totius Ætoliæ: *Chalcis* prope os Eueni: & alia *Chalcis* in mediterraneis: *Antirrhium* promontorium, cui vltra fretum aliud, quod *Rhium* dicebatur, in Peloponneſo opponitur: & ipſum hoc fretum, quod Patras & Naupactum interfluit, *Rhium* nominatum fuit. *Naupactus* vero in Ætolis quidem ſita, ſed ſæpe in poteſtate

ſtate Locrorum, qui Ozolæ dicuntur, aut Achæorum fuit: *Erythræ* portus, vel litus ad exſcenſionem commodum, Naupacto ab oriente propinquum.

Ad ſeptentrionales Ætoliæ partes pertinuerunt *Potidania*, & *Apollonia* Liuii, obſcura fortaſſe, nec ab alio memorata: item *Crocylium*, & *Callium*, mons *Corax*, ad Oetam vſque procurrens. Plinius etiam Ætoliæ populos facit, qui Pindi iugis inſedebant, Athamanes, Tymphæos, Perrhæbos, Dolopes, quos in Epiro expoſuimus. Bellicoſi enim Ætoli erant, & vicinos ſæpe in poteſtatem redegerunt, vt modo ampliores, modo breuiores videantur fines habuiſſe.

LOCRIS, ſiue LOCRORVM regio a mari Ætoliam excipit. Trifariam autem Locri diuiduntur. Qui poſt Ætolos Locri erant, *Ozolæ* (ὀζόλαι) dicebantur: qui ad Euripum Euboicum habitabant, eorum ſeptentrionales *Epicnemidii*; meridiales *Opuntii* ab Opunte oppido appellabantur.

OZOLARVM poſt Naupactum in Ætolia memoratam, erant *Euanthia* ſiue

Oeanthe; *Eupolium* ſiue *Eupalium*: *Amphiſſa*: *Chalæon* portus, *Alope* oppidum incelebre.

EPICNEMIDII Locri ab Ozolis *Parnaſſo* monte diuiſi, ab altero latere Oetæos & Malienſes attingebant. *Cnemis* vel *Cnemides*, (Κνημὶς, pluraliter Κνημῖδες) mons & oppidum, vnde nomen his Locris natum eſt, haud longe a mari aberant. Horum & *Scarphia* fuit prope Thermopylas, & *Nicæa*; ac *Thronium* ad ſinum Maliacum; fluuius *Boagrius*.

OPVNTII ab his in meridiem habitarunt. Nominis origo *Opûs* metropolis; *Cynus* (Κῦνος) nauale gentis & emporium: oppida *Beſſa* & *Larymna*. Et tantum de Locride. Antequam vero ad Phocidem progrediamur, DORIDIS veteris ſiue DORIENSIVM regionis eſt mentio facienda, quam inter mediterraneos Ætolos & Ozolas Locros Ptolemæus mediam; Strabo παρακειμένην πως τῷ Παρνασσῷ conſtituit. Plinio a tergo Doridis mons *Oeta* fuit. Tetrapolin Oetæis tribuunt,

ſed

sed non easdem vrbes enumerant. Ptolemæus *Eryneum*, *Cytinium*, *Bœum* siue *Bœa* (Βοιῶ) & *Lilæam*: Plinius pro Lilæa *Sperchiam* habet in extrema Thessalia, vt vulgo censetur, siue in infima sitam Phthiotide.

PHOCIS proxima post Locros Ozolas in litore sinus Corinthiaci. *Cirrha* prima in litore, Ozolis propinqua, nauale Delphorum: *Crissa*, vnde *Crissæo* sinui nomen, qui idem est ac Corinthiacus: *Anticirrha* siue *Anticyra* in eundem versa sinum, & *Medeon* Phocicus. In mediterraneis *Delphi*, oraculo nobilissima vrbs, quæ & *Pytho* nominata fuit. *Cyparissus*, & *Tithorea* in *Parnasso* monte, ad cuius radices fons *Castalius* Musis sacratus. *Daulis* in tumulo excelso sita: *Ambrysus* vicina Daulidi. *Hyampolis* in angustiis posita, quibus Phocis aditur ex Thessalia & Locris Epicnemidiis: *Elatéa* Phocensium maxima: *Neon*, *Tritea*, *Parapotamii* ad Cephissum, vti & *Abæ* cum Abæi Apollinis oraculo: *Panopéa*, & fluuius *Cephissus*.

BOEOTIA a Locris ad Atticæ fines & Crissæum sinum, contra *Euripum* Euboicum deducta. A tergo Opuntios habet & iuga, quæ ab Epiro ad mare orienti obiectum longo tractu procurrunt, variis nominibus, vt *Pindi* ad Epirum, *Othryis* in medio, *Oetæ* ad Maliacum sinum insignita. Inter hunc sinum & Oetæum saltum ceteris locis imperuiis vna via militaris patet, quam a calidis aquis *Thermopylas* appellant, Xerxis prima clade celebratissimas. His solis ex Thessalia in Bœotiam & reliquam Græciam transitur. Ad mare nobiliora oppida *Anthédon*, *Tanagra*, *Salganea*, in faucibus Euripi *Aulis*, Chalcidi Eubœæ opposita, cui aggere aliquando iuncta fuit. Proximum *Delium* fanum, ac *Mycalessus*, & tandem *Orópus* (Ὠρωπός) in finibus Atticæ regionis. In mediterraneis *Thebæ*, non cedentes Athenis claritate, cum *Cadméa* arce: etiam *Lebadia* splendida vrbs, Opuntiis vicina: & nobiles victoriis *Leuctra* Epaminondæ, *Platææ* Pausaniæ, *Coronéa* Agesilai,

silai, *Chæronéa* Philippi Amyntæ, & cunabilis Plutarchi. Inde *Acræphia, Thespiæ, Haliartus* inter Thespias & Platæeas: *Ocalée*, & *Orchomenus* occidentalior: Ad Crissæum sinum *Creusa*, Thespiensium emporium, & *Medeon* Bœoticus, & *Siphæ*. Mons in extrema parte versus Phocidem est *Helicon*, Musarum domicilium, ad quem *Ascra* vicus fuit, Hesiodi poetæ patria: sacri etiam fontes, sed non vno loco, *Aganippe, Arethusa, Dirce, Hippocrene*, poetarum carminibus nobilissimi: amnes *Asópus, Cephissus, Ismenus*.

ATTICA, quæ & *Attis* dicta, mari, agro Euboico & Megarensi inclusa fuit. Caput *Athenæ*, laude maior civitas, artium bonarum mater; cum portubus *Piraeo* & *Phalereo*. Vicina *Munichia*, quæ etiam portum habuit & templum Cereris: *Deceléa* (Δεκελεία) & *Phyle*, castella. Megaram versus *Eleusis*, Cereris fano, & initiationis sacris, quæ inde Eleusinia dicuntur, admodum conspicua: orientem versus extremo maris angulo *Sunium* promon-

montorium, & ſupra illud *Panormus* portus, poſt quem *Aſopi* oſtium. In mediterranea parte ad vtramque ripam Aſopi agros Athenienſes poſſederunt, & quidem cis fluuium *Anaphlyſtus* erat: in vlteriore parte *Marathon*, locus Miltiadis victoria illuſtriſſimus. Inde Bœotiam verſus *Rhamnûs*, pagus forſan, attamen nobilis Amphiarai fano: & *Oenoa*, *Probalinthus*, quæ vna cum Marathone τετράπολιν Atticam conſtituebant. In Oeneide tribu *Acharnæ*, δῆμος, & oppidulum. Mons *Hymettus* a mellis copia laudatiſſimus eſt.

MEGARIS, Megarenſium poſſeſſio inter Atticam & iſthmum, cuius præcipua vrbs *Megara*, patria Euclidis: deinde *Ægoſthena*, & in litore Saronici ſinus, qui inter Corinthum & Athenas eſt, *Pagæ*, ac *Niſæa* nauale. Aliis tota Megaris pars Atticæ cenſetur.

PELOPONNESVS.

In Peloponneſo ab iſthmo ad Elidem ACHAIA propria fuit, eiuſque caput *Corinthus*, vrbs nitida in iſthmo, cuius

uius nauale *Cenchreæ* erant ad ſinum
aronicum, Neptuni templo & quin-
uennalibus ludis claræ. *Schœnûs* ad
undem ſinum portus in anguſtiſſima
ſthmi parte, vnde machinis naues per
erram in ſinum Criſſæum trahebañ-
ur, ad quem & *Lechæum* alius portus
Corinthiorum erat. Prope Cotinthum
uit lucus *Cranéum*, Diogenis Cynici
abitaculum. Poſt iſthmum ſub Cris-
ſæo ſinu *Phliûs*, *Sicyon*, *Pellena*, *Ægira*,
Ægium, in quam vrbem conuentus A-
chaici indicti fuerunt: *Erineus* por-
tus, *Rhium* promontorium & oppi-
dum: & in angulo ad Elidem reflexo
Patræ, *Olenus*, (ὤλενος) *Helice* &
Dyme, quæ Achaiæ vltima, cuius ager
Lariſſo fluuio dirimitur ab Eléo, ſicut
inter Sicyonium & Corinthium amnis
Nemea interfluit. Quanquam tam
Corinthum, quam Sicyónem, alii ca-
pita regionum propriarum conſti-
tuant.

ELIS regio, ſecundo caſu *Elidos*;
ſed vrbs *Elis*, itidem Elis in genitiuo
format. *Cyllene* nauale Eleorum: dein-

de *Penei* & *Alphei* oſtia: ſed remotior a mari, vicina tamen Eli, *Olympia*, vnde Olympici ludi nominantur, in *Piſatide* regione. *Piſæi* autem vel ab vrbe *Piſa*, quæ eadem ac Olympia, aut ex ruderibus Piſæ Olympia nata; vel a fonte huius nominis, ſi vrbs nuſquam fuit, appellantur. Succedit *Pylus* Eliaca, & alia *Pylus*, quam vulgo Neſtoris vocant, licet de ſitu eius non conſtet, & in Arcadiam ab aliis reducatur. Tres enim Pyli in Peloponneſo fuere: ſingulæ gloriantur domo Neſtorea. Acceſſio Elidis TRYPHALIA, cuius vrbes Polybius lib. IV. recenſet, *Samicum*, *Lepreum*, *Hypana* & alias, omnes inter Meſſeniam & Elidem ſitas.

MESSENIA in Peloponneſi occidentiali latere poſtrema regio, in litore habuit *Cypariſſam*, *Pylum* Meſſeniam, quam Neſtoris fuiſſe doctiorum opinio eſt: *Methonen*, hodie Modon, & *Colonen*. In ſinu Meſſenio *Aſinen*, *Coronam*, *Meſſenam*, caput gentis, *Pamiſi* oſtia, *Pheras*, ſiue Φαρὰς. In mediterraneis erant *Aliartus*, *Ithome*, *Trœzen*, *Thurium*. LA-

LACONIA poſt ſinum Meſſenium, ad quem proximum *Leuctrum* erat. Sinus autem Laconicus promontoriis *Tænario* & *Maleo* incluſus, in quo *Tænarum* oppidum cum Neptuni fano: *Gytheum* (Γύθιον) nauale Lacedæmoniorum: Eurótæ fluuii oſtium inter *Trináſum* caſtellum, atque *Aeriam*: inde *Biandina*, *Aſópus*, *Bœæ*, & *Malea* (Μαλέα) promontorium. Ad flumen in mediterraneo eſt *Thurium*, & longius remota *Sparta* ſiue *Lacedæmon*, metropolis virtute ciuium, non muris munita, & æmula Athenarum: *Therapnæ* ſiue *Theramnæ* inter *Eurotam* amnem & *Taygetum* montem prope Spartam. In agro Spartano erant etiam *Helótæ* (Εἱλῶται) qui oppidum *Helos*, (τὸ Ἕλος) tenuerant, a Spartanis poſtea euerſum, Helotis in perpetuam redactis ſeruitutem.

ARGIA vel ARGOLIS, Græce Ἀργεία, ſupra Laconiam ad orientale Peloponneſi latus. In litore ſinus Argolici, qui ad Laconiam vergit, ſunt *Nauplia*, hodie Napoli, *Inachi* oſtia,

Hermoine, promontorium *Scyllæum*. Ad ſinum Saronicum *Trœzen*, *Epidaurus* Æſculapii templo nobilis, promontorium *Spiræum*. In mediterraneis *Argi*, Argiuorum metropolis, eiusque arx *Lariſſa*: *Mycenæ*, Agamemnonis regia, *Nemea* (Νέμεα Ptol.) vbi ludi celebrabantur Nemæi: *Lerna* palus Argiui & Mycenæi agri, ex Herculis laboribus, perinde atque Nemea, clara; *Cleóne* oppidum.

ARCADIA, paſtorum deliciæ, in meditullio Peloponneſi montoſa regio, Achaiæ, Elidis, Laconiæ & Argolidis finibus incluſa. Maximus montium eſt *Cyllene*, dein *Taygetus* in Laconiæ, Stymphalus in Achaiæ finibus, vnde *Stymphalia* circumiacens regio, & populi *Stymphalii* appellantur: præterea montes alii, *Parthenius* ad Argiam protenſus; *Mænalus*, *Parrhaſius*, *Pholoe* poetis celebrati: item *Olympus*, qui cum *Eua* & fluuio intercurrente (*Oenûs* dicitur) facit anguſtias, quibus via Spartam ferens communitur.

Vrbes Strabonis æuo pleræque ci-
ıiſibus Græcorum bellis intercide-
ant, aut paruas habuerunt reliquias,
ꝗuo in numero ſunt *Clitor* ſiue *Clito-
·ium*, a fonte vini faſtidium inducen-
e laudatum oppidum; *Nonacris Ma-
ıalus* monti cognomine oppidum,
*Pheneus, Heræa, Cynætha, Phoſphis, Tel-
ɔhuſſa.* Tégea (Τέγεα) illa tempeſtate
mediocriter conſiſtebat : *Mantinéa*
Epaminondæ victoria perpetuo illu-
ſtris, quam Ptolemæus etiam *Antigo-
niam* vocauit. Dirutarum vrbium in-
colæ plerique in *Megalopolin*, Polybii
patriam, ſuaſore Epaminonda, contra-
cti ſunt. *Aliphéra* (Ἀλίφειρα) oppi-
dum Megalopolitanorum. Fluuius
Alphéus in duas partes, Ciſalphæam
& Tranſalphæam, Arcadiam diuidens:
Styx aqua mortifera, inter Nonacrin
& Pheneum deſtillans; contra *Cyna-
thenſium fons* ita ſalutaris, vt rabidi
quoque canis morſum ſanaverit.

CAP.

CAPVT XIV.
DE INSVLIS GRAECIAM CIRCVMIACENTIBVS.

GRæciam nunc laxius explicamus, vt Epirum quoque & Macedoniam comprehendat. Insulas enim ab Adria vsque in Asiam persequemur.

CORCYRA, hodie Corfu, est prima ex Adria Græciam circumnauiganti, ex aduerso Thesprotiæ: *Scheria* Homero & *Phæacia* dicta. Vrbem habuit cognominem Insulæ, nempe *Corcyram*, & hodie Corfu: *Cassiopen* cum Iouis Cassii templo: & promontorium *Phalacrum*. In ortum adiacent duæ insulæ *Paxi* vel *Paxæ* dictæ, vnde hodiernum nomen Pachsu est.

ITHACA, Vlyssis patria, & ipsa vrbem habuit cognominem, ὑπονήιον, sub *Neium* montem sitam. Habet & alium montem *Neriton*, etiam portum non incommodum.

CEPHALENIA, hodie Cefalonia, Ithacæ & Leucadi peninsulæ, post insulæ

ilæ (quam in continenti tractaui-
ius) admodum propinqua, Homero
ἄμ@ dicitur, etiam Ἤπειρος μελαίνη
Nigra Epirus. Thucydides tetrapolin
icit ſiue quatuor vrbium, quæ ſunt
ame, a M. Fuluio poſt quatuor men-
ium obſidionem capta: *Proni*, Πρόνοι,
Palæa, & *Cranium*, ſiue *Cranon.*

ZACYNTHVS, hodie Zanthe, Cepha-
eniæ adiacet, habens urbem cogno-
ninem.

Sunt in hoc mari multæ minores
nſulæ. Præter *Ericuſas*, in quibus
Paxi, iam explicatæ, ſunt inter Corcy-
am & Cephaleniam; *Echinades* ſiue
Echidnæ contra *Acheloi* oſtium quin-
que numero, quibus *Dulichium* vel
ntereſt, vel prope adiacet: *Thoæ* &
Strophades Peloponneſo ab occaſu
ppoſitæ. Poſt Laconicum ſinum ſub
Maleo promontorio *Cithéra* Lacedæ-
noniorum inſula, quæ vrbem habuit
eiusdem nominis.

In Saronico ſinu AEGINA, portui
Piræeo obiecta: & SALAMIN, The-
miſtoclis victoria Perſarumque clade
in

in primis illustris. MACRENESUS obversa promontorio Sunio, qui Atticæ terræ ab oriente limes est.

EVBOEA Græcarum insularum maxima, Bœotiæ obtenta, a quo *Euripo* freto, septies die ac nocte reciprocari credito, dirimitur. Scyláci tetrapolis est, quod de primariis ciuitatibus intelligas, quæ fuerunt *Carystus* ex adverso Atticæ: *Eretria* ad Euripum contra Cephissi septentrionale ostium: *Chalcis* ad medium Euripum, Bœotorum Aulidi opposita, ad quam agger per fretum ita ductus erat, vt vnius tantum nauis via, eaque ponte ligneo iuncta, maris cursui relinqueretur. In septentrione *Istiæotis* siue *Hestiæa* regio vrbem inclitam habuit a Diodoro Siculo laudatam, sed sine nomine. *Ædipsus* forsan, aut *Atalantes Nesion* fuit, vt ex his tetrapolis nobiliorum ciuitatum constitueretur. Præter has aliæ vrbes fuerunt, *Amarinthus* inter Eretriam & Carystum: *Gerestus* Andrum versus, *Pyrrha*, *Oechalia*, & in septentrione *Oreus*: *Nesos* Plinii,

vt

in manu ſcriptis vocatur, an eadem ac Ptolemæi Αταλάντης νησίον, in edio relinquimus. Promontoria inlæ, *Cenæum* Thermopylis oppoum: *Geræſtum* & *Caphareum* in medie aduerſum Sunio: nobiliſſimum item *Artemiſium* ſuper Eſtiæam in ptentrione remotum, iuxta quod erſas Græcorum claſſis Themiſtocle uce ſuperauit.

Contra Eubœam *Scyrus*, contra 'heſſaliam *Sciathus*: aduerſus fauces nus Thermaici *Peparethus* & *Alonesus*, & hic illic ignobiles aliæ.

CYCLADES, quaſi in circulo poitæ, non eædem ab omnibus enumeantur. *Delos*, Apollinis templo, *Cinho* monte, & mercata inſignis, cenrum illarum creditur. *Andrus* prina ab Eubœa & Attica: præter has *Gyarus*, *Tenos*, *Parus* marmore diues: *Naxus*, *Siphnus*, *Seriphus* deſerta, quo ontes Romani relegabantur: *Cyhnus*, & *Ceos*, Simonidis patria, & aliæ

SPORADES autem quaſi diſperſæ, & in iis *Icaria*, vnde *Icarium* mare

co-

cognominatum: *Pathmos* exilium Io
annis apoſtoli: *Clarus*, *Amorgus*, &
inſularum rotundiſſima *Melos*, hodi
Milo. Quibus ſubiacent in meridien
nouæ & Cæſarum temporibus enat
inſulæ, *Thera*, & *Theraſia*, atque inte
has media poſt exorta *Automate* ſiu
Hiera, & Plinii æuo *Thia* iuxta ean
dem inſulam nata, nunc ſcopulus ſin
nomine ignobilis. Quæ in ortum ad
iacent, cum Aſiæ litore explicabimus
cui propiores, quam Græciæ exiſtunt.

CRETA, hodie Candia, inter Æ-
gæum & Libycum mare inſula, olim
centum vrbes dicitur habuiſſe. In la-
tere occidentali *Corycus*, *Phalaſarna*,
Rhamnûs portus, *Criumetopon* pro-
montorium: in auſtrali *Liſſus*, *Phœnix*
oppidum cum portu, *Hierapolis*, *The-
rapne*, *Ampelus* vrbs & promonto-
rium. Orientem reſpiciunt *Minoa*, &
promontoria *Samonium* & *Zephy-
rium*: ſeptentriones, *Heraclea* Gnoſ-
ſiorum nauale, inde in occaſum reuer-
tenti *Cytæum*, nunc Sitia, occurrit, &
Amphimalla ſiue *Pantomatrion*, nunc
Suda,

ıda, in ſinu Amphimallo: *Drepanum* romontorium: *Cydon* ſiue *Cydonia*, odie Canea: *Dictamnum* ſiue *Dictin*-*a*. Mediterraneæ ciuitates *Aptera*, *appa*, *Eleutheræ*, *Gortyna*, *Gnoſſus* ſiue *noſſus*, *Lyctus*. Montes *Ida* vel *Idæus*: t *Dicte*, ſiue *Dictæus* aut *Dictinnæus*: *orycus*.

CAPVT XV.
DE THRACIA ET MOESIA.

THRACIA inter Macedoniam, Æmum montem, mare Ægæum, Propontidem & Pontum Euxinum ſi-ta, ab occidente amnem Strymona o-im, poſt prolatis Macedoniæ finibus *Neſſum* ſiue *Neſtum* habuit, a cuius oſtio *Abdéra*, Democriti patria, vrbs prima erat: poſt hanc *Maronea*, & *Hebri* fluminis oſtia, & *Ænus* oppi-dum, & poſt cherſoneſi iſthmum *Pa*-*ctya* ad *Propontidis* oram, *Macron*-*tichos*, *Biſantha*, *Neontichos*, *Perinthus*, quæ & *Heraclea* dicta; *Selymbria*, *Athyræ* oſtium, *Byzantium* ab ampli-ficato-

ficatore Conſtantino Conſtantinop
lis poſtmodo dicta, iuxta *Thracium B*
ſporum ſeu illud fretum, quod *Propo*
tidem cum *Euxino Ponto* coniungi
Ad oram autem Ponti *Barna* ſiue *T*
beriopolis, *Phinopolis*, *Peronticum*
Apollonia, Mileſiorum colonia, Apo
linis templo & coloſſo ornata: *An*
chialus, vrbs vltima Thraciæ ad Mo
ſiæ maritimæ confinium. Mediterr
neæ vrbes *Nicopolis* ad Neſſum, *Vlpi*
prænomine in nummis ornata: & ali
Nicopolis ad *Æmum*, ab illa in ſepten
triones longius remota: inter vtram
que *Philippopolis* in *Odryſarum* gente
opus Philippi Macedonis, cuius anti
qua nomina *Poneropolis*, *Dulopolis*
Eumolpias, & aliud a ſitu poſtea impo
ſitum, *Trimontium*, referuntur, ind
in ortum reducta *Hadrianopolis* a
Hebrum, prius *Vſcudama*, vel *Oreſtia*
dicta: & ad eundem fluuium auſtralio
Traianopolis: *Plotinopolis*, *Aphrodiſias*
Deultum colonia veteranorum, *Flaui*
Pacifica cognominata: *Vlpia Pauta*
lia, & *Vlpia Topirus*; & magis ſepten
trio

ionales *Bergula*, *Byzia*, ſiue *Bizya*, alybe ſiue *Cabyle*.

CHERSONESVS Thraciæ, in quam coloniam Miltiades deduxit, ad *Hellespontum* eſt. In iſthmo *Lyſimachia*, in loco everſæ *Cardiæ*; ad Propontidem *Crithote*, & *Ægos Flumen*, iuxta quod victis Athenienſibus finitum fuit bellum Peloponneſiacum: ad Helleſpontum *Callipolis*, Herûs ac Leandri amoribus nota, etiam Xerxis ponte, *Seſtus*: ad auſtrinum mare *Elæûs*, cum portu.

Gentes Thraciæ variis nominibus diſtinctæ. Supra Strymonem *Denſeletæ* & *Medi*: ad ſuperiora Neſti & *Pangæum* montem, (aliis ad Æmum) *Beſſi*, ceteros feritate ſuperantes: quos *Odryſæ* accolebant, Hebrum fundentes, & *Biſtones*: ad ſeptentrionem *Odomantes*, *Hypſalti*, *Selletæ*, & alii: inter Æmum & Rhodopen *Agrianes* ſiue *Agriani*.

Inſulæ iuxta Thraciam nobiliores ſunt THASVS, contra Neſti oſtium, marmore, quod Thaſium lapidem vocant, opulenta. Longius in meridiem &

Ægæum

Ægæum mare LEMNVS diſſidet, Mace doniæ fere æqualis, cuius oppida fuer *Myrina* & *Hephæſtia*. IMBRVS Cherſo neſo opponitur, & SAMOTHRACE, re ligione & aſylo inclita.

Montium altiſſimus a Mœſia Thra ciam iugis ſuis diuidens *Æmus* ſiu *Hæmus*, cuius incolæ *Hæmimontan* appellantur. Poſt hunc *Rhodope*, cuiu iuga Conſtantinorum temporibus pe culiarem prouinciam conſtituebant Fluuiorum maximus *Hebrus* eſt, in quem multi ignobiles incidunt: *Mela* huic in ortum proximus, vnde ſinum Ægæi maris ad Cherſoneſum, quo hi amnis excipitur, *Melanem ſinum* appel larunt: *Arzus*, *Athyras* & *Bathynu* in Propontidem effunduntur. De *Stry mone*, *Neſto* ſiue *Neſſo*, dictum ſupra eſt

MOESIA ab *Aureo* monte, qui pro pe Taurunum Pannoniæ eſt, inter *Da nubium* ſiue *Iſtrum*, & Æmi iuga a Pontum Euxinum longe procurrit Diuiſa fuit per *Ciabrum* amnem in *Su periorem*, quæ Pannoniam ſpectat; & *Inferiorem*, quæ eſt orientalis ac Pon tu

tum Euxinum prospicit. Superior medio æuo nomen *Seruiæ;* Inferior *Bulgariæ*, a barbaris populis, qui inuaserant, accepit.

SVPERIORIS MOESIAE ad Danubium fuerunt *Singindunum*, post Senderouia dicta; *Tricornium*, *Viminiacum* siue *Viminacium*, *Pons Traiani* in Istro, mirandum opus & auctoris magnitudine dignum. A fluvio remota post Aureum montem *Margus*, ad quam Diocletianus Carinum vicit: *Pincum*, vnde *Pincensii*: *Procopiana Villa*, hodie Procupie. Macedoniam versus DARDANIA erat pars huius Mœsiæ, in eaque vrbes *Naissus*, *Vlpianum*, nunc Prisren, *Scupi*, caput Dardanorum; nunc Scopia. Supra Dardanos pars *Triballorum*, & Istrum transgressi *Bastarnæ* siue *Basterni*: a latere Dardanorum *Scordisci*, quos alii in Thracia ponunt, moribus & lingua cum Bastarnis trans danubianis conuenientes. Etiam *Carpi* in his oris. Flumina *Margis*, *Timachus*, *Pingus*, e Dardanis orta.

INFERIORIS MOESIAE ad Istrum pri-

ma vrbs *Nicopolis*, a Traiano Draco-rum victore condita: *Nouæ* seu *Nouus*, *Mons*, *Durostorum*, *Axiopolis*, *Ægypsus*. In occidua parte aduersus Thraciæ fines *Sardica*, siue *Vlpia Serdica*, Sardicensi concilio in caussa Athanasiana illustris, nunc, de doctissimorum sententia, Sophia vrbs Turcorum non ignobilis. *Oescus*, ad flumen *Oescum*, Triballorum oppidum, qui occidentalem partem huius Mœsiæ incoluerunt, sicut *Peucini* siue *Peucestæ* orientalem, quæ ad ostia Istri est. *Getarum* etiam pars ad Pontum habitauit, parte reliqua trans Istrum relicta. Maritimæ autem vrbes a Thraciæ termino ad ostia Danubii fuerunt *Mesembria*, in Thraciæ confinio, *Marcianopolis*, a Marciana Traiani sorore nomen trahens, ad quam Gothos Claudius II. vicit: *Odessus* siue *Odyssus*, *Dionysopolis* nunc Varna: *Bizóna* (Βιζώνη, *Bizos* Arriano) terræ hiatu hausta: sed alia est a Bizya Thraciæ: supra hanc *Calatis*, Milesiorum vel Heracleotarum colonia, *Tomi* siue *Tomis*, Ouidii exi-lium

lium: *Istrus* siue *Istropolis*, propinqua
Istri ostiis, quorum sex sunt, ex iisque
quatuor valida, minora reliqua. Flu-
mina in Pontum cadunt, *Panysus* su-
pra Mesembriam: *Zyras* & promon-
torium *Tiristriam*: *Naxius* ad Tomos.

Nec prætereunda est DACIA CISDA-
NVBIANA, quam Aurelianus impera-
tor, desperans seruari prouinciam pos-
se, quæ trans Istrum a Traiano facta
erat, mediam inter vtramque Mœsiam
constituit, quæ in *Ripensem*, hoc est
Istro proximam, & *Mediterraneam*
siue ad Dardanos vergentem, postmo-
do dispensata fuit. De vtraque pluri-
bus in medii æui Geographia dicemus.

CAPVT XVI.
DE DACIA, PROVINCIA TRAIANI.

TRaiani Daciam transistrianam ap-
pellamus, ad discrimen Daciæ in
Mœsiæ partibus ab Aureliano, vt mo-
do dictum est, constitutæ. Veteris hu-
ius & propriæ Daciæ ab occidente ter-

minus *Tibiscus* amnis erat, nunc Teisse, siue *Iazyges Metanastæ*, qui ad dextram ripam Tibisci habitarunt: a septentrionibus Sarmatia & Carpates montes: ab ortu *Tyras* fluuius, nunc Dniester, & Danubii conuersio: a meridie Danubius, siue vt Ponto vicinior appellatur, *Ister*, quo a Mœsia Daci separantur. Continet hodie, quidquid Hungariæ trans Tibiscum est, & Transiluaniam, Walachiam atque Moldauiam.

Inter Tibiscum & *Rhabonem* siue *Marisium* (nunc Marocz) fluuios, in australi parte *Lisis*: in boreali *Vlpianum*, *Napoca* siue Napocensis colonia, & *Parolissum*: medio loco *Apulum*, colonia, quæ videtur *Alba Iulia* esse, ab Antonini Pii matre Iulia cognominata, nunc Weissenburg: item *Ziridaua*, *Singidaua*. Inter Rhabonem & *Alutam* amnes *Canadium* siue *Genadium* nunc Chonad, ad Rhabonem propinquum Tibisco, cui miscetur: *Zeugma* ad eundem amnem: *Sarmizægethusa* Decebali regia, post colonia *Vlpia Traiana* & *Augusta Dacica* dicta, medio in-
te

ter vtrumqve amnem loco, cuius magnitudo ex ruderibus apud vicum Varhel hodieque conſpicitur. Præfluit *Sargetia* amnis, in quo Decebalus theſauros ſuos occultauerat. *Zurobaram* interpretantur Temeſvvar. Magis ſeptentrionales Ptolemæi vrbes *Marcodaua*, *Auguſtia*, & *Prætoria Auguſta*. Poſt Alutam obſcura pleraque, vt *Argidaua*, *Zermizirga*, *Hydata*, *Nentidana*, *Tiaſum*, *Pinum*, & alia nomina a ſolo Ptolemæo memorata. Nec in citeriore Dacia illuſtrari cuncta poſſunt, & Coloſwariæ, quam quidam putant *Patruiſſam* Ptolemæi eſſe, ac Zalathyniæ ſiue Zlatnæ & alibi inſcriptiones veteres ex ſæculo Traiani inueniuntur, nec facile tamen explicueris, quæ antiqua locorum facies fuerit. Quod enim hiſtoria rerum a Traiano geſtarum ex ſolis ſummariis haurienda, nec vberior illarum expoſitio ſupereſt; fit, vt hic quoque geographiæ campus ſterileſcat.

Poſt Daciam *Sarmatæ* ſiue *Sauromatæ* ad Euxinum Pontum, vsque Aſiæ

terminos, continuantur, qui Europæi *Scythæ* dicuntur, in varias gentes etiam sub his vltimis Europæ oris diuisi, *Basternas, Gelonos, Getas*, ac alio tempore *Alanos, Roxolanos*, & quæ cetera obscurorum populorum nomina fuerunt. Adde quæ cap. VI. de eisdem diximus.

CAPVT XVII.
DE
ASIA CIS TAVRVM.

ASiæ vniuersæ terminos in Introductione exposuimus. Diuisio vulgaris est in *Minorem* & *Maiorem*, qua Natolia siue inter Pontum & Mediterraneum mare peninsula ab reliquis Asiæ amplioris partibus abscindi videtur. Verum quod noua hæc diuisio est, antiquæ nostræ Geographiæ minus commode applicatur, & aliam potius amplectimur, quæ passim in Romana belli Asiatici historia occurrit. In pacificatione cum Antiocho Magno nihil frequentius est, quam Asiam intra Taurum & extra hunc montem

tem distinguere, siue quod idem est, cis Taurum & vltra illum, siquidem intra Taurum Antiochus regnare ab Romanis iussus fuit, hoc est, prouinciis abstinere, quæ citeriores Romanis erant, *Tauro* monte, *Haly* fluuio, & *Sarpedone* promontorio definitæ.

Sed & alia, eaque arctior *Asiæ* determinatio est, qua Romani, Attalicis possessionibus potiti, prætoriam, aut si vsus belli postularet, consularem provinciam significarunt. Hac enim, quæ PROPRIA etiam ASIA appellatur, continebatur Mysia, maior & minor Phrygia, Æolia, Ionia, Lydia, Caria, ac Pergamus, nisi & hanc sub Lydia comprehendis. Bithyni ergo, Paphlagones, Galatæ, & gentes quæ Amyntæ paruerunt, excipiebantur, quo minus Asiatica Romanorum prouincia illi Asiæ, quæ Romanis cis Taurum, Syris intra hunc montem erat, ex æquo responderet. Pamphylia superest; de qua, quod nascentem in se Taurum habet, litigatum inter Antiochum & Eumenem fuit, citeriori Asiæ, an vlteriori

tribuenda esset. Nos terminis supra positis innixi, Haly & Calycadno fluuiis, tam Pamphyliam, cuius pars non exigua citra montem est, quam Galatiam & Bithyniam cum Paphlagonia in citeriore hac Asia explicabimus.

BITHYNIA Pontum a tergo, Bosporum ab occasu, a meridie Phrygiam & Mysiam, ab ortu Paphlagoniam habuit. Vt vero hæc prima in latere Pontico prouincia est, ita maritimæ eius ciuitates fuerunt *Chalcédon* (Χαλκηδὼν) ad Thracium Bosporum ex aduerso Byzantii, nota contra Eutychem Christianorum concilio; cui *Chrysopolis*, & *Nicopolis* vicinæ: *Astacus* ad sinum Propontidis: *Nicomedia* prope sinus extremitatem, caput prouinciæ: *Prusias* ad Astacenum vel proximum sinum: *Apaméa* post illum, ab vxore Prusiæ appellata: *Dascylium* siue *Dascylos*, & amnis *Rhyndacus*, Bithyniæ ad Mysiam limes. In Pontico latere prima sunt ostia *Calpæ*, & portus ad illa: *Saugarii* & *Hypii* ostia, *Lillium* & *Cales* emporia: *Lycus* amnis, *Hera-*

clea

:lea Megarenſium colonia : *Pſylla* emporium, *Teius* (Τήϊος) ſiue *Tium*, Mileſiorum colonia : *Billis* fluuius, & alius *Parthenius* terminus Bithyniæ.

Mediterraneæ partis in ſinu Aſcaniæ paludis *Nicæa* fuit, ſed obſcurior, quæ prius *Olbia* erat; & poſt paludem alia *Nicæa*, ab Antigono condita & Antigonia; a Lyſimacho vero ex vxoris nomine Nicæa appellata, Nicena ſynodo clariſſima, hodie Iſnich : *Libyſſa* Hannibalis fato nobilitata: *Cæſarea* inter Rhyndacum & Apameam: *Pruſa* ad fluuium Hypium : *Bithynion* (poſt *Claudiopolis* & *Hadriani*) patria Antinoi, iuxta flumen Sangarium vel Elatam. *Iuliopolis*, antea *Gordiucome* & *Gordiutichos* : & *Agrippenſis* ciuitas : ſed *Critia* (vulgo *Cratea*) poſt *Flauiopolis* appellata fuit. *Germanicopolis*, *Helgas* barbaro nomine, etiam in Bithyniæ finibus; aliis in Iſauriæ.

PAPHLAGONIA inde in ponti Euxini litore, ad Halyn amnem pertingens, a meridie Galatarum gentem habuit. Prima poſt Parthenium a-

mnem vrbs *Amastris* cum portu, ab Heracleensium tyranni vxore, fratris Darii Codomanni filia, nomen nacta: *Sesamus* munita, *Cromna*, & *Cytorum* itidem portu instructum: inde *Carambis* ad promontorium, & *Aboni Mœnia* (Ἀβώνυ τεῖχος) alio sæculo *Ionopolis* dicta: *Cinolis* emporium: *Stephane* cum tuto portu: *Lepte* promontorium: *Harmone* oppidum, finis Paphlagoniæ. *Sinópe* (Σινώπη) omnium in hac ora nobilissima vrbs, Milesiorum colonia, post diuturnam libertatem a Ponti regibus oppressa, qui regiam in ea sedem condiderunt: tandem sub Romanis iterum colonia. *Halys* autem amnis Paphlagonum & & Sinopensium ad mare; intus antiqui regni Lydorum terminus fuit.

Hæc de litorali Paphlagonia. Interiora sunt *Mastya* Milesiorum opus, & *Gangra* Paphlagonum regia, Gangrensi postea concilio nobilior facta: *Plegra*, *Pompeiopolis*, *Andrapa*, quæ & *Neoclaudiopolis*, post *Olgassyn* montem. Populi ad occidentem *Heneti*, vnde

Venetos

Venetos Italiæ Corn. Nepos apud Plinium arceſſit: ad ortum & circa Halyn *Chalybes* populi, in quibus Sinopen & Amiſum oppida Mela ponit.

Ora Pontica vſque ad Halyn perluſtrata, quæ eidem ab Helleſponto ad eundem amnem ſubiacent, id eſt Myſiam atque Phrygiam, & quæ huic annexa eſt, Galatiam contemplabimur.

MYSIA eſt vel *Minor* ad Helleſpontum & Propontidem; vel *Maior* inter Phrygiam vtramque, id eſt maiorem & minorem interiacens, quamuis fateatur Strabo, Myſiæ Phrygiæque fines difficulter diſtingui. Alii, quidquid Myſiæ maioris eſt, ad Æoliam reducunt, quaſi exſtincto veteri nomine, novoque colonorum ſuperducto.

MINORIS MYSIAE ſunt *Cyzicus* ad Propontidem, mira erga Romanos fide Mithridaticam obſidionem ſuſtinens: poſt hanc *Parium* ac *Pæſus*: ſed *Lampſacus* ad os Helleſponti, Themiſtocli dono data ab rege Artaxerxe: *Abydus* ad Helleſpontum Xeſto oppoſita, principium pontis, quem Xerxes

in Hellesponto fecerat. Mediterranea *Apollonia* super Rhyndacum amnem, *Miletopolis*, *Scepsis*, & *Hadrianothéræ* (Ἀδριανοῦ θῆραι) in venationis loco constitutum oppidum. Fluuii huius Mysiæ sunt *Æsépus* (Αἴσηπος) in sinum cadens Cyzico propinquum: *Granicus* inter Æsepum & Lampsacum, prima Alexandri contra Persas victoria illustris: *Simois* (Σιμόεις) & *Ida* mons in Phrygiæ Minoris confinio sunt, ubi vide.

MAIORIS MYSIAE, quæ & ipsa aliis Æolia est, sunt *Adramitium* ad Ægæum mare: *Traianopolis*, medio a mari loco: remotiores *Alyda*, & *Pergamus*, Attalorum regia & caput Asiæ Pergamenæ, quam infra in Romana prouincia explicabimus. Populi *Olympeni*, sub Olympo monte, qui ad Bithyniæ fines pertingit: *Trimenothuritæ*, quorum Traianopolis erat: & in horum medio *Mysomacedones*.

PHRYGIA amplius patet, quam Mysia, ab Hellesponto ad Halyn olim extensa, quippe Galatia quoque pars quon-

quondam Phrygiæ fuerat. Diuiditur & hæc in Minorem ac Maiorem.

MINOR PHRYGIA, etiam TROAS appellata, inter Hellespontum, Mysiam minorem, & Æolidem posita: post Abydum, ad Hellesponti oram, *Dardanum*, oppidum & promontorium: *Rhœtéum*, cum adiacente *Æantéo* siue Aiacis sepulcro: *Simoëntis*, *Xantho* aucti, & *Scamandri* ostia: *Sigéum* promontorium & oppidum: & ad Ægæum mare *Colonæ*, e regione Tenedi: *Alexandria*, *Troas* cognomine: *Lectum* promontorium & *Assum* oppidum. Reductior paullo a mari, inter Sigeum & *Idam* montem, *Troia* siue *Ilium*, vrbs regia, cuius arx *Pergama* fuere: inter mare & ruinas Troiæ veteris, *Ilium* novum; supra quod *Arisba* inter *Percóten* (siue *Percópen*) & Abydum. Præterea *Lyrnessus*, *Thebe* cognomine *Hypoplacia*; *Mermessus*, & *Lamponia* oppida erant huius tractus. *Smintha*, vnde Smintheus Apollo, in Æoliæ finibus.

PHRYGIAE MAIORIS parte ſeptentrionali fuere *Ancyra* Phrygiæ, *Dorylæum*, *Midæum*, *Gordium* in Galatiæ finibus ad Sangarium amnem, nodi inſolubilis ſuperſtitione famoſum. *Nacoléa*, *Docimêum*: *Synnada*, (plural.) marmore diues oppidum: & a tergo Sipyli montis *Eucarpia*, *Eumenia*, *Acmonia*, *Tiberiopolis*, *Apia*.

Auſtralis partis circa Mæandrum fluuium erant *Celænæ* ad fontes amnis, quondam caput Phrygiæ, vnde ciues *Apaméam Cibotum* traducti ad *Marſyæ* & *Mæandri* confluentem in Piſidiæ confinio, vnde & *Piſidiæ Apaméa* appellatur: inter vtramque vrbem *Philomelium*, *Silbium*, & *Metropolis*: vltra Apameam in Lydiæ confinio *Hierapolis*, & ad *Lycum* amnem, antequam Mæandro miſcetur, *Laodicea*, πρὸς τῷ Λύκῳ cognominata: ac propius confluentes *Coloſſæ* apoſtoli epiſtola ſatis honoratæ; *Iuliopolis*, vnde *Iulienſes* dicti: & in Cariæ finibus *Antiochia* ſuper Mæandrum: *Cibyra* item: & *Mæandropolis*, ac *Mandropolis* ſiue *Man-*

Mandropus: Dionyſopolis, & *Diocæ[ſ]area*. Incerto ſitu *Æzanus*.

GALATIA Phrygiæ olim pars & [v]icinarum regionum, a Gallis ſedem [q]uærentibus occupata, cui quod Græci [c]oloni immiſti erant, GALLOGRAE[C]IA quoque appellatur, & Galatæ, [G]allogræci. Hi ſunt vel *Tectoſages*, [P]aphlagonibus propinqui, quorum *Ancyra* fuit, Ancyrano poſt concilio [c]lara, & *Sebaſte*: vel *Trocmi*, aduerſus Cappadociam, in quibus *Tauium*, emporium & aſylum, & *Mithridatium*; [v]el *Toliſtobogi* contra Bithyniam & Phrygiam, quorum *Peſſinûs* fuit in Phrygiæ confinio iuxta Sangarium flumen, ſimulacro Matris Deûm, inde Romam aſportato, illuſtris: item *Blucium* regia Deiotari, & *Peium* gazophylacium eiusdem. *Olympus* alius, & *Dindymus*, montes in his oris.

Hæc in tergo Magnæ Phrygiæ: a fronte LYDIA fuit, MAEONIA ab amne *Mæone* ante appellata, ad Ioniam Cariamque procurrens. *Sardes*, Croeſi regia, ad latus montis *Tmoli*, aurifero

Pactalo

Pactolo adfusæ, qui ex Tmolo procurrens in *Hermum* alium amnem immittitur. Proxima *Magnesia sub Sipylo monte*, vbi Antiochus M. a Romanis victus est: post hanc *Hypæpa*, *Thyatira*, *Hierocæsarea* in Lydis Persicis. *Philadelphia*, *Tripolis*, *Tralles*, *Leucophrys*, *Nysa*, *Temenothyræ*, & alia *Magnesia super Mæandrum*, & *Aureliopolis*. Flexuoso Mæandro perfunditur Lydia, etiam *Caystro* fluuio, qui per Ioniam ad Græcum deferuntur. ACHAIS vel pars Lydiæ, vel ei proxima, ad quam *Eumenia* pertinuit, de qua in Phrygia actum fuit.

Sed hæc de Lydia propria: Lydorum autem potentia crescente, quidquid a mari ad Halyn erat, tam regum propriorum temporibus, quam sub Persarum imperio, *Lydia* appellabatur, Sardiano satrapa iisdem gentibus imperitante, quanquam Græcæ coloniæ, ut poterant libertatem tuebantur.

Quæ supersunt ad mare vsque Ægæum, a Græcis Asiaticis possidebantur, quædam a Caribus. Græci autem, qui Asiam

.siam incolebant, triplicis generis e-
ant, *Æoles*, *Iones*, & *Dores* siue *Do-
iensses*, vnde tres regiones maritimæ
ierunt *Æolis*, *Ionia*, & in Caria *Doris*.
Reliquæ in Asia Græcæ ciuitates pleræ-
que harum coloniæ fuerunt.

AEOLIS pars Græciæ Asiaticæ, ex
duerso insulæ *Lesbi*, inter Mysiam &
oniam, siue a Cayci fluminis ore aut
paullo supra illud, ad Phocæam, Ioniæ
extremam vrbem. *Pitane* in Myso-
rum aut Phrygum confinio; dein *Cay-
ci* ostia: *Canæ* portus & nauale Æoliæ,
hiberna Romanæ classis Syriaco bello:
Elæa Pergamenorum regum nauale:
Myrina, etiam *Sebastopolis* auctore Pli-
nio vocata: *Cuma* siue *Cyme*, & vici-
num *Notium*, vbi Athenienses a Pelo-
ponnesiis nauali prœlio victi sunt: &
Larissa in ora sinus Smyrnæi: intus
Ægæ, siue *Ægææ*. Fuit & Æolidis *Hera-
clea* quædam, item *Pionia*, *Temnos*, &
quæ in Troade aliis, *Selia*. De *Lesbo*
insula, quam vulgo partem Æoliæ fa-
ciunt, sequenti capite in insulis age-
mus. Quidam Phocæam etiam, & ve-
teres

teres ipſam Smyrnam Æolidi adſcri-
bebant: quas Plinium & Strabonem
ſecuti reſeruamus Ioniæ.

IONIA a Smyrnæo vſque ad Iaſium
ſinum patuit. Prima vrbs ab Æolidi
fine *Phocæa*, mater Maſſiliæ, poſt quam
Hermi oſtium, & vrbs *Smyrna* mercatu
nobiliſſima: *Clazomenæ, Erythræ, Cyſ-
ſûs* Erythræorum nauale, *Teus* (Τέως)
Anacreontis patria: *Orycum* promon-
torium, ad quod Romani Antiochi
claſſem vicerunt: *Lébedus* (λέβεδος)
Colophon, Cayſtri oſtia; *Epheſus*, in pri-
mis vrbium Aſiæ, Dianæ templo clara:
Pygela ſiue *Phygela*: *Mycale* Græco-
rum victoria & Perſarum clade illuſtre
promontorium inter Epheſum & Sa-
mum: *Panormus*: *Panionium* locus
Ionici conuentus & communium ſa-
crorum: *Metropolis* ad Cayſtrum: &
poſt Mæandri oſtia *Pyrrha*, & *Hera-
clea* ſub monte *Latmo* ad ſinum Lat-
micum: & propius Mæandrum *Priéne*
(πριήνη) ac *Myûs*, illa Biantis patria,
hæc Themiſtocli vna cum Lampſaco
ab rege Perſarum data: tandem ad *Ia-*

ſium

um sinum *Milétus*, cuius ciues *Milesii*
irtute & coloniis deductis cum pri-
nis celebrantur. *Posideum*, promon-
orium & oppidum. Sunt qui Prie-
iem, Myuntem, Miletum & Latmi-
am Heracleam in Cariæ vrbibus nu-
nerant: nos autem Strabonem & Pli-
iium secuti sumus.

CARIA Ioniam a meridie excepit
nter sinus Iasium Ceramicumque.
Iasus siue *Iassus* (Græce Ἰασσὸς) no-
men dat sinui. Inde *Bargylia* & *Myn-
dus*: ac Lydiam versus, prope Mæan-
drum, *Aphrodisias*, *Neapolis*, *Alaban-
da*, *Hieracome* Apollinis oraculo in-
signis; *Hidrias* quæ etiam *Chrysaoris*
dicta: *Masanorada*: *Heraclea* ad Alba-
num: *Apollonia*, *Bargaza*, *Stratonice*,
Eurómus: & in meridiem vergentes
Alinda, Adæ reginæ sedes, *Pedasa*,
(τὰ πήδασα) & *Hydissa*, inter quam
& mare Ionium *Mylasa*, vulgo *Mylas-
sa*. Ad Rhodium mare *Caunus* cum
portu in Lyciæ confinio, & ad *Calbim*
amnem *Thera* & *Pystus*.

DORIS pars Cariæ in infimo eius

recessu,

recessu, a Græcis Doriensibus occupata. Princeps vrbs *Halicarnassus*, mausoleo insignis, Artemisiæ opere: *Ceramus*, a qua nomen sinui est: *Cnidus* ac promontorium eiusdem nominis, in vltimo peninsulæ: *Acanthus* quæ & *Bubassus* dicta: *Eutane* inter Cnidum & Ceramicum sinum: *Loryma* portus contra Rhodum, *Cressa* alius portus: *Eleûs* haud procul Lorymis: *Euthene* positione dubia.

LYCIA in ortum obiacet, contra Rhodum insulam, a Cauno, Cario vltima, ad iuga vltra Phaselidem sita. Post Caunum prima in litore *Calinda*, quæ etiam *Calydna* siue *Calymna* vocatur: *Carya*, *Telmessus* cum portu; Xanthi ostia; *Patara*, multitudinis numero, Apollinis Pataræi oraculo illustris ciuitas: *Megiste* & *Phellus*, portus: *Andriace* Myrensium nauale: *Limyri* ostia: *Olympus* vrbs maritima sub monte huius nominis: *Phaselis* portu triplici instructa, Lyciæ ad Pamphyliam terminus.

In mediterraneis cis Xanthum fluuium

ium in boream vergunt *Cydna*, *Sym-*
ra,*Corydalla* ; in auſtrum *Sidyma*,*Pi-*
ara ſub Crago, *Araxa*, & ad Xanthi
ipam vrbs *Xanthus*, maxima vrbium
.yciæ:vltra hunc amnem *Myra*: & ad
Limyrum flumen vrbs *Limyra*, eique
icina *Podalia*: in ſeptentrionali CA-
ALIA regione *Oenoanda*, *Bubon*, *Bal-*
ura: & in Pamphyliæ confinio *Sar-*
leſſus. Montes *Cragus*, eiusque ex
octo verticibus vnus *Chimæra*, nocti-
bus flagrans: *Anticragus*, & *Climax*
cum mari portam faciens, æſtuum flu-
ctu ſæpe opertam.

PAMPHYLIA inter Lyciam & Ci-
liciam aſperam ſita. Poſt Phaſelin in
litore *Olbia*,& *Attalea*,ab Attalo Phil-
adelpho condita: fluuiorum oſtia *Ca-*
tarractæ & *Ceſtri*: etiam *Eurymedon-*
tis, ad quem Cimon terreſtres Perſa-
rum copias proſtrauit: *Side* cum por-
tu, Cumæorum colonia. In mediter-
raneis *Aſpendus* in monte ad Euryme-
donta, & *Perga*, apoſtoli itinere nota,
ad Ceſtrum amnem: *Lyrneſſus* & *The-*
be, cognominum in Troade urbium
coloniæ:

coloniæ: & dubia, ab aliis Pisidiæ adnumerata, vt *Pletenissus* siue *Pednelessus*. *Taurus* mons Pamphyliam diuidit, cuius extremitas promontorium *Sacrum*, aliis *Chelidonium*, Chelidoniis insulis iuxta Phaselidem oppositum.

PISIDIA inter Lydiam, Phrygiam & Pamphyliam in montibus fere posita. Vrbes *Antiochia*, Italici iuris colonia, etiam *Cæsarea* dicta: *Oroanda*, *Termessus*, *Sagalessus*, *Selge*: at *Sinda*, & *Tabæ*, in finibus Phrygiæ: in Pamphyliæ ora *Comana*. *Milyæ*, oppidum, in Phrygiæ, Lyciæ & Pisidiæ confinio, vnde regio MILYAS appellatur, cuius & *Arycanda* fuit, Lyciæ vulgo adscripta. Ab altera parte *Homonadum* genti Pisidia conterminans, cuius oppidum *Homona* (Ὅμονα) origo nominis *Homonadensium*, qui validis castellis præmuniti erant. *Parlais* inter Pisidiam & Lycaoniam colonia.

Etiam ISAVRIA Pisidiæ ab ortu adiacet, cuius pars aquilonalis & montana *Isauram* siue *Isaurum* (Straboni τὰ Ἴσαυρα) habuit, quia vrbe deleta

Seruili-

ruilius Iſaurici cognomen adſumſit:
Lalaſin, ſiue Laliſandam; & alio ſæ-
ulo Claudiopolin ex Iſauræ forte rui-
is natam. Ad mare vſque deducit
linius, vt Seleucia Iſauriæ, ad quam
raianus exſtinctus eſt, non alia videa-
ır eſſe, quam Tracheæ Ciliciæ Seleu-
ia Calycadno fluuio adpoſita.

LYCAONIA quoque ad hoc latus
rahi poteſt, vt Iſauricæ genti conter-
ina, & in Aſiaticam iuriſdictionem
erſa, quippe Romani Antiocho adem-
am, Eumeni ſocio regi cum aliis cis
Taurum regionibus donauerant. Ca-
ut Iconium, nunc Cogni: Lyſtra apo-
oli ſatis notum oppidum; Derbe, ſe-
es tyranni Antipatri Derbetis, Cice-
onis amici: Thebaſa in Tauro.

Sic, quantum fieri potuit, citerio-
em Aſiam adumbrauimus, cuius ab
rtu limites non ſatis certi ſunt, & du-
iæ quædam gentes, cuinam parti de-
eant accenſeri. Etiam temporibus
nutati fines, & alia rerum facies ſub
egibus Lydorum fuit, alia cum Atta-
i, Nicomedes, Pylæmenes, Mithrida-
tes,

tes,quisque augendo regno ſuo,intenti eſſent. Sub Romanis iterum alia imperii forma, qui *Ponticam prouinciam*, id eſt Bithynicam, Paphlagoniæ acceſſione, & Ponti Mithridatici parte auxerunt: *Aſiæ* vero, quam vocabant, prouinciæ amplos terminos per Lydiam,Phrygiam,Æolidem, Ioniam, Cariam, & Lyciam conſtituerunt. Pamphylia aliquando ſeparata prouincia fuit, poſt proconſulis Ciliciæ diœceſi adiecta, ſaltim ex parte transmontana,quæ vltra Taurum erat, quia citerior videtur Eumeni donata, & cum ceteris Attalorum poſſeſſionibus Aſiæ prætori deinceps commiſſa. Galatarum tetrarchiæ, Amyntæ nouum regnum & inde facta noua prouincia, quot & quantis mutationibus obnoxia breui temporis circuitu fuere? Deiotarus enim tetrarchiæ antea, mox totius Galatiæ dominus, amiſit rurſus tetrarchiam vnam ſub Cæſare. Amyntas, Deiotari ſucceſſor, Galatiam, Lycaoniam,Iſauriam,Ciliciam Aſperam, & Pamphyliæ partes poſſedit, cuius

·egno Auguſtus prouinciam impo-
uit, demta Tracheotide, quam Cappa-
loci Archelao donauit. Adeo difficile
:ſt, vbique limites accurate deſignare,
qui non ſemper fixi fuerunt, ſed ſæpius
pro imperantium libidine immutati.

CAPVT XIIX.
DE
INSVLVS CITERIORIS
ASIAE.

IN Propontide PROCONNESVS eſt, marmoris diues, hodie Marmora, vnde Mare di Marmora Propontis appellatur. Troadi TENEDVS aduerſa: Æolidi nobiliſſima LESBVS cum clariſſimis vrbibus *Mitylene*, *Methymna*, *Pyrrha* hauſta mari; ſtudiis etiam litterarum & ſapientiæ in primis inclita. ARGINVSAE tres paruæ inter Mitylenen & Cumam, ad quas Peloponneſios vicerunt Athenienſes. CHIOS Ioniæ obiecta, nunc Scio, vini ferax & marmoris, etiam *Macris* quondam dicta & *Pityuſa*. Alii vero diuerſam a Chio MACRIN ſtatuunt *Myonneſo* Ioniæ ob-

iacentem: DRYMVSSA obuertitur Clazomenis.

SAMVS e regione Ephesi & Mycales promontorii, cum oppido eiusdem nominis. Ad Cariam COS, etiam CEA dicta, Hippocratis patria. Supra Miletum *Pharmacusa*, parua insula, in qua Attalus occisus, & circa eam Iulius Cæsar, cum Rhodum iret studiorum caussa, a prædonibus captus fuit. Ad Ceramicum sinum ignobiles plures: sed MYRTOS parua & hodie incognita *Myrtoo* mari nomen dedit, quod pars Ægæi est ad Asiam spectantis, quanquam Plinius insulam reduxisse in latus Europæum videatur. CARPATHVS, Rhodiorum insula, pariter mari nomen *Carpathici* imposuit.

RHODVS autem non minus litterarum, quam belli ac nauticæ rei studiis longe clarissima, tribus olim vrbibus habitata, *Lindo*, *Camiro*, *Ialyso*, quæ in vnam *Rhodum* postmodo coaluerunt. Portus colosso admirabilis: *Peræa*, regio continentis aduersus insulam, vetustæ Rhodiorum ditionis, Roma-

Romana societate, Antiochi bello, insigniter aucta. Aliæ Pamphylii maris, vt *Crambusa* & adiacentes subobscuræ sunt.

CYPRVS denique vt extrema ita maxima nobiliorum insularum interni maris Asiaticæ partis, contra Ciliciam Trachéam sita, vrbes habuit in occidentali latere *Paphum* vtramque, veterem & nouam, LX stadiis distantes. Vetus *Paphus* religioni Veneris olim sacra, quod ibi vel nata illa; vel mari genita, eo primum appulisse fingebatur. In parte australi fuerunt *Curium*, stationem habens, *Amathûs*, Adonidis templo religiosa, nunc Limisso: *Malum* a Cimone expugnatum, a Ptolemæo euersum ciuibus Paphum traductis: *Citium* Zenonis Stoici patria, morte Cimonis etiam notum: *Idalium* promontorium cum luco, (Straboni *Pedalium*) vnde Venus Idalia poetis: promontorio imminet collis asper & sublimis, *Veneris mensa.* Ab ortu *Arsinoe*, & *Salamis*, caput insulæ, post Constantia dicta, haud procul a Fama-

gustæ loco, ex illius ruderibus enatæ. Inde ad septentriones *Carpasia*, *Aphrodisium*, *Ceronia* siue *Cinyria*: *Lapéthus* siue *Lapathus* aut *Lapithus*; *Soli* siue *Æpea*. Mediterraneæ *Trimethûs* siue *Tremithopolis*, *Chytrus*, & *Tamassus* metallo, quod Æs Cyprium vocamus, opulenta. Dubii situs est *Cnidus* huius insulæ, Veneris olim cultu clara, Ouidio piscosa, vnde in maritimis fuisse coniicitur: etiam *Cythéra* (τὰ Κύθηρα) Veneri sacrum oppidum: & alia *Arsinoe*: item *Golgi*, vnde Venus Golgia. Pleræque vrbes, quæ ad mare sitæ, portuosæ sunt: quatuor autem inprimis celebres, *Paphus*, *Amathûs*, (Ἀμαθοῦς Græce) *Salamis*, & *Lapéthus* siue *Lapithus*, a quibus regiones insulæ nominantur PAPHIA, LAPITHIA, SALAMINIA, AMATHVSIA. Mons *Olympus*, Veneri Olympiæ cognomen dedit: fluuii ferè ignobiles. Insulæ paruæ ab ortu adiacent *Clides* duæ, quasi claues; & *Carpasiæ* totidem: *Stiria* ad occidentem. ELEVSA siue ELAEVSSA continenti Ciliciæ propinqua, iuxta Corycum, regia

Archelai

Archelai Tracheotidem cum Cappadocia possidentis;] postea quoque *Sebaste* dicta.

CAPVT XIX.

DE

CILICIA, CAPPADOCIA ET PONTO.

Cilicia a Pamphylia ad Syriam intra Cyprium mare & Taurum montem protensa, diuiditur in ASPERAM que TRACHEAM (Τραχεῖα Græce & ραχειῶτις) quæ occidentalis est; & AMPESTREM, quæ orientem spectat.

ASPERA CILICIA post *Melam* uuium, veterem Ciliciæ terminum ncipit, cuius litorales vrbes erant *Coacesium* in Pamphyliæ confinio, *Sy-ra*, *Iotape*, *Selinûs*, quæ etiam *Traia-opolis* dicta; *Antiochia super Cragum*, lium a Lyciæ eiusdem nominis mone: *Nephelis* promontorium & oppium. Hunc tractum *Selentidem* Ptoemæus vocat, estque aliis pars Isauriæ naritima, vt capite superiori diximus. nde vsque Calycadni ostia, *Anemu-*

rium vrbs & promontorium: *Arſinoe*, *Celenderis*, caput *Celenderitidis* apud Plinium regionis: *Aphrodiſias*, & poſt hanc *Calycadni* oſtium, duobus promontoriis, *Sarpedone* (Σαρπήδον⊗ ἄκρα,) ab occaſu: *Zephyrio* ab ortu interiectum. Hoc vel flumen vel promontorium Sarpédon Romani imperii terminus in pacificatione cum Antiocho conſtitutum eſt.

Mediterraneæ *Nagidus*, Samiorum colonia, *Philadelphia*, *Cibyra* minor, ad maioris in Phrygia diſcrimen; & *Seleucia* ad Calycadnum, Tracheótis cognomine, quæ etiam Iſauriæ dicitur, morte Traiani ſecundum quoſdam auctores, & concilio Chriſtiano, ſed alîus ſæculi, cum primis clara. In montanis borealibus *Olbus* ſiue *Olbaſa*, Iouis templo & principali ſacerdotio nobilitata.

CILICIAE PROPRIAE ſiue CAMPESTRIS maritimæ fuere *Corycus*, eodem nomine promontorium, oppidum, portus & ſpecus, ab Ioniæ Coryco diuerſa: & poſt *Lami* oſtia *Solæ* ſiue *Soli*,

Argiuo-

Argiuorum colonia, patrii ſermonis incurioſa, vnde nomen Solœciſmo natum; ſed poſt id temporis *Pompeiopolis* dicta, piratis a Pompeio in eam deductis. Supra hanc *Anchiale*, a Sardanapalo, vt fama eſt, condita: *Cydnus* amnis e Tarſo decurrens, & vlterior *Sarus*, & *Pyramus*, poſt cuius oſtium *Mallus* ciuitas erat, vnde *Mallotidis* regionis nomen: item *Caſſipolis*, & *Ægæ* prope *Amani pylas*, & *Iſſus* ad *ſinum Iſſicum* ac *Pinarum* amnem, & Alexandri opus *Alexandréa* poſt ſinum ad *Syrias portas*. Nam tribus ſolum vel quatuor locis Cilicia montibus vallata per anguſtas vias, quas πύλας ſiue portus vocant, adiri poteſt: ex Cappadocia a ſeptentrione *Ciliciis portis*; ab ortu *Amanicis* (Ἀμανίδες Straboni) & *Syriis* pylis.

Mediterraneæ partis fuere *Lamus* ad fluuium cognominem, & *Antiochia* ἡ Λαμώτιδος, *Irenopolis*, & *Tarſus* metropolis, apoſtoli patria, quam *Cydnus* fluuius, Alexandro pæne exitialis, ſecat: iuxta *Pyramum*, e Cataonia de-

fluentem, alia *Antiochia*, & *Mopsuestia*, & *Adana*, nec procul inde *Anazarbus* remota, quæ etiam *Cæsarea* cognominata fuit. Inter Pyramum & *Amanum* montem, latus Ciliciæ ab ortu claudentem, *Ale* siue *Alæ*, a quo oppido *Aleii campi* appellantur: *Castabala*, & *Epiphanéa*, ac prope Issicum sinum *Nicopolis*, Straboni & Ptolemæo laudata, opus, vt videtur, Macedonum. In ipso Amano *Erana*, caput montis, item *Sepyra* & *Commoris* castella a Cicerone capta, & ad eundem montem *Eleutherocilices*, omni memoria sui iuris populus, quorum oppidum *Pindenissum* operosa obsidione Cicero expugnauit; & *Tibaranos*, vicinos horum eiusdem audaciæ, in deditionem redegit.

CAPPADOCIA laxo vocabuli vsu quidquid a Cilicia ad Pontum Euxinum inter Halyn amnem & Armeniam comprehensum est, significauit. Atque sic diuiditur in *Cappadociam Magnam* siue *Propriam*, quæ meridionalis est: & in *Cappadociam Ponticam*,

quæ

quæ septentrionalis, & simpliciter Pontus appellatur. Nunc distincte de Propria siue Magna agemus.

PROPRIAE CAPPADOCIAE inter *Taurum* & *Antitaurum* est CATAONIA, Ciliciæ vicina, cuius oppida fuerunt *Cybistra* Ciceronianis castris clara: *Tynna*, *Tirallis*, *Mopsucrene*, id est Fons Mopsi; *Comana* Cappadociæ fano & sacerdotio illustris, ad *Sarum* fluuium, inde in Ciliam decurrentem. Etiam *Claudiopolin* aliquam heic Ptolemæus memorauit. Supra Cataoniam in Lycaoniæ latere TYANITIS regio, *Tyana* metropolis, patria famosi Apollonii, cuius Philostratus vitam scripsit. Obscuræ ceteræ, ut *Bazes*, *Siala*. Attingit *Argæus* mons, iuxta quem *Mazaca*, vetus regia Cappadocum, postea Tiberio *Cæsarea* dicta cum cognomine πρὸς τῷ Ἀργαίῳ, nec procul abfuere *Macellum*, & *Campæ*, & *Nazianzum*, alio æuo ex episcopi sui fama nobilius. Post montem ab occasu solis GARSAVRITIS regio, in qua *Archelais* caput fuit, quam Halys præfluebat, ab Ar-

chelao rege condita, poſt Claudii Cæſaris colonia: etiam *Diocæſarea*, *Salambria*, & *Nora* caſtellum, in quo Eumenes Antigoni obſidionem tolerauit. Ad Armeniæ minoris confinium *Niſſa* ſiue *Nyſa*, a qua Gregorio Niſſeno cognomen eſt. In hac Cappadocia fuerunt *Leucoſyri*, ſiue id antiquum nomen Cappadocum fuit, ſiue pars eiusdem gentis.

PONTVS ſeu CAPPADOCIA PONTICA diuiditur in tres regiones auctore Ptolemæo, in *Pontum Galaticum*, qui occidentalis eſt & ad Halyn fluuium vergit: & *Pontum Cappadocium*, qui orientem ſpectat: & *Pontum Polemoniacum*, qui inter vtrumque medius eſt.

In PONTO GALATICO *Amiſus* ad mare, Mithridatis regia, qui ei oppidum *Eupatorium* iunxit; ſed victo illo *Pompeiopolis* vtrumque appellatum eſt, ſicut *Magnopolis* ex alia, ſed imperfecti operis, *Eupatoria*, ad *Lyci* & *Iris* confluentes, ab eodem victore inſtaurata. Iuxta Irim amnem etiam poſitæ fuerunt *Sebaſtopolis*, a Sebaſtia, quæ mox ſeque-

ſequetur, diſtincta: *Amaſia* Strabonis geographi patria, *Comana Pontica*, a Comanis Cappadocicis, de quibus ſupra diximus, diuerſa, itidem opulento fano & principali ſacerdotio clara.

PONTI POLEMONIACI maritima *Polemonium* ab rege Polemone conditum, & *Cyteórum:* mediterraneæ *Neocæſarea*, *Sebaſtia*, hodie Siuas: *Ziéla*, ſiue *Zela*, ad quam Triarius a Mithridate, & Pharnaces a Cæſare victi ſunt. Perluitur hic tractus *Thermodoonte* fluuio.

PONTI CAPPADOCII fuerunt ad mare *Cerasûs*, vnde ceraſum arborem primus in Europam Lucullus tulit: *Pharnacia*, munitum oppidum, *Hyſſiportus*, & *Trapezûs*, hodie Trebiſonde. A mari reducta *Cocalia*, *Cordyle*, *Aſiba*. Sed *Phanarœa* fertiliſſima pars Ponti. In Armeniæ confinio *Cabira* (Κάβειρα) erant, in qua vrbe baſilicam Mithridates habuit, poſt *Diopolis* a Pompeio, & *Sebaſte* a Pythodoride, cuius pariter regia fuit, nominata.

CAPVT XX.
DE ARMENIA ET GENTIBVS INTER PONTVM AC MARE CASPIVM.

ANtequam in Syriam descendimus, quæ Cappadociæ in ortum ac septentrionem adiacent, expediemus. Prima est

ARMENIA, in Minorem ac Maiorem Euphrate fluuio diuisa.

ARMENIA MINOR, Cappadociæ proxima & Ciseuphratæa, obscuriora oppida habuit præter *Nicopolin* a Pompeio positam Mithridatis victore: *Satalo*, & *Azam*, quibus *Cæsaream* aliquam Plinius adiunxit, quæ forsan *Neocæsarea* in Euphratis ripa est. In austrum subiacet MELITENE regio, eiusdemque urbs nominis *Melitene*, Plinio *Melita*, imminens Euphrati; & *Sinis* colonia.

ARMENIA MAIOR ab Euphrate inter Mesopotamiam ab austro, partem Colchidis, Iberiam ac Albaniam a septentri-

ptentrionibus, ad Mediam vſque late longeque porrigitur. Fundit fluuios *Euphratem*, *Tigrin*, & *Araxem*, quorum illi Perſicum ſinum petunt, hic Caſpium mare. Montibus altiſſimis cingitur, nec intus minores habet. *Tauri* iuga ab Meſopotamia diuidunt, auſtralis terminus: *Niphates* pars Tauri eſt, vel cum eo cohæret Aſſyriam verſus: *Moſchici* montes ab Iberia & Colchide ſeparant in ſeptentrione: *Antitaurus* ex Cappadocia procurrens ab occaſu attingit: orientale latus *Caſpii* montes claudunt. Interiores *Paryadres*, *Gordiæi* & alii. Montes *Ararath* etiam, in quorum iugo quodam Noæ arca ſedit, in Armenia a doctis quæruntur, & forte ad Caſpiorum iuga pertinent.

Præfecturæ clariores ſunt SOPHENE, ſiue SOPHANENE in conualle Tauri & Antitauri ad Euphratem ſita: aliquando rege proprio vſa, eiusque *Carcathiocerta* metropolis: & GORDYENE ſiue CORDVENE, poſt Tigrim fiuuium ad montes *Gordyæos* & *Niphatem*, cui

MARDI populi ab ortu adiacent. Vrbes nobiliores *Armoſata*, vt in nummo antiquo ſcribitur, vulgo *Arſamoſata*, ad Meſopotamiæ fines, Euphrati proxima; & *Tigranocerta* in excelſo poſita, in ipſo fere Armeniæ & Aſſyriæ confinio, cuius inferiorem partem *Nicephorius* amnis præfluebat: at in campis iuxta *Araxem* fluuium *Artaxata*, regum Armeniorum ſedes: *Artagéræ* (Αρτάγερα) caſtellum vel munitum oppidum, ad quod C. Cæſar, Auguſti nepos, inſidioſe percuſſus fuit.

COLCHIS Euxini Ponti orientale litus occupat, a Trapezuntino ſinu ad Boſporani regni limitem adſcendens. Ab ortu Iberi claudunt. A variis gentibus habitata, Heniochis, Lazis, Moſchis, & proprie dictis Colchis. *Heniochi* meridiem ſpectabant, *Lazi*, Phaſidos ripam vtramque colebant: *Moſchi* ad Moſchicos montes, orientis plagam poſſederunt. Eſt enim tripartita *Moſchica:* pars Colchis, pars Iberis, pars Armenis cedit. *Colchi* autem proprii a Phaſide ad Dioſcuriadem in ſepten-

ſeptentriones habitarunt. Montes *Paryadræ*, qui ſupra Cappadociam ad Euphratis flexionem incipiunt: *Moſchici*, de quibus iam diximus: *Caucaſus*, de quo plura in Iberia dicemus. Flumina *Abſarum* cum caſtello cognomine, Trapezunti propinquum: *Ciſſa*, vnde auſtralem partem Ptolemæus denominat: *Phaſis*, ex ea Moſchicæ regionis parte, quam Armeni obtinent, per Colchidem in Pontum decurrens: *Cianeus* & *Hippus* amnes magis ſeptentrionales.

Vrbes Colchicæ & Ciſſicæ pleræque ſuper Ponticum mare. *Pityûs*, (Ptolemæus corrupte *Opiûs*, MS. *Pitiuſa*) prima a ſinu Trapezuntino: *Rhizus* portus: & poſt *Ciſſæ* & *Abſari* ſiue *Apſorri* oſtia, *Sebaſtopolis* caſtellum, finis Ciſſorum regionis.

Colchis propria hic incipit, eiusque *Phaſis* perampla vrbs ad oſtium *Phaſidis* nauigabilis amnis, Mileſiorum colonia, aureo vellere, quod inde Argonautæ abſtulerunt, & Æetæ regia, & Dianæ Phaſianæ templô perquam inſignis,

ſignis,nec minus nobile emporium: & ſupra *Chariſti*, *Cyanei* & *Hippi* oſtia *Dioſcurias*, itidem Mileſiorum colonia, mercatu diues, etiam *Sebaſtopolis* dicta, in qua Colchicam oram finit Ptolemæus. Mediterranea Colchorum obſcuriora ſunt.

Supra Colchidem SARMATIA Aſiatica a variis gentibus, ſed maxime barbaris habitata, quibus etiam Colchicæ ad litus Ponti immixtæ ſunt, vt *Heniochi* atque *Coraxi*, poſt quos *Sindicæ* gentes & *Cercétæ*, vſque ad *Boſporum Cimmerium* ſiue illud fretum ſunt, quod Mæotin paludem cum Ponto coniungit. Nec fretum ſolum,ſed adiacens etiam regio BOSPORVS dicebatur, & qui regulis eius parebant, BOSPORANI. Caput horum *Phanagoria*, emporium freto impoſitum, cui in Europæ litore Panticapæum reſpondet. Poſt hoc *Cimmerium* vltimo in oſtio oppidum,& promontorium huius nominis ad Mæotin. In Ponto autem proxima Boſporo *Hermonaſſa*, *Sinda* cum portu, *Bata* cum portu, & poſt

Cerceta.

Cercetarum oram *Oenanthia*, & propinquior Dioſcuriadi *Pityûs* alia, Straboni magnâ, quæ videtur Ptolemæi Καϱτεϱὸν Τεῖχος eſſe. Hodie S. Sophia in hoc tractu eſt, quam alii Oenanthiæ, alii Pityuntis loco poſitam opinantur.

IBERIA inter Colchidem & Albaniam media, montibus vndique cincta, a tergo *Caucaſum*, a meridie Armeniam habet. Non intratur niſi per anguſtias, & ex Colchide quidem, vbi *Phaſis* inter montes decurrit: ex *Nomadum Scytharum* ſeptentrionali regione iis faucibus, per quas *Aragus* fluuius elabitur: ab Albania, exciſis ſaxis viâ facta; ab Armenia tandem anguſtiæ ſunt ad fluuios *Cyrum* & *Aragum*, qui antequam confluant, vrbes habent munitas ſaxis impoſitas ad XVI ſtadia inter ſe diſtantes. Cyro *Harmozica* imminet, Arago *Seumara*, quibus aditibus primum Pompeius, deinde Canidius aliique Romani vſi ſunt. Quæ anguſtiæ in Sarmatas tendunt ac ſeptentrionem, famoſæ ſunt veterum *Cauca-*

ſiæ

ſiæ portæ. Oppida Iberiæ *Harmaſtin* & *Neorin* Plinius ponit: Ptolemæus obſcura nomina plura adfert.

ALBANIA Iberiæ ab oriente adpoſita, Hyrcanum mare ſupra Mediam contingit. *Alazon* amnis inter Albanos & Iberos diuidit: a meridie Armenia ſubiacet, & Media Atropatena, infra *Cyri* oſtia. Flumina habet ex Caucaſiis montibus orta *Saonam* terminum ab oriente, *Gerrhum*, *Caſium*, *Albanum*, *Cyrum*: omnia in Caſpium mare euoluuntur, *Alazon* in Cyrum. Ex oppidis ſolam *Cabalacam* Plinius laudat: Ptolemæus multa nominat, ſed obſcura. *Albanam*, vnde nomen poteſt eſſe, inter Albanum & Caſium fluuios in litore ponit. *Caſpiæ* hic *portæ* ſunt ex Albania in Mediam Atropatenam anguſtus inter montes & mare tranſitus, eo fere loco, quo nunc Derbent, vrbs Sophorum regni non ignobilis, ſita eſt.

CAPVT

CAPVT XXI.
DE
SYRIA ET ARABIA,

SYria quinque maiores prouincias habet, Commagenam, Seleucidem, Cœlesyriam, Phœniciam, & Palæstinam. Minores sunt Chalcidene, Palmyrene, Abilene, Chabilonitis, Apamene, Cyrrhestica, singulæ ab vrbibus denominatæ, quæ fere omnes sub Cœlesyria comprehendi possunt, sicut Pieria & Casiotis sub Seleucide siue Antiochena. Plures diuisiones in Palæstina dabimus.

COMMAGENE Amáno monte & Euphrate circumscripta reges proprios ad Vespasianum vsque habuit, postquam reliqua Syria per Pompeium in prouinciæ Romanæ formam redacta fuerat. Caput regni *Samosata* ad Euphratem, *Flauia* cognomen in nummis præferens, Luciani & hæretici Pauli Samosateni patria: ad radices Amani *Germanicia*, patria Nestorii itidem hæretici: & supra hanc *Antiochia*

πρὸς

πρὸς Ταύρῳ, *ad Taurum* cognominata. *Pylæ*, Amanicæ & Syriæ, huc pertinent, quibus in Syriam itur ex Cilicia. *Euphratesiæ* siue *Euphratensis* nomen ex medii æui geographia est, vbi eius oppida recensebimus.

SELEVCIS siue ANTIOCHENE monte *Pierio* a Commagena, cui in meridiem ad mare subiacet, diuisa, montanis *Libani* a Cœlesyria, quæ ad ortum sita est, separatur. Metropoles duæ, *Seleucia*, *Pieria* cognomine, quia in PIERIA regione, id est sub monte Pierio, ad mare posita est, prima post sinum Issicum nobilior vrbs: & *Antiochia* ad *Orontem* fluuium prope ostia, quæ etiam *Epidaphnes* cognominatur, quia *Daphne* aquarum & nemorum voluptate amœnissimus, sed quodammodo eadem de caussa infamis locus, quasi suburbium huius Antiochiæ fuit. Seleucus Nicator vtramque condidit, & istam suo, hanc patris nomine insigniuit: Daphnes amœnitatem Pompeius auxit. Proxima his *Laodicéa* ad mare, cuius ciues Λαοδικεῖς οἱ πρὸς

θάλασσαν

ὑπὸ λαοῖσι dicti, vt a ceteris ciuitatibus
uius nominis discernantur; vrbs no-
bilis & Italici iuris: & *Heraclea* Pie-
riæ. Supra Antiochiam *Casius* mons
est tantæ altitudinis, vt quarta noctis
vigilia solem ex eo conspici creditum
fuerit. Regio inde CASIOTIS appella-
tur, cui præter Antiochiam & Da-
phnen ex mediterraneis Ptolemæus
Larissam, *Epiphaneam* ad Orontem,
Raphaneam, siue *Raphanam*, *Mara-*
thum & *Mariamnen* attribuit, quæ
quod longius a monte absunt, ab aliis
Cœlesyriæ adiudicantur. Ad Antio-
chiam reuertimur, cui *Imma* siue *Im-*
mæ propinquæ erant, ad quas Aurelia-
nus Zenobiam superauit; *Rhosus* op-
pidum inter Seleuciam & Issicum si-
num: *Gabala* Laodiceæ vicina. Pieriæ
in ortum CHALYBONITIS adiecta, cui
Chalybon, vrbs sub Pierio posita, no-
men dedit.

COELESYRIA, quasi caua & inter
editissimos montes *Libanum* & *Antili-*
banum depressa, non eosdem apud
omnes scriptores limites habet. Nos,
pro

pro inſtituto diuiſionis noſtræ, partes ei laxiores damus. CHALCIDENE in ſeptentrione, cuius *Chalcis* præcipua vrbs, ſecunda *Maronias*, obſcuræ ceteræ. In CYRRHESTICA, contermina Chalcidenæ, oppida ſunt *Cyrrhus*; *Berœa*, nunc Aleppo nobiliſſimum emporium: *Heraclea*, *Hierapolis*, antea Bambyce; *Thæna*, & *Paphara*. In ortum hinc PALMYRENE vergit, inter Cyrrheſticam & Euphratem ſita *Palmyra* vrbs inclita, caput aliquando orientis, cum Gallienus imperium negligeret: *Rheſapha*, *Oriza*, *Adada*, & ad Euphratem *Sura*, quibus ad eundem fluuium *Zeugma*, traiectu & ponte nobile oppidum, ſed magis boreale, adnumerari poteſt. APAMENE ad Orontem, ſed fontibus, quam oſtio, propinquiorem, habuit *Apaméam* & *Emeſam*, Elagabali dei templo nobilem, etiam altero Aureliani contra Zenobiam prœlio. *Lariſſa* & *Epiphanéa* mediæ, hic potius, quam in Caſiotide cum Ptolemæo, ſcribendæ ſunt. Alia *Epiphanea* ad Euphratem.

Sequun-

Sequuntur vrbes a Libano, cui apositæ sunt, cognomen adeptæ, *Laodicéa* & *Heliopolis* : & ABILENE regio, cuius *Abila*, Ptolemæo auctore Ἄβιλα ἡ ἐπικληθεῖσα Λυσανίου, vrbs primaria fuit & tetrarchæ sedes. DAMASCENE in meridiem tendit, antiquissima vrbe *Damasco* insignis: & Decapolis, cuius oppida in Galilæa & Peræa recensebimus. Sunt & alia Cœlesyriæ oppida, vt *Philotéra*, *Philadelphia*, *Camus*, quæ certæ regioni non adscripta nominasse iam sufficit.

PHOENICIA subiacet Antiochenæ in austrum; Cauæ Syriæ, in occasum. Maritimæ ciuitates *Orthosia* iuxta Ἐλεύθερον amnem, *Aradus* in insula continenti iuncta : *Tripolis* condita ex trium vrbium conuenis, Tyriis, Sidoniis, Aradiis : *Botrys*, *Biblus*, *Berytus* colonia Felix Iulia ; *Sidon* & *Tyrus* commerciis clarissimæ ciuitates, inter quas *Sarepta* ponitur oppidulum. *Ptolemais* autem inde longius in austrum remota, & mons *Carmélus*, oppidum *Porphyreum*. Est etiam Phœnicia

nicia mediterranea, ſed ſine claris oppidis, niſi *Baſyra*, & cum Ptolemæo *Palæabiblus, Gabala* & *Cæſarea Paneas* ad illam referantur.

PALAESTINA ſiue CANAAN, terra Iſraelitis a Deo deſtinata, ſubdiuiditur in *Galilæam*, quæ ſeptentrionalis eſt, Phœniciæ & Cauæ Syriæ finitima: *Samaritanam*, medio loco ſitam inter Iordanem & magnum mare: & *Iudæam*, quæ in meridiem vergit Ægypto collimitanea. His *Peræa, Trachonitis*, & *Ituræa*, trans Iordanem orientales partes, aut aquilonales, adiungi poſtulant: & *Idumæa* ac *Philiſtæa*, quarum illa auſtralior Iudæa eſt, hæc ab occaſu ſiue mari oppoſita.

Antequam vero ipſam Palæſtinam explicamus, DECAPOLITANAE regionis mentio inferenda eſt, quæ a numero oppidorum nominatur, in quo non omnes eadem obſeruant. Pars illarum Cœleſyriæ vulgo adſcribitur, pars in finibus eſt terræ Iſraeliticæ. Sunt autem ethnici iuris ciuitates, a Iudæorum ritibus, quamuis in illorum finibus

bus erant, alienatæ. Plinius *Damaſcum, Raphanam, Philadelphiam,* in Syria modo nominatas, in hoc numero ponit: præterea *Scythopolin, Gadaram, Hipponem, Dionem, Pellam, Galaſam, Canatham.* Sunt qui pro aliqua obſcurarum *Cæſaream Philippi*, nobiliorem; aut *Caphar Zemach*, vel alias æque ignobiles ſubſtituunt. Nos in ſua quamque regione memoraturi ſumus, ſicut de iis, quæ ad Syriam referuntur, fecimus.

GALILAEA Ioſepho duplex eſt, ἡ ἄνω, *Superior*, & ἡ κάτω, *Inferior*. SVPERIOR ſeptentrionalis eſt & Phœniciæ vicina, continens illam Canaanis partem, quæ *Galilæa gentium* vocatur; & terram *Cabul* a Salomone Tyriorum regi conceſſam, &, quæ ab euangeliſta memorantur, *Tyri ac Sidonis* ὅρια. Ipſe fons Iordanis *Paneas* ſiue *Panius* huc pertinet, iuxta quem *Cæſarea Philippi* tetrarchæ poſita, cognomen, præter conditoris, etiam *Panealis* habuit, aut, ſicut in nummo eſt, ὑπὸ Πανείῳ, *ſub Panéo* monte. Flu-

men *Iordanis* enim cum lacubus, quos facit, terminus Galiææ ab oriente est; sicut ab occasu mare magnum, quanquam maritima plerumque in Phœnicum, Tyriorum maxime, potestate fuerunt. Latitudo autem superioris Galilææ a Tyriorum agro ad *Bersabee* fuit, quam Iosephus mediam inter vtramque Galilæam constituit. Iordanis, a fonte ad lacum *Samochonitidem*, ἐλάσσων *parvus* dictus; a lacu auctior prodiens ad alium, cui *Genesara* vel *Genesareth* nomen est, recto cursu defertur.

Oppida superioris Galilææ, *Dan* terminus Palæstinæ ad septentrionem quæ vel ipsa *Paneas* est, post *Cæsarea* dicta, vt Hieronymo videtur, vel prope eandem posita: *Hazor* in Galilæa gentium supra lacum Samachonitin *Riblat*, iuxta os illius lacus, ex tabula rum positione, nisi cum Hieronymo velis Antiochiam interpretari: *Gaba* ciuitas equestris (πόλις ἱππέων) dicta quod emeritos equestris militiæ in eam colonos Herodes duxit: & maritim

Chezi

Chezib siue *Achzib* aut *Ecdippa*, Phœnicię alias adscripta, sicut etiam *Aco*, siue *Ace*, quæ illi in austrum subiacet, post *Ptolemais* dicta & colonia facta Claudii Cæsaris. Præterea ab Iosepho munitæ *Petra Achabarorum*, *Seph*, *Iamnith* & *Mero*. Montes *Hermon* & *Anana*, ac inter Ptolemaidem & Ecdippam *Scala Tyriorum*, Talmudicis *Süllama dezòr*.

GALILAEA INFERIOR a *Bersabe*, quam itidem Iosephus muniuit, *Scythopolin* usque inter Mediterraneum mare & lacum Genesareth patebat, quanquam quæ ad mare magnum sunt, Phœniciæ quibusdam, vt in superiore etiam factum est, attribuuntur. Tribus in superiore potissimum erant Dan & Aser cum parte Naphthali: cuius reliqua pars, & Issachar ac Zabulon in inferiore habitarunt.

Oppida Inferioris Galilææ, & quidem prope lacum, qui olim *Cinereth*, post *Genesareth*, item *Mare Galilææ*, & tandem *Mare Tiberiadis* vocabatur, erant *Iapha*, *Iototapa*, *Tarichæa*, *Capernaum*,

naum, ac *Tiberias*, olim Rakkath, al
Herode tetrarcha in Tiberii honoren
ornata, academiæ poſtmodum Iudai
cæ domicilium; & ad auſtrum termi
nus Galilææ *Scythopolis*, olim Beth
ſchan, ſola cisiordana ex Decapoli ri
pæ citeriori appoſita, quanquam age
& territorium trans fluuium fuit.
Chammath Tiberiadis, quaſi therma
interScythopolin & lacum ad eanden
ripam, etiam *Emmaus* dicta. Mediter
raneæ *Cana*, *Zipporis* munita, aliquan
do etiam ſedes academiæ: *Nazareth*
altera patria Seruatoris, poſt monten
Tabor (Ἰταβύριον Ioſepho, qui eun
dem muniuit,) & *Naim* ſiue *Nain*: *Ar*
béla inter Zipporim & Tiberiada. In-
certioris ſitus *Chorazin*, ſed potius i
Galilæa fortaſſe, quam in Peræa, quæ
renda: item *Salamis*, *Pereccho*, oppi
da a Ioſepho munita, & *Parathus*. Oc
cidentalem oram *Carméli* iuga tenent
in quibus & oppidum fuit, & oracu
lum Carmeli dei, quod Veſpaſianu
conſuluit. In mare prominet, vnde
promontorium quoque dicitur. A
auſtr

austro montem amnis *Kischon* præter-labitur, & ad radices eius e palude *Cendeuia* riuus *Belus* emanat, vitri fertiles arenas litori proximo admiscens. Sed nihil illustrius in maritimo hoc tractu fuit quam *Cæsarea*, antea *Turris Stratonis* dicta, ab Herode in Augusti honorem splendidissime exculta, caput postmodum prouinciæ Iudææ, & sedes Præsidis.

SAMARIA, vt regionis SAMARITIDOS nomen est, tribui Ephraim & dimidiæ Manasse habitaculum præbuit. Metropolis *Samaria*, monti imposita, Regum Israelis sedes; tandem ab Herode instaurata & in Augusti honorem *Sebaste* dicta. Ante conditam ab Omri rege Samariam, *Thirza* sedes regia erat: at euersâ per Assyrios Samariâ, hoc est secundi Iudæorum templi temporibus *Sichem* (Σίκιμα & Συχὰρ) metropolis facta, ex incremento & ornamentis suis *Neapolis* vocata, quod nomen hodieque retinet. Proximus huic vrbi mons *Garizim*, religioni sacer, cuius templum a Sanballath ex-

 stru-

ſtructum, a Ioanne Hyrcano, Simonis filio, euerſum fuit. E regione mons *Ebal* opponitur, diris imprecationibus olim, ſicut *Garizim* ſiue *Griſim* fauſtis precibus, deſtinatus. Reliqua oppida *Machmas* in finibus tribus Ephraim & Beniamin: & *Bethoron* ſuperius, quod Salomo muniuit: *Acrabata*, *Gophna*, *Thamna*, vnde toparchiarum nomina apud Plinium ſunt *Acrabatene*, *Gophnitica*, *Thamnitica*. Item *Ieſreel*, & *Tanach*, Deboræ victoria non ignobile oppidum, & propius Iordanem *Ephra* Gideonis hiſtoria & Abimelechi parricidio notum: *Alexandrium* caſtellum, *Phaſelis*, Herodis opus, honori & memoriæ fratris exædificatum; *Zartan* in ripa Iordanis, vbi aquæ ſtare cœperunt, vt Iſraelitis tranſitus pateret. *Ephron* ad *montana Ephraim*, quæ regionem a meridie claudunt, ſicut ab aquilone montes *Gilbóe*, Saulis & Ionathanis cladibus infames. *Bethel* etiam, Ierobeami idololatriæ dicatum, in his oris quidam ponunt, diuerſum a *Bethel* Iudææ, quod patriar-

riarchæ inhabitarunt. Plinius addit *Gamalam*, ſed aliam fortaſſis ab illa munitiſſima, quæ in Peræa ſita eſt. Maritimum tractum a *Dora*, quæ ſupra *Cæſaream* poſita, ad *Ioppen* vſque deducunt, quem totum alii Phœniciæ adſcribunt; nos ſupremam partem Galilææ, cui ſitus reſpondet, reliquimus. *Mageddo* Cæſareæ propinqua, ſed a mari remotior: *Antipatris* autem, ab Herode in patris honorem ornata, antea *Caphar Salama*, Iudæ Maccabæi victoria illuſtris, vel *Capharzaba*, in litore fuit, inter Cæſaream & Ioppen media: *Apollonia* inter Ioppen & Antipatrida: *Saron* ſupra Ioppen, non autem litoris, ſed amœniſſimi campi in mediterranea Samaritarum vergentis.

IVDAEDA a montibus Ephraim ad Egypti & Arabiæ deſerta inter magnum mare aut Philiſtæam, & lacum *Aſphaltitidem*, quem *Mortuum mare* vocant, porrigitur. Metropolis *Hieroſolyma*, clariſſima vrbium orientis, non Iudææ modo, a Chaldæis & Romanis

manis euerſa, ab Ælio Hadriano aliquantum inſtaurata, ſed ſub *Ælio Capitolinæ* nomine, procul inde Iudæorum gente amota. Vicina *Bethlehem*, Meſſiæ patria: & *Emmaûs* ſub Elagabalo *Nicopolis* dicta: *Hierichûs* cum palmeto ſuo & balſami paradiſo: *Archelais*, & ipſa palmarum prouentu non ignobilis: *Hai* a Ioſua deleta; *Bethel*, patriarcharum habitaculum: & *Bethauen*, præterea *Hebron*, *Siloh*, *Rama* ſiue *Ramatha*, *Gabeon*, *Thecua*, *Nob*, *Anatoch*, *Kiritiearim*, & alia ex ſacris hiſtoriis notiſſima oppida. *Ephraim* ſiue *Ephrem*, ad finem ſolitudinis Hierichuntinæ ſeu *Quercetanæ*. Occaſum ſpectabant *Bethſchemes*, & poſteriori æuo *Eleutheropolis*, prope fines Philiſtææ.

Occidentalis enim & maritima ora vetus PHILISTAEA erat, Philiſtæorum, Iſraelis hoſtium, patria, tandem

tandem a Iudæis ſubacta, cuius ciuitates a ſeptentrione in auſtrum eunti fuerunt *Gath*, *Ekron* ſiue *Accaron*, *Azotus* ſiue *Aſdot*, *Aſcalon*, & *Gaza* alte munita, qua theſauros Perſæ, cum Ægypto bellum inferrent, repoſuerunt. Hæc Philiſtæorum Pentapolis, omnes mari appoſitæ vrbes & olim præpotentes, quibus addimus, & quidem in auſtrali plaga, *Maiumam*, Gazæorum emporium: *Anthedona*, ἀνθηδὼν recto caſu, aliquando Ἀγριππιὰς cognominata: *Raphiam* in Ægypti confinio, prœlio Antiochi Magni & Ptolemæi Philopatoris nobilitatam. Ex boreali parte Iudææ Philiſtæis vrbibus vicinæ ſunt *Ioppe* (Ebræis Iapho) portu inſignis & Andromedæ fabula: *Iaſneh* ſiue *Iamnea*, eaque gemina, portus, & reductior inde ciuitas, ſynedrii aliquando ſedes: & interiores *Lydda*, Iudæis *Lud*, poſtea *Dioſpolis* vocata; & *Bethar*, Græcis *Bitter*, Pſeudomeſſiæ Ben

Cozbæ munimentum, ab Romanis captum deletumque: *Gezer* siue *Gazar*, post etiam Syrorum dialecto *Gadara*, in Samaritanæ collimitio.

Australis terminus Iudææ antiquitus fuit *Bersabe*, cui *Gerara* ab ortu adiacebat, supra *Cadesbarneæ* solitudinem: aut *Schihor*, sacris litteris *Ægypti fluuius*, vltra Raphiam, iuxta *Rhinocoluram* in mare decurrens. Et hæc ad mare Ægyptium, portio fere tribus Simeonis: ex altera parte ad Mortuum mare *Zoar* limes fuit, superstes sola ex Pentapoli Iordanis. nam proxima huic *Sodoma*, & supra eam *Gomorrha*, *Adama*, *Seboim* amœnissimorum mœnium & camporum loco bituminosum lacum ostendunt, a quo Iordanis amnis absorbetur: Medio tractu, aut potius in ortum magis ad Asphaltitem vergente, montes *Seir* erant, vetus *Edomitarum* habitatio, siue IDVMAEA, montuosa regio, Iudaicæ ditionis inde a Dauidis temporibus facta. Oppida erant *Duma*, *Dedan*, *Bozra*, & *Elusa* quondam Veneris templo

templo clara: & alia ignobiliora. Latius poſtmodo hoc nomen repſit, & non ſolum Simeonitis, ſed omnis fere auſtralior Iudæa intra Idumæam fuit.

PERAEA, transiordana Iſraelis poſſeſſio, diuiditur in Peræam propriam, Batanæam, Trachonitidem, Auranitidem ſiue Ituræam.

PERAEA PROPRIA, Amorrhitarum regio, in auſtrum vergit a lacu Geneſareth ad fluuium *Arnonem*, qui ex *Maobitide* delapſus effunditur in lacum Aſphaltiten. In extrema parte meridiem verſus caſtella erant, *Herodium*, ab Herode magno exſtructum, ducentis a Hierichunte ſtadiis, iuxta quod etiam ſepultus fuit: & *Machærûs*, baptiſtæ vinculis & ſanguine, vt vulgo creditur, nobilius factum. Et vetuſtiora Rubenitarum oppida *Emath*, *Boſor* ſiue *Bezer*, *Nabo*. Nec longius videntur abfuiſſe *Salim* & *Ænon*, loca baptiſmate Ioannis celebrata, vt ex huius cum Herode familiaritate coniicitur. *Bethabara* autem & ipſa in Peræa fuit, ſed quod tranſitum

notat, ad publicum aliquem Iordanis traiectum, vel Hierichuntinum, vel, vt doctioribus visum est, ad Scythopolitanum pertinuit. Scythopolis enim, vt supra diximus, in Cisiordana sita maiorem agri partem trans fluuium possedit. Inter vtrumque, quem nominauimus, traiectum, *Adam* ciuitas fuit, centrum partitionis aquarum, cum Israel Iordanem transiret.

BATANAEA (antiquum regnum *Basan*, sibilo cum T, Syrorum more, permutato) Galilææ e regione opposita. Eius ad lacum Genesaram oppida erant *Bethsaida* (vt recte locauit Lightfootus) postea *Iulias* appellata: *Gamala* valide munita, ac regio Γαμαλιτικὴ circa eam: & alia *Iulias*, sed *Betharamphtha* prius dicta, prope superius Iordanis ostium. Hæc ab Herode, illa a Philippo filio ornatior facta, vtrobique ex Augusta familia petito nomine. Præter hæc *Magdala, Dalmanutha, Chammat Gadaræ* ad ostium fluuii inferius, quod, & Chammath Tiberiadis cis fluuium, idem aut coniunctum

unctum oppidum est: *Golan* autem caput *Gaulanitidis* regionis, in superiorem & inferiorem diuisæ. Pleræque heic ciuitates Δεκαπόλεως erant, vt *Hippo* ad lacum, gentili nomine Susitha: *Gadra* cum vicina *Gergesa*, & orientem versus *Pella*, Christianorum suffugium in obsidione Hierosolymitana: *Dios* inter Gadaram & Pellam. Et *Galaaditis* regio pars Batanææ cum oppidis *Gileaad, Ramoth, Iabes, Bosorra* siue *Bosor*.

TRACHONITIS Arabibus proxima, ab oriente Batanææ coniuncta: ab septentrione AVRANITIS (Αβρανῖτις & Αυρανῖτις) quæ eadem videtur ac ITVRAEA, aut ita commistæ finibus, vt diuidi difficulter possint. Philippo enim Lucas Ituræam & Trachonitidem: Iosephus Trachonitidem cum Batanæa & Auranitidem attribuit, quæ argumento sunt, non admodum diuersas fuisse Ituræam & Auranitidem. Sed hæ sine claris vrbibus fuerunt, vt solet in Arabicis gentibus, quibus vicinæ sunt, moribus etiam & vitæ instituta-

ſtituto perſimiles. *Cæſarea* autem *Philippi* in Galilæa fuit expoſita.

ARABIA triplex eſt, Petræa, Deſerta & Felix.

PETRAEA ARABIA ab Ægypto inter Idumæam ſive Iudæam, & receſſum Arabici ſinus *Ælaniticum* ad Deſertam vſque iuxta lineam, quam Syriæ limites faciunt, extenditur. Initium auſtralis partis eſt *ſinus Heroopolitanus* in Ægypti confinio: ſeptentrionalis, *Caſii*, Ægyptii montis, radices orientales. Continet deſerta loca, quibus XL annos Iſraelitæ inerrauerunt, cum montibus *Sinai* & *Horeb* ſiue *Oreb*. Variis gentibus habitata, *Canchleis*, qui quibusdam *Amalekitæ* videntur; *Cedreis*, a *Kedar* appellatis: *Nabatæis*, quorum metropolis *Petra* eſt, vnde nomen regioni impoſitum: *Midianitis*, poſt Arabicum ſinum; *Agarenis*, quos *Saracenos* alio ſæculo nominarunt, *Iſmaelitarum* poſteros: & *Moabitis* ab ortu æſtiuo ſeu ſeptentrionali. Oppida ad Arabicum ſinum poſt Ægypti Heroopolin, *Phara*, vnde nomen ſolitu-

ſolitudini *Pharan* ſiue *Paran* eſt, cuius partes ſunt *Kades*, *Zin* & aliæ ex ſacris hiſtoriis notæ: *Ælana* ſiue *Elana* ſupra *ſinum Ælaniticum*, Arabici ſeceſſum borealem, quod oppidum etiam *Aila* & *Ailath* Hieronymo, & *Ailanum* Byzantio Stephano appellatur: *Eziongeber* ſiue *Aſiongeber* iuxta Ælanam, Salomonis & Ioſaphati nauale, ex quo in Indiam claſſis emiſſa. Oppida mediterranea præter metropolin *Petram*, ſedem Nabbathæorum regum, & poſt Aretæ, a Ptolemæo ponuntur *Geraſa*, vicina Ælanæ: *Moca*, *Ziza*, *Esbuta* ſiue *Esbûs*, epiſcopalis poſt id ſedes: & alia, in finibus Deſertæ, metropolis *Boſtra*, a Traiano, vt ex nummis apparet, ornata, Philippi imperatoris patria. Huic vicinæ erant *Philippopolis* ab iſto imperatore condita, *Dia* & *Dionyſia*. Petrææ

DESERTA ARABIA ab ortu adiacet & ad Chaldæos pertingit: a ſeptentrione Syros habet poſt Peræam vsque *Thapſacum* Euphrati impoſitum: a meridie Arabas Felices. *Scenitæ* in ea populi &

Noma-

Nomades, varie denominati, ſed ignobiles plerique, vt Agræi, Agubeni, Cauchabeni, Marteni & alii. *Ammonitidis*, partis huius Arabiæ, caput & regis ſedes *Rabba*, a Dauide expugnata. Vrbem *Geraſam*, ab Ammiano laudatam, in his oris poſt Batanæam Hieronymus locat, quaſi eandem, quæ *Gargáſi* aut Geraſenorum ciuitas dicitur, iuncta monti Galaad. Et ipſe (de Ebraicis Locis libro) Arabiæ vrbem inſignem vocat. Sic aliam oportet hanc eſſe a Ptolemæi Geraſa. *Philadelphia* quædam non videtur longius abfuiſſe, ab eodem Ammiano in præcipuis Arabiæ numerata. Cetera obſcuriora, quæ a Ptolemæo oppida nominantur. In extrema orientem & Tigrim verſus parte, *Atra*, ſiue *Hatra*, vrbs *Atrenorum* munitiſſima, vndique deſertis locis cincta, quam fruſtra Traianus & Seuerus, Romani imperatores, oppugnarunt.

FELIX ARABIA vtrique, Deſertæ & Petrææ, in auſtrum ſuppoſita inter Arabicum Perſicumque ſinus. Odorife-

ra,

:a, diues, & beatæ cognomine digna. a variis inhabitata eſt populis, ſed principes illorum *Sabæi*, eorumque metropolis *Saba*, quæ etiam *Marab*, Græcis Μεριάβα dicta fuit, Plinio *Mariaba*, cuius regina ad Salomonem venit ſapientiæ ſtudio excitata. Pars Sabæorum *Atramitæ*, quorum caput *Sabota* ſiue *Sabatha*: his in mediterraneis *Minæi* iunguntur: & in alia gente *Siby* oppidum, Græcis *Apate*, cuius *Apatæi* incolæ, a fraude nominati. *Panchaia* vel ipſa Sabæorum regio eſt, vel ei propinqua, maxime enim thurifera a poetis laudatur. Inter *Larem* fluuium & Rubrum mare alia metropolis *Nagara* Ptolemæo, ceteris *Negra*, Arethæ martyrio & pſeudomeſſiæ cuiusdam fabulis nota. *Homeritis* populis eam Cedrenus tribuit. Alia in litore rubro oppida *Marane*, *Corolia*: & intus *Naſcus*, *Carnus*, & *Tomala* emporium. De Mohammedanorum ſacris vrbibus, *Mecca* & *Medina*, in medii æui geographia dicemus. In limine huius Felicis Arabiæ, Ægyptum verſus,

verſus, ponunt etiam *Nyſam* urbem, in cuius antro Bacchus a nymphis fingitur educatus: quam fabulam alii ad Nyſam Indiæ reductam volunt.

CAPVT XXII.
DE MESOPOTAMIA ET CHALDAEA.

MEſopotamia duobus fluminibus, vt nomen indicat, id eſt Euphrate & Tigri incluſa, a ſeptentrione Armenos, a meridie Chaldæos proſpicit.

Pars ſeptentrionalis Meſopotamiæ, & quidem Euphrati propinquior, ex aduerſo Commagenæ, OSRÖENE ſiue OSDRÖENE (Ὀσρόηνή & Ὀσδρόηνή) vocatur, præſertim a ſcriptoribus æui poſterioris; in qua Zeugmati Syriæ *Apameam* quandam Plinius & Stephanus opponunt, quam alii negant: deinde *Batnæ* erant, amœnitate commendatum oppidum inter Euphratem & *Edeſſam*, Abgarorum regiam & caput Oſdroënes. Plinio *Arabia* dicitur, ab Arabica gente, quæ incolebat. Alterum

um vero nomen ab Osdroë quodam
regulo est sub Persarum imperio. Ab
ortu iuxta Armeniæ montes ANTHEMV-
SIA attingit, ab *Anthemusiade* vel *Anthemunte*, munito oppido, nomen ducens. His propria MESOPOTAMIA subiacet, in qua *Nisibis* & *Singara*, orbis Romani propugnacula, modico intervallo a Tigri remota: etiam *Amida*, & intus *Eleia* & *Rhesaina*. Occidentali latere *Carræ* sunt, (patriarcharum *Haran*) Macedonum colonia, prope amnem *Abóram*, Romano præsidio aliquot sæculis densensæ. Hanc inter vrbem & Euphratem *Callinicum* siue *Callinicopolis*; & *Nicephorium* in vicinia Euphratis Alexandri iussu conditum, & *Maguda*, cui in opposita ripa obiacebat *Thapsacus* & ex ruderibus eius enata *Amphipolis*, in Syriæ & Arabiæ confinio. *Circessum* autem siue *Circesium* castellum in angulo fuit, quem *Abóras* siue *Chabóras* fluuius cum Euphrate facit, cui ibidem miscetur. Inde in ripa Euphratis *Zaitha*, & *Dura* siue *Dora*, iuxta quam Gordiani, ibidem

dem interfecti, tumulus fuit: *Anatha* caſtellum ab Iuliano captum & exuſtum: *Sitha, Megia*, & *Zaragardia*, quæ Traiani tribunal lapideum habuit, Iuliani etiam temporibus ſuperſtes. Sciſſio Euphratis excipit, & ſuperiori alueo appoſitæ vrbes *Berſabora, Maiazomalcha* & aliæ, in Babyloniæ finibus. *Vr* quoque, Abrahami patriam, eruditi in Meſopotamia quærunt, quod exinde per Haran ſiue Carras in Palæſtinam iter fuit, & tali fere ſitu *Vr* caſtellum Ammianus deſcripſit. Inferiora enim Meſopotamiæ non raro Chaldææ nomen induunt, ſicut ſuperiora Babyloniæ regionis, nomen Meſopotamiæ.

CHALDAEA ſiue BABYLONIA à diuortio Euphratis ad ſinum Perſicum & deſerta Arbiæ Pertingit. Euphrates enim natura & arte diviſus Meſopotamiam ſeptentrionali alueo præterfluit, cui, ſed prope Tigrim, *Seleucia*, Babylonia cognomine, ingens ciuitas & Parthorum regni præcipua, impoſita fuit, aut ad confluentem vtriusque:

usque: nam etiam Tigri finitimam faciunt. *Coche* prope aberat, aliis vetus Seleuciæ nomen. Etiam nobilis alueus *Naarmalca*, hoc est Regis fluuius siue fossa, qui *Chobar* videtur Ezechielis esse, a Chobare præfecto appellatus: fossam regiis auspiciis ex Euphrate in Tigrin deducente. Sed alveus per *Babylonem*, orientis quondam caput & miraculum, decurrens præcipuus & vel solus Euphratis nomine dignus. Iudaicis etiam scholis insignes vrbes in his alueorum ripis fuerunt *Sora* vel *Suria*. *Neharda*, *Pombeditha*, *Schephithib*, *Kupha*. Et ipsum *Paradisum*, eiusque quatuor flumina, in hoc Euphratis & Tigridos vicinitate, sapientes quæsiuerunt. Ab ortu *Mesene* regio, Tigridos alueo ambiente quasi interamnia, in qua *Apamea* cum *Mesenes* cognomento fuit. Hæ fere sunt, si *Volgesiam* Ptolemæi addideris, Babyloniæ ripensis ciuitates, omnes circa diuisiones magnorum fluminum sitæ, quarum principes habentur, quas modo laudauimus, *Babylon* & *Seleucia*,

Austra-

Auſtralis pars Chaldææ obſcuriſſima, præſertim vbi ad Arabiam Deſertam pertinet. Ad Tigris oſtium occidentale *Terédon*, hodie Balſera ſiue Baſſera.

CAPVT XXIII.
DE
ASSYRIA, PERSIA, MEDIA, ET FINITIMIS REGIONIBVS.

QVæ cis Tigrim erant, luſtrauimus: quæ inter Tigrim & Indum fluuios, hoc eſt vetus Parthorum aut Perſarum regnum, nunc ingrediemur.

ASSYRIA ad Tigris ripam orientalem ſita, Armeniam a ſeptentrione, ab ortu Mediam, a meridie Suſianam habet. Regia & metropolis *Ninus*, ſacris ſcriptoribus *Nineue*, vrbium maxima, vtpote ccccxxc ſtadiorum ambitu. Tigris eam præfluit. Ad eundem fluuium, ſed Euphrate iam auctum, in auſtrum magis remota, *Cteſiphon* fuit, hiberna ſedes Parthicorum regum, ex aduerſo Seleuciæ, a qua, ſi non alio ſpacio, tamen fluuio diſtingue-

guebatur. In regione a Tigri receden-te inter *Lycum* & *Caprum* amnes *Gau-gamela*, Alexandri altero contra Per-ſas prœlio maxime notabilis locus: & ad ripam Capri *Arbéla*, quibus, vt no-biliori oppido, prœlium iam notatum vulgo adſcribi ſolet. *Apollonia*, quæ Plinio *Antiochia*, magis orientalis. Omnes hi fluuii Tigridi infunduntur. Cetera oppida, quæ Ptolemæus laudat, ignobiliora ſunt. Idem in regiones diuiſit Aſſyriam, quæ ſunt ARRAPACHI-TIS iuxta Armeniam, SITTACENE iuxta Suſianam, in qua *Ctepſibon* fuit, prin-ceps vrbs Parthorum, & *Sittace* & *A-pamea*: ſed nobiliſſima ADIABENE, in qua *Ninus*, *Arbéla* & *Gaugamela*, adeo vt tandem, Aſſyriæ nomine pæne abolito, omnis hic tractus *Adiabéne* vo-catus fuerit, vnde Romani etiam im-peratores cognomenta ſibi petierunt. Ptolemæus tamen ex Arbelorum agro nouam regionem *Arbelitidem*, ſicut ex Apolloniæ, *Apollonitidem* conſtituit. Adiabenis CARDVCHI connectuntur ab occaſu æſtiuo, poſt CORDVENI dicti, ab Arme-

Armeniæ Gordyenis parum diſtincti, quod ambigui ſitus Corduene fuit, de qua Parthi cum Armenis Pompeio iudice litigarunt. Tigris, fontibus propinquus, Corduenam præterfluit.

MEDIA Albaniæ & Armeniæ finitima, inter Perſiam & Caſpium mare ſita, duplex ſecundum Strabonem eſt *Magna* & *Atropatia*.

MEDIA ATROPATENE ad occaſum æſtiuum Magnæ oppoſita, ab tergo *mare Caſpium* habet, & *Araxem* fluuium, quo ab Armenia ſeparatur. Nomen trahit ab Atropato duce, qui obſtitit, ne in Macedonum ea poteſtatem veniret, cuius poſteri etiam cum regio titulo ad Strabonis tempora poſſederunt. Duæ præcipuæ vrbes, *Gaza*, regulorum ſedes: & *Vera*, ab Antonio in Parthica expeditione oppugnata. Populi heic ſunt CASPII, ad Armeniæ montes & mare Caſpium: & CADVSII, quorum *Cyropolis* ad mare fuit; & *Cyri* fluminis oſtium: præterea *Tigrana* (Ammiano *Patigrana*) & obſcura *Pharambara*, *Phanaſpa*.

MEDIA

MEDIA MAGNA, Parthiæ contigua & Perſidi, imperium vſque ad Aſtyagem tenuit. Caput & regia *Ecbatana*, opulenta vrbs, qua vſi quoque ſunt Perſarum reges æſtiuo tempore, ſicut etiam poſtea reges Parthorum. *Ragæ* ſiue *Ragéa* (in Tobiæ hiſtoria *Rages*) nomen forſan dederunt *Ragianæ* Ptolemæi ſatrapiæ: Nicator *Európum* nominauit, Parthi *Arſaciam*, in Parthiæ confinio: poſt *Gazaca, Zompis.* Prope Caſpias portas *Medi Pratitæ*, id eſt mercatores. Auſtralis pars in Perſidis limite PARAETACENE dicta, cuius oppida fuerunt *Parætaca* & *Tabas*. *Heracléam* etiam in his oris locant & *Laodiceam*: de *Apaméa* dicemus in Parthia. Aliæ regiones Ptolemæi ſunt *Daritis*, *Elymais*, *Sidices*.

PARTHIA olim anguſta & obſcura regio, PARTHIENE appellata: poſt defectionem a Syris vaſtum imperium & ipſis Romanis formidabile, Mediam, Perſiam, Hyrcaniam, Aſſyriam & reliquum orientem complectens. Sed iam de propria Parthorum ſede dicen-

dum, siue ea regione, quæ inter Hyrcaniam & Carmaniam inclusa est, Ariæ ab ortu opposita, Mediæ ab occasu solis. Metropolis & Arsacæ regia *Hecatompylos*, non procul a loco, quo hodie Isfahan Persarum regia est: *Apamea, Raphane* cognominata, ad limites Mediæ, cui etiam a Plinio adscribitur; & *Calliope*, ibidem Medis opposita. *Tagæ* ad fines Hyrcaniæ: *Nisæa* sepulcris regum clara: *Alexandropolis* a Plinio memorata. Seleucia quidem & Ctesiphon sæpissime Parthorum vrbes appellantur, sed extra Parthienen sitæ, illa quidem trans Tigrin in Chaldæorum quidem trans Tigrin in Chaldæorum limite: hæc cis eundem fluuium in Sittacene vel *Chalonitide*.

HYRCANIA Parthiæ a septentrionibus contermina. Ab tergo Caspium mare habet, quod heic *Hyrcanum* appellatur, vsque ad *Oxi* ostia: ab ortu Margiana: ab occasu Media est. Polybio auctore *Syrinx* metropolis, *Tabrax* vel *Tabrace* post illam: *Aruas* a Curtio memoratum oppidum: *Hyrcania*

ania μητρόπολις apud Ptolemæum, videtur eadem, quæ Syrinx Polybii eſt. *Zioberis* miræ naturæ flumen a Curtio deſcribitur. BARCANI Hyrcanis finitimi, ſed quò latere, incertum.

MARGIANA ſola in hoc tractu viifera regio, inclitæ apricitatis, ab occaſu Hyrcaniam attingit, Arianos a meridie. *Oxus* diſterminat in ſeptentrione a Sogdiana: ab ortu Bactriana adiacet. Alexander in ea *Alexandriam* condiderat, qua diruta a barbaris, Antiochus Soter *Antiochiam* ſubſtituit, Margianam cognomento, quam *Margus* amnis, a quo nomen regioni eſt, interfluebat. In hanc Orodes Romanos, Craſſiana clade captos, deduxit. Ad fontes Margi, *Niſæa* ſiue *Nigæa*. Ptolemæus heic TAPOROS (Ταπόρȣς) & DAMAS populos ponit: Plinius addit MARDOS quos alii in Armenia, in Media alii locauerunt: DERBICES ſecat amnis *Oxus*.

BACTRIANA Margianæ ab ortu oppoſita, *Ocho*, qui in *Oxum* influit, inter vtramque termino. Boreale latus

Oxus claudit perinde ac Margianæ: auſtrale Aria & Paropamiſis. Caput gentis *Bactra*, quæ eadem & *Zariaſpa*. Eſt enim fluuius *Zariaſpis*, & gens *Zariaſpæ*, Bactrorum ciues. *Alexandria*, iuxta Bactra, Plinio atque Stephano: cetera oppida omnia obſcura. *Maracanda* autem quod Ptolemæus heic ponit, cum Arriano & Curtio in Sogdiana ſcribemus.

SOGDIANA autem inter *Oxum* & *Iaxartem* fluuios, nunc Mawaralnahra, populo Scythis permixto habitata, regiam habuit *Maracanda*, amplam & munitam vrbem, quæ videtur Tamerlanis Samarkanda eſſe. *Marginia* Curtii, prima poſt *Oxum*, aliis ignota, quod in cauſſa eſt, cur Margianam malint recentiores legi, & reduci cis amnem. Ceteræ ſunt *Panda* Plinii, *Alexandria* Oxiana Ptolemæi, & eiusdem *Alexandria* ἐσχάτη, *vltima* cognomine, ſupra quam *Cyropolis* erat ab Alexandro diruta, ſicut & *Gazæ*, & oppidum *Memacenorum*. Nec *petra* Sogdiana ſilentio prætereunda, inexpugnabilis

gnabilis visa ; tamen ab Alexandro capta. Etiam CHORASMIOS in hoc tractu locant, & iuxta Oxum OXIANOS.

In meridiem ex septentrione pedetentim regredimur, vbi proxima est

PARAPAMISVS regio, a monte *Parapamiso* nomen adepta, quem *Caucasum* Macedones vocabant, cui reuera eius iuga longissime procurrentia cohærere dicuntur. *Parapamisadæ* (Ptolemæo *Paropanisadæ*) populus, ab ortu Indos, ab occasu Arianos attingunt; australe latus Arachosii: aquilonale Bactriani claudunt. *Alexandriam* in hac gente a victore conditam Arrianus memorauit: cetera sunt ignobilia.

ARIA, siue ARIANA regio, ab ortu Parapamisadis, ab occidente Parthis, Drangis a meridie, Margianis & Bactrianis a septentrione opposita. Hodie Chorasan. Metropolis & regia *Artacaena* siue *Artacoana* & *Artacana*: & noua ibi condita *Alexandria*, ἡ ἐν Ἀρείοις cognomine, quam *Arius* amnis præfluebat: & *Artacabane* ab Antiocho iterum munita: & *Susia*.

Populi *Arii* & *Ariani*, quos alii diſtinguunt vt Mela *Ariam* & *Arianen*, ſed tanquam vicinos: aut *Ariam* arctius limitant ex deſcriptione noſtra: *Arianam* & finitimas gentes, ab Ariis ſubactas, credunt comprehendere.

In auſtrum ſubiacet DRANGIANA, obſcuris oppidis habitata, præter *Prophthaſiam* & *Ariaſpen*, vnde *Ariaſpæ Euergetæ* dicuntur, vulgo *Agriaſpæ*. Orientem verſus ARACHOSIA fuit, vltima ad Indiam Perſicarum ſatrapiarum. Populus *Arachótæ* & *Arachoſii*, quibus Parapamiſus ab aquilone eſt; pars Gedroſiæ ab auſtro. In his quoque *Alexandriam* quandam Ptolemæus ponit: Plinius *Arachoſiam* oppidum & flumen. GEDROSIA tam Drangianam, quam Arachoſiam a ſeptentrionibus habet: Indum fluuium ab ortu: Oceanum ab auſtro: Carmaniam ab occaſu. *Gedróſi* & *Gedruſi* incolæ: *Pura* illorum regio apud Arrianum: cetera obſcuriora. *Ichthyophagi*, maxime barbari populi, in hac & Indica maris ora ponuntnr.

CARMA-

CARMANIA inde ſupra mare *Erythræum* in occaſum vergit vsque ad Perſidem, quam *Bagrada* amnis (ſic Ptolemæus vocat) a Carmania diſtinguit. Metropolis *Carmana* apud Ptolemæum, prope ſolitudines, quæ ſeptentrionalem partem occupant, ſiue inter Parthiam & Carmaniam interiacent. Propius a mari *Alexandria* aberat, & *Sabis* ad flumen cognomine. Circa *Anamin* ſiue *Andanim*, vt alii vocant, *Harmozia* locus, vnde ad noſtrum æuum nomen hæſit inſulæ Ormus.

PERSIA ſiue PERSIS inter Mediam & *ſinum Perſicum* poſita, ab ortu Carmaniam, ab occaſu Suſianen habet. Caput *Perſepolis*, regia Perſarum. Mediæ montibus, quam mari, propior, ab Alexandro deleta, ſaltim arx eius cremata. *Paſargadæ* ſiue *Perſagadum*, Cyri opus eo loco, quo is Aſtyagem vicerat; ſepulcro eiusdem Cyri honeſtatum, non longiſſimo a Perſepoli in ortum intervallo. *Laodicea* extremis finibus Mediam verſus ab

Antiocho Nicatoris condita. Occidentalem partem *Vxii* tenebant, in quorum montibus *Susides pylæ* siue *Persides*, angustus ad Persepolin aditus, qui an idem sit ac Plinii *Climax Megale*, non definimus: ad eandem hæc vrbem adscensu arduo ferebat, sed qua subit regio ad Medos. Proximi COSSAEI, qui forsan sunt *Cutæi*, & supra ad septentrionem MESOBATENE: supra *Mesobatas* PARAETACENE in Mediæ limitibus. Flumina *Sitacus* (*Sitiogagus* Plinio) & *Araxes*, sed alius ab Armenio; Arriano *Aroses*, Ptolemæo *Rhogomanes*, qui *Medum* amnem defert, Persepolin præterfluens: circa Pasergadas *Cyrus* amnis ab rege pro *Agradato* nominatus.

ELYMAIS pars Persidis, siue inter Persidem & Susianam, *Elam* Ebræis, vnde *Elamitæ* sunt sacris scriptoribus. Elymaidem *Oroatis* amnis a Perside disterminat: a Susiana *Eulæus*. *Elymæos* quoque in maritimo tractu, æque ac Plinius, Ptolemæus locat, sed in australi Media idem ponit *Elymaidem*,

quæ

quæ cum maritima vix conciliatur, nisi longo, sed angustiore tractu Elymaidem inter Susios & Persas procurrisse credideris. Inter Mediam alii & Mesopotamiam ponunt. Vrbs *Elymaitis* ad Eulæum, Dianæ templo inclyta: Plinius addit *Seleuciam* quandam, & *Sosiraten*.

SVSIANE, vt a Perside distincta provincia est, occidentalem partem tenuit vsque ad Tigrin fluuium: a septentrione Assyria obiacebat, a meridie sinus Persicus. *Susa* metropolis, vetus Persarum regia, quam *Choaspes* præterfluit Herodoto auctore, cuius sola aqua Persarum reges, quoquo etiam profecti erant, vtebantur: Plinio *Eulæus* arcem Susorum circuit, vnde quibusdam idem fluuius sunt Eulæus & Choaspes; Tigris ex alueis suis in vnum collectus, & aliis ex Susia fluminibus auctus, e quibus etiam *Gyndes* videtur esse; *Pasitigris* appellatur. Sed & alius *Pasitigris* in Vxiorum montibus ortus, inter Susa & Vxiorum regionem, quæ in limite Persidis est, de-

currens, leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. Flumen *Granis* modicarum nauium capax, etiam Susianen perluit. CHARACENE pars Susiæ maritima, cui *Charax*, inter Tigrin & Eulæum prope Arabiæ Felicis confinia oppidum, nomen dedit, Persici sinus intimum, *Alexandria* a conditore, & postquam flumina deleuerant, *Antiochia* ab instauratore nominatum, tandem a finitimorum Arabum rege oppositis molibus restitutum, Χάραξ Πασινȣ̃ (hoc nomen regis erat) quasi *Vallum Paseni* Ptolemæo appellatur. Patria fuit Dionysii Periegetæ, qui inde Alexandrinus vocatur Plinio, sed a Characena Alexandria.

Sic quæ inter Tigrin & Indi ostia sunt, singula perlustrauimus. De mari inter os Persici sinus atque Indum intercepto monemus, *Erythræum* siue *Rubrum* appellari non a colore singulari, qui nullus est, sed a regis Erythræ nomine, qui maritimæ huic oræ imperauit, & sepulcrum in vicina insula,

cui

cui vel *Ogyris* vel *Oaracta* nomen fuit, dicitur habuisse. Ceteræ insulæ tam huius maris, quam Persici sinus, vt ignobiles prætermittuntur.

CAPVT XXIV.

DE INDIA ET SCYTHIA ASIATICA.

STerilis in hac parte antiqua Geographia, quod veteribus ignotæ fere hæ vltimæ regiones erant, præter ea, quæ Macedones in citeriore India lustrauerunt. Diuiditur autem India per *Gangem* fluuium in duas partes, quarum alia *intra* Gangem est, alia *extra* hunc maximum amnem.

INDIA INTRA GANGEM a meridie & ad mare duobus fluuiis *Indo* & *Gange* continetur, a septentrione latior est, & Indi ripam transcendit ad Parapamisum vsque & Arachosiam. In Parapamisadarum confinio CAPISSENE, quæ vrbem habuit *Capissam*, quam diruit Cyrus. BVBACENE etiam in his limitibus fuit, quam Alexander In-

diam ingreſſurus per Polyperconem ſubegit. Ipſe rex autem ex Bactriana profectus *Nicæam* primum venit, inde ad amnem *Cophénem* (Κωφὴν & Κώφης) poſt quem mons *Meros* eſt, ad cuius radices *Nyſa* vrbs ſita fuit, a Baccho, vt credebatur, condita, ſupra quam regio erat, quæ *Dædala* vocabatur. *Choaſpes* alius amnis in Cophéna influit, & ante hunc *Choes*, etſi *Choes* Arriani *Choaſpes* Curtii idem aliis videntur. ASSACENI adiacebant, quorum caput & regia erat *Máſſaca* ſiue *Mazagæ* aut *Maſoga*. Inde progreſſus rex vrbem *Oram* cepit, & petram *Aornon*, ab Hercule fruſtra obſeſſam, cuius radices *Indus* amnis ſubit. In occaſum hibernum, iuxta Cophena, antequam Indo infunditur, *Ecbolima* ſita erant, itidem ab Alexandro in ditionem redacta. Circa Indi fontes PEVCELAOTIS regio, cuius vrbem *Peucelam* Hephæſtio, dux Alexandri, expugnauit. Vicini *Aſpii*, *Thyræi*, *Arſaci* populi. Inter *Indum* & *Hydaſpen* fluuium *Taxila* fuerunt, vrbs ingens & regia: vltra

Hyda-

Hydaſpen *Pori regnum*, quo acie ſu-
perato, in Hydaſpis ripa duas vrbes
Alexander conſtituit *Nicæam* & *Buce-
phalen*, illam in victoriæ, hanc in equi,
illo prœlio interfecti, memoriam. Poſt
Hydaſpen *Aceſines* & *Hydraotes* a-
mnes.

Proximi *Gangaridæ* & *Pharraſii*
populi: Phegelæ regnum ad *Hypha-
ſen* fluuium, qui propior Gangi termi-
nus expeditionum Alexandri fuit: ad
ripam *Aræ Alexandri*, victoriarum
monumentum vltimum. Citra flu-
uium fuerunt OXYDRACAE, apud quos
extremum periculum Alexander, e
muro in vrbem hoſtilem deſiliens, ma-
iori temeritate, quam virtute, adiit.
Sangala CATHAEORVM vrbs ſolo æqua-
ta. MALLI valida gens iuxta Indum
fluuium, & obſcura nomina *Præſto-
rum*, *Sabracarum*, aliorumque in me-
ridiem iuxta ripam vergentium. In
ripa vlteriore Indi, ante diuortium
oſtiorum, *Alexandria*: in inſula, quam
oſtia faciunt, vrbs *Patala*. Cis flumen
in maritimis *Oritæ* & *Arabii* habita-
 runt,

runt, Indicæ gentes, quanquam Gedrosiis & aliis qui sub Persarum imperio erant, permixtæ. Illorum oppidum *Ora* fuit, unde genti nomen impositum.

Quod vltra Indum in maritimis Macedones non venerunt, obscuriora ibidem sunt omnia. In litore, quo nunc Suratte est, *Minnagoram* & *Barygazam* emporia laudat Arrianus: sed laudatissima *Taprobane* videtur insula Ceilan esse in sinu *Gangetico*.

BRACHMÁNES tandem commemorandi in hac India sunt. Non autem philosophorum modo generis & sectæ id nomen fuit, sed & gentis diffusissimæ, cuius maxima pars in montibus degit, reliqui circa Gangem.

INDIA EXTRA GANGEM tanto obscurior est, quanto remotior. Ptolemæus post Gangeticum sinum *Argenteam regionem* ponit, proxime *Anthropophagos*, *Padæos*, & *Lestarum* siue latronum terram, a quibus in delineationem AVREAE CHERSONESI, nunc Malaca, progreditur, in qua *Tacola* emporium

rium & fluuium *Chryſoanam* memorat. Hanc peninſulam plerique exiſtimant *Ophir* Salomonis eſſe; alii totam Indiam extra Gangem, non præcipue cherſoneſum, per *Ophir* intelligunt. Sinum de Siam *ſinum magnum* Ptolemæus vocat, & poſt illum, vbi Cambodia eſt, SINARVM terram reiicit.

SCYTHIA, ſeptentrionalis pars Aſiæ, ita per *Imaum* montem diuiditur, vt India per Gangem. Citerior pars dicitur SCYTHIA INTRA IMAVM, quæ incipit poſt *Iaxartem* amnem, Sogdianæ terminum, quem *Tanain* perperam Macedones vocarunt; & in extremum ſeptentrionem, ſed ignotum veteribus, adſcendit. Verus autem *Tanais* terminus eſt ab occidente, iuxta quem *Magyni*, aliique fuerunt. DAHAE plerique Scytharum, qui a Caſpio mari incipiunt, appellantur: ſed orienti viciniores MASSAGETAE, proximi tamen Sogdianæ, quorum Tomyris regina Cyrum deuicit. *Gabaza*, aut vtcunque ſcribitur illa Sogdianis finitima regio, videtur ad hos pertinuiſſe, & nomen

a *Ga*-

a *Gabis*, munito oppido, inter Sogdianos & Massagetas medio, accepisse. ABII Scythæ omnium barbarorum iustissimi, a Cyri excessu, cui paruerant, ad Alexandri ætatem liberi. SACAE autem post Massagetas siti in meridiem paulisper, supra Gangis fontes.

SCYTHIA EXTRA IMAVM tota fere incognita cum *Hippophagis* & *Anthropophagis* aliisque gentibus, quas ibi Ptolemæus constituit. SERICAM idem ab ortu apponit, quæ hodie Cathay & Chinæ pars septentrionalis est. Populi *Seres*, lanicio siluarum nobiles, vnde nomen accepit, quidquid vsquam præstantioris lanæ telæque reperitur.

CAPVT XXV.
DE AFRICA, IN EAQVE DE ÆGYPTO, MARMARICA ET CYRENAICA.

DE Asia hactenus. Africa superest, magna illa, quam Oceanus & Mediterraneum mare ambiunt, peninsula.

Ægy-

Egyptus quidem extra Africam vete-
ibus erat, prima pars Asiæ, vt ait Me-
a, præsertim ea, quæ cis Nilum ad A-
abiæ latus sita est; aut tota etiam, si
Catabathmus limes ponitur: quod ve-
o aptiorem terminum in Arabico
inu natura constituit; quæ ex Asia su-
perest, Ægyptum cum Africa, recenti-
ores secuti geographos, coniungimus.

AEGYPTVS ab ortu Arabicum si-
num, Arabiam Petræam & Palæstinam
contingit: ab occasu Marmaricam &
Cyrenaicam spectat: Æthiopiam a
meridie: septentrionis latus Mediter-
raneo mari finitur. Diuiditur in *Su-
periorem*, quæ & *Thebais* dicitur, & Æ-
thiopiæ finitima est; ac *Inferiorem*,
quæ ad mare Mediterraneum sita
circa Nili ostia & fissuras: & in *Heb-
danomidem*, quæ vtramque interiacet.

In AEGYPTO INFERIORI Iudææ pro-
xima CASIOTIS est, a monte *Casio* appel-
lata. Ad cuius radices *Pompeii sepul-
crum*, & oppidum *Casium* ad mare, at-
que *Iouis Casii* delubrum. *Sirbon* lacus
in hac regione, vltra montem Casium,
Iudæam

Iudæam verſus, perſimilis Sodomitico *Oſtracine* inter Caſium montem & *Rhinocoluram* ſiue *Rhinocoruram*, Iudææ limitem, medio interuallo. Inter Caſium & Peluſium *Chabriæ caſtra.* Tractus hic poſteriori æuo AVGVSTAMNICA vocabatur, a Peluſio ad Rhinocoluram.

DELTA ſequitur, præcipua pars non modo Inferioris, in qua eſt, ſed vniuerſæ etiam Ægypti. Nomen a Δ litteræ Græcæ figura triangulari. A Peluſio ad Canopum, hoc eſt inter diſſitiſſima Nili oſtia baſis eſt; cuſpis iuxta Memphin, vbi Nilus in alueos diſpenſatur. *Peluſium* quidem extra Delta, tamen ripæ eius aluei, quo Delta terminatur, proxime appoſita, nobilis vrbs, a qua oſtio illi, ad ortum extremo, *Peluſiaci* nomen eſt. Proximum oſtium *Taniticum*, poſt hoc *Mendeſium*, *Phainiticum*, *Sebennyticum*, *Bolbitinum*, & ad occaſum ſolis vltimum *Canopicum*, Alexandriæ proximum. Singula fere ab oppidis vicinis nominantur, quæ intus iacent, vt ſunt *Tanis*, prius *Zoan*, Pharaonum regia; *Mendes*, *Sebenny-*

tus,

tus, *Bolbitine* in tractu, quo nunc Rosette est: *Canopus* in insula, quam ostium alluit, Serapidis templo illustris. Præterea in Delta inter Tanaiticum & Mendesium *Pharbatus:* inter Mendesium & Athribiticum fluuium, qui ψευδοστόματα parit, *Thmuis*, *Leontopolis*, *Busiris*, *Onuphis*, *Athribis*: inter Athribiticum & Sebennyticum *Xois*, *Taua*: inter Sebennyticum & Canopicum *Metelis*, *Butos*, *Cabasa*, *Sais*, *Naucratis*. Extra Delta in parte orientali iuxta Nilum supra Pelusium *Magdolus*, *Prasopis*, *Bubastus*, *Onii*, *Babylon*, castellum a Babyloniis conditum. Heic vetus terra *Gosen*: & in Arabiæ confinio *Heliopolis*, & *Heroopolis*, nunc Sues, ad sinum Arabicum in Isthmo, quem ille cum Mediterraneo mari facit. In occidentali latere post Delta *Alexandria*, Magni Alexandri opus, & regia Lagidarum, vrbs nobilis & Græcis institutis atque moribus exculta. *Pharus*, cynosura nauigantium iuxta portum Alexandrinum, in propinqua insula, molibus post

ponti-

pontibusque continenti iuncta. Lacu *Mareotis* interius recedens ab vrbe oppida *Iuliopolis* & *Menelaus*, in regione Alexandrinorum. Ad extimam ripam Canopici fluminis *Hermopolis minor*, *Andropolis*, *Latopolis*, quasi Latonæ oppidum, *Proxenopolis* circa Naucratium. Sicut autem vniuersa Ægyptus in *νόμους*, *Nomos*, hoc est ciuitatem præfecturas diuidebatur, ita in Inferiore Nomi erant Tanites, Bubastites, Prosopites, Heliopolites, Pharbætites, Athribites, Xoites, Mendesius, Busirites, Sebennytus, Cabasites, Onuphites, Saites, Phthemphu a Taua dictus, vt Ptenethu a Buto metropoli, Metelites, Leotopolites, Naucratites, Menelaítes, Latopolites, & si qui alii fuerunt.

HEBDANOMI, Ἑβδανομὶς, media Ægypti prouincia, in septem nomos distributa siue metropoles, quæ sunt *Memphis* ad Africam ripam Nili, antiqua regia, vbi bos Apis, Ægyptiorum deus custodiebatur. *Pyramides* huic vrbi propinquæ: *Heraclea* siue Ἡρα-κλέους

λέυς πόλις, & in insula Nili *Nilopolis* in Heracleote nomo insulari: rursus in ripa Africa siue occidentali *Arsinoe* & iuxta eam *Labyrinthus* & *Mœris* lacus: *Ptolemais*, *Aphroditopolis*, *Oxyrynchus*, *Hermopolis* maior, & *Cynopolis*, vbi Anubis colebatur, in cuius nomo trans fluuium siue Arabica ripa *Acoris* & *Alabastra* erant. Hinc nomi dicuntur Memphites, Heracleotes, Arsinoites, Aphroditopolites, Oxyrynchites, Cynopolites, Hermopolites.

AEGYPTVS SVPERIOR siue THEBAIS in austrum vergit. Ἑπδανόμοις finitimæ ciuitates *Antinoupolis*, ab Hadriano condita, in ripa Arabica, vbi & *Antæopolis*: at *Lycopolis* & *Hypsele* in latere occidentali, in quo vlteriores *Ptolemais* magna in *Thinite* nomo: *Abydus*, Memnonis regia, oraculo insignis: *Diospolis* parua, *Tentyra*, *Hermonthis*, *Apollopolis*. In Arabica ripa vlteriores *Panopolis*, *Coptus* emporium, *Thebæ* siue *Diospolis* magna, centum portarum: *Ombi*, & tandem *Syene*, sub Cancri Tropico sita: & proxima *Elephantine*

tini ſiue *Elephantis* inſula cum oppido, Ægypti ad Æthiopiam termino. Ex his quoque vrbibus nomi appellantur, vt *Antinoites*, *Antæopolites*, *Lycopolites*, *Coptites*, *Apollopolites*, & alii. Incerto poſitu oppidum *Sampſira*, vnde Σαμψειρεῶται in Hadriani nummo.

Litus Arabici ſinus fere ſterile & male habitatum, omnibus colonis circa Nilum confluentibus, qui vt fœcundior eſſet, non a regibus modo, ſed Romanis etiam imperatoribus in foſſas pæne multas deductus fuit, quibus tum agrorum rigationi, tum vecturæ commoditati conſulebatur.

MARMARICA regio vaſta & deſerta inter Alexandriam Ægypti & Pentapolin Cyrenaicam. Incipit poſt *Maréam* ſiue *Mareotidem* paludem, quæ iuxta *Alexandriam* eſt, & longe in meridiem a mari recedit. *Catabathmus* vallis in Ægyptum deuexa cum oppido, Africam ab Aſia ſecundum veteres geographos, diſterminavit: Ptolemæus duplicem facit, ſed *paruus* Ægypto vicinus & terminus. Supra hanc

hanc oram *Oasis* siue *Oasa* geminā, Magna, australior: Parua infra illam, vtraque horridis & incultis locis circumdata, a Ptolemæo Heptanomidi Ægyptiæ adscripta. Post *Mareotis* est, & *Iouis Ammonis* oraculum, cum *fonte Solis*: item *Apis* vicus religione nobilis: & ad mare *Parætonium* cum portu. Post hunc multi alii portus & maritimæ ciuitates, verum minus celebres, vt *Selinus*, *Anesiphyra*, *Catabathmus magnus*, *Petra magna*, *Portus Menelai*, *Antipyrgus*, *Batrachus* portus, *Chersonesus magna Axilis villa*, terminus ad Cyrenaicam secundum Ptolemæum. Quæ intus, maritimis multo obscuriora sunt. Incolæ huius regionis *Marmaridæ*, & *Mareotæ*, sicut ipsa regio *Libya* etiam *Mareotis* appellatur.

CYRENAICA laxe Marmaricam comprehendit; strictim agrum vrbis Cyrenes, vnius ex Pentapoli, significat: medio sensu, vt hoc loco, tractum a Marmarica ad sinum *Syrtis magnæ*, siue ad *Aras Philæni*, quæ ad illum sinum sunt, complectitur. A quinque

vrbibus

vrbibus clarissimis PENTAPOLIS dicitur, puta Libyæ. Ab ortu *Zephyrium* promontorium, proxima *Apollonia*, & *Phycûs* promontorium cum oppido & nauali Cyrenæorum: proxime *Ptolemais*, & *Arsinoe*, & ad Syrtis sinum *Berenice*, antea Ἑσπερὶς, vnde *Hesperidas* magnæ famæ *horti*, qui in his oris dicuntur fuisse, nomen habuere. Hæc in litore; *Cyrene* supra Apolloniam paullisper reducta, omnium nobilissima, Græca colonia, Iudæis aduenis non minus, quam philosophiæ cultoribus frequentata. Interius secundum Ptolemæum *Barce*, vnde *Barcæi* Maronis; & nomen regno Barcan reliquum: & *Philonis villa*: nisi cum Plinio & Strabone *Barcen* & *Ptolemaida* eandem habeas. Ad Pentapolitanam ergo pertinent Cyrene, Apollonia, Ptolemais, Arsinoë, Berenice. Incolas quidam *Quinquegentianos* Africæ, in medii æui historia memoratos interpretantur, quos alii in vlteriora remouent.

CAP-

CAPVT XXVI.
DE
SYRTIBVS, BYZACIO, ET AFRICA PROPRIA.

INter Cyrenaicam & Propriam Africam siue Zeugitanam, duo sinus maris Libyci sunt, amplior, qui ad orientem; minor, qui ad occasum solis. In vtroque vadosa loca, non longissime a littoribus remota, in quæ si nauis vel æstu tracta, vel tempestate depulsa inciderit, fundo adfixa hæret, & interitum omnibus, quos vexerat, adfert, nisi, quod raro fit, reciprocatione æstus subleuata e præsentissimo periculo euadat. Hæ duæ famosæ SYRTES sunt, quæ sinus suos denominant, *Magna* quidem Cyrenaicam versus siue in orientali sinu: *Parua* in sinu occidentali.

Steriles supra Syrtes campi sunt, nec tamen expertes incolarum aut oppidorum, præsertim medio inter vtrumque sinum loco, qui fertilior cultiorque est, vbi inter sinum Syrtis magnæ

& oſtia *Cinyphi* ſiue *Cinypis* (Κίνυψ & Κίνυφος) fuere *Aſpis* & *Barathia*: inter hunc amnem & Syrtem minorem *Neapolis*, hodie Tripolis Barbariæ, *Gaphara* portus, *Oea* ſiue *Oeenſis* ciuitas, colonia poſt Hadriani, *Ælia Auguſta* cognominata: & *Leptis magna*, quæ Straboni eadem eſt ac Neapolis, Plinio & Melæ diverſa: intus *Sabrata* & *Abrotonum*. Sed *Tripolis* veterum, aut medii æui, ex oppidorum ſocietate, Oeæ, Sabratæ ac Leptis appellata regionis potius, quam vrbis nomen fuit: aut vrbs huius nominis vere ex tribus oppidis conflata eo loco, qui hodieque Tripoli Vechio nominari dicitur. Hinc regio TRIPOLITANA, eadem & SVBVENTANA, non autem apud antiquiſſimos ſcriptores. LOTOPHAGOS populos Plinius ad *Philænorum Aras*, hoc eſt Cyrenaicæ limitem locauit: inſula autem *Lothophagites* Ptolemæo in ſinu Syrtis minoris eſt. Traduntur autem *Lotophagi* fuiſſe, qui loto, id eſt huiusmodi fructu veſcebantur, vt patriæ obliuionem dulcedine ſua induceret.

AFRI-

AFRICA Propria siue Minor Carthaginiensium imperium complectebatur, quod a Numidia ad Philænorum Aras prorogatum dicitur. Strictim regio est a Tusca amne, Numidiæ fine, ad Syrtem minorem, diuisa in duas partes, altero sæculo in duas provincias, BYZACENAM, orientalem & Syrti vicinam: ac ZEVGITANAM, quæ occasum spectat & Numidiam.

BYZACIVM siue BYZACENE tractus est a Syrti parua ad vsque Adrumetum, fertilitatis tantæ, vt cum centesima fruge fœnus terra agricolis reddat. Maritimæ vrbes sunt *Tacape* ad intimum sinum Syrtis prope ostia *Tritonis* fluuii, qui citra oppidum decurrit, occasum versus: *Macomada*: *Thænæ* siue *Thenæ*, post Hadriani colonia cum *Æliæ Augustæ* cognomine: *Taphrura*, insulæ *Cercinnæ* proposita: *Acholla* siue *Acolla*, quæ eadem ac Hirtii *Acilla* est: *Hannibalis Turris*; & *Thapsus*, Cæsaris victoria contra Pompeianos insignis: *Leptis parua*, *Rhuspina*, itidem Cæsaris Africano bello nota: *Adrumetum* siue

Hadrumetum, Byzacenæ metropolis, mox colonia Traiani: at *Zetta* ſiue *Zella* incerto ad mare loco: reductum a mari *Agar* Hirtii. Intus *Byzacia*, vnde nomen regioni, *Vzita*, Cæſaris caſtris non ignota: *Vluſubra* ſiue *Vlizibirra*: *Tiſdra* ſiue *Thysdrus*: *Capſa* ad Libyæ deſerta, Iugurthæ munimentum & gazophylacium. At *Parada* Hirtii inter Thapſum & Vticam media. LIBYPHOENICES Byzacenam inhabitabant.

Pars ZEVGITANA ab Adrumeto ad Numidiam patebat, a qua fluuio *Tuſca* ſeparata fuit. Poſt Adrumetum in litore *Siagul*, *Neapolis* colonia, ſed alia a Leptitana: *Curubis*, *Clupea* ſiue *Clypea*, Græcis Ἀσπὶς, prima, quam Romani in Africa vrbem ceperunt, ſita ſupra *promontorium Mercurii* (Ἑρμαίαν Ἄκραν) nunc Capo Bona. Hæc ora AGER VOCANVS eſt apud Liuium. Vltra promontorium, *Miſua*, *Carpis*, *Maxulla*, & *Tuneta*, Græce ὁ Τύνης, hodie Tunis, natura & arte munitus locus, inter quem & Carthaginem fluvius

vius labitur, Ptolemæo *Catada* appellatus: vltra hunc *Carthago*, Phœnicum colonia, Romæ æmula potentissima, a Scipione deleta, alio tempore instaurata & insignis Romanorum ciuium colonia. Promontorium *Pulchrum* (καλὸν) Charthagini in septentrionem obuersum, ex antiquissimo fœdere ante Punica bella Romanæ nauigationis terminus. In eadem ora *Apollinis* promontorium, nunc Capo Negro; & aliud quod *Candidum* (Capo Mabra) dicitur. Apollinis & Mercurii promontoria sinum Tunetanum includunt: sicut idem Apollinis & Candidum efficiunt sinum Hipponensem, Baia di Bona vulgo. Sed ad *Bagradam* amnem reuertimur, ad quem M. Regulus immanem serpentem ballistis & catapultis oppugnauit. Ortus in interiore Libya inter Carthaginem Vticam mari insinuatur. Sinistræ ripæ *Cornelia castra* propinqua, locus Scipionis memoriam adseruans: post quæ vrbs *Vtica* Catonis morte nobilis, secunda a Carthagine, & hac deleta

caput prouinciæ Romanæ. *Hippo* sequitur,Romana colonia, *Zarytus* siue *Diarrhytus* propter irrigua aquarum dictus discriminis caussa. Non solum enim mari, sed lacu etiam alluitur, in quo miræ mansuetudinis delphinus cum puero lusit. Et hoc ad Numidiam, quam Tusca amnis disterminat, extremum oppidum. Introrsus a mari recedunt *Nepheris* inter Clupeam & Maxullam,*Sicilibra* siue *Sicilibba* inter Carthaginem & Bagradam amnem: item *Maxulla vetus*, *Vsulla* siue *Vzula*, Vticæ vicina: *Vthina* iuxta Bagradæ sinistram ripam: *Hippacræ*, *Anda*, *Abba* incerti situs, nisi quod *Abbam* siue *Obbam* Polybius vicinam Carthagini constituit: *Theudalis* inter Vticam & Hipponem. In austrum longius vergunt *Tuburbo minus* (maius in Numidia est) & *Sufes* ac *Sufetula*, & alia obscuriora oppida. ZEVGIS autem, vnde nomen *Zeugitanæ* regionis est, Æthico auctore non vnius loci cognomentum, sed totius prouinciæ est, in qua Carthago ciuitas constituta fuit.

NVMI-

NVMIDIA non eadem omnibus geographis. A *Tuſca* fluuio ad *Mulucham* hoc nomen obtinebat, inter quos terminos medius amnis *Ampſaga*. Inter Tuſcam & Ampſagam *Numidia propria*, quæ *Noua* Ptolemæo eſt, regnum Maſiniſſæ & *Maſſylorum* terra, quam quidam Africæ Propriæ adiiciunt, ſed ſine multorum conſenſu: inter Ampſagam ac Mulucham amnes *Numidia Maſſæſylorum*, Syphacis regnum, a pleriſque ſub Cæſarienſi Mauritania, quæ ab *Ampſaga* ad *Malu-am* fuit, comprehenſa.

NVMIDIA Propria, ſiue inter Tuſcam & Ampſagam flumina patens, Tuſcæ propinquam habuit *Tabracam*, ciuium Romanorum oppidum: poſt quod *Rubricati* oſtia ſunt, & *Hippo Regius*, colonia Auguſtini epiſcope medio æuo inſignis: *Aphrodiſium* alia colonia: *Collops paruus*, *Tacatua*, *Tretum* ſiue *Tritium* promontorium: *Ruſicade*, *Cullu* ſiue *Collops magnus* : *Ampſagæ* oſtia ſub *Metagonio* promontorio, quod vero alii negant. In mediterra-

neis *Tucca* oppidum inter *Tuſcam* & *Rubricatum* flumina, vt etiam *Aſſurus* & *Sicca Veneria*: *Madaura* (Ptol. Madurus) in Gætuliæ & Numidiæ confinio, patria Apuleii. Poſt Rubricatam *Bulla Regia*, *Tucca* altera, & *Cirta* Maſiniſſæ regia, & hoc pulſo Syphacis, poſt colonia Romana, *Sittianorum* cognomine, qui contra Iubam pro Cæſare ſub P. Sittio militauerant, tandem *Conſtantina* dicta: *Mileuis* concilio Chriſtiano clara: *Vagæ*, *Simittu*, *Aquæ Tibilitanæ*, *Lampæſa*, legio III. Auguſta: & in auſtrum remotior *Zama*, Iubæ regia, Strabonis æuo deſerta, ſub Hadriano cum *Ælia Auguſta* cognomento inſtaurata. Incerto loco *Thala*, *Vacca* rerum venalium forum, *Suthul*, omnia Iugurthæ munimenta. nam late in mediterraneis vltra Capſam ad Syrtes vsque imperauit. *Thirmida*, vbi Hiempſal interfectus eſt, *Muthul* amnis in Adherbalis regno, iuxta quem Metellus Iugurtham vicit.

MASSAESYLORVM Numidarum regio inter Ampſagam & Mulucham flumi-

na.

na. *Mulucha* autem Iugurthæ Bocchique regnorum finis. Quod vero hunc agrum, Iugurtha prodito, rex Bocchus ab Romanis accepit, vt Masinissa antea diuicto Syphace; *Mauritaniæ* nomen, quod prius trans Mulucham erat, etiam huic tractui inter Mulucham & *A*mpsagam accessit. Amplior sic & auctior Mauritania inter Bocchi maioris posteros, Bacchum atque Bogudem, in duas partes, quas *Malua* flumen dirimebat, diuisa fuit, & orientalis *regnum Bocchi*, pars occidentalis *regnum Bogudis* nominabatur, cum ciuile bellum sub Iulio Cæsare & Octauiano conficeretur. Claudius Cæsar prouinciam geminam in Mauritania fecit, ex Bocchi regno *Cæsariensem*; ex Bogudis, *Tingitanam*, vtramque ab vrbe primaria denominatam: quæ divisio secutis temporibus ita invaluit, vt commodius, quam sub hoc discrime, illas partes non possimus explicare.

MAVRITANIA CAESARIENSIS inter Ampsagam & Maluam intercepta. In ora maris ad Ampsagæ ostium

Tucca; Igilgili colonia, vt & *Salde*, ac *Rusazus*, & ciuitate honoratum a Claudio *Rusucurium*: *Rusconia* siue *Rusgunia* colonia Augusti: *Icosium* & *Tipasa* Latii iuris: *Cæsarea*, antea *Iol*, ab Iuba filio, cuius regia erat, tam operibus, quam Cæsaris nomine ornata, a Claudio coloniæ iure aucta. Ex situ, portu & insula ante portum, coniiciunt eius oræ periti, potentissimam vrbem Alger in loco Cæsareæ esse. Inter Cæsaream & Muluchæ ostium coloniæ *Gunugi* & *Cartenna*: *Arsennaria* Latinorum, *Quiza* siue *Quida Xenitana* peregrinorum oppidum. Quem autem *Mulucham* plerique amnem vocant, Straboni est μολοχάθ, Ptolemæo transpositis litteris χυλημάθ (quamuis & alium hic μολοχάθ in Tingitana prope Maluam ponit) terminus olim Bocchi Massæsylorumque: Inter hunc & *Maluam*, *Portus Magnus* ciuium Romanorum oppidum: *Siga* Syphacis regia ad fluuium eiusdem nominis. *Malua* autem, Plinio *Malvana*, nauigabilis amnis, quondam Bogudis & Bocchi regnorum, postea prouinciarum

ciarum sub Cæsaribus finis erant. Intus inter Igilgili & Salden *Tubusuptus* ad *Audum* amnem: a Cæsarea Mulucham versus *Succubar* vel *Sugabarritanum* municipium: *Oppidum Nouum* (Οππιδόνεον Ptolem.) colonia: *Victoria*, *Timici*. At *Sitipha* apud Ptolemæum sinistræ ripæ fluminis Ampsagæ apposita, colonia primum, dein metropolis facta, vnde sequenti sæculo *Sitifensis* Mauritania pro parte Cæsariensis appellata fuit.

MAVRITANIA TINGITANA, prius BOGVDIANA, a Malua fluuio ad Oceanum sub freto Gaditano porrecta. In litore a Malua ad fretum alius amnis, quem *Molochath* Ptolemæus vocat: *Metagonites* promontorium, oppidum *Rusadir* siue *Rusadder*: *Ascurum*, & propior freto mons *Abyla*, altera laborum Herculis meta, cui Calpe in Europa respondet. Proximi *Septem Fratres*, Ἑπταδελφοὶ, a simili altitudine appellati montes. Oppidum ibidem *Septa*, nunc Ceuta, in medii æui geographia, quam antiqua, notius. Su-

per ipſum fretum vltra Herculis columnas *Tingi*, ſiue *Tingis*, Claudii Cæſaris colonia, vnde nomen prouinciæ eſt, hodie Tanger. Ex Tingitanis Zelitanisque in Bæticæ oram traductis coloniam Auguſtus conſtituit *Iuliæ Traductæ* nomine, quam Claudius videtur reduxiſſe, idque *Traductæ* nomen impoſuiſſe Tingitanæ ciuitati, vt Plinium ceteris chorographis clariſſimus interpres Harduinus, poſt doctorum virorum diſſidia, conciliat. In ora Oceani, freto proxima, colonia Auguſti *Iulia Conſtantia Zilis* ſiue *Zelis*, exemta regum Maurorum ditioni, & Bæticæ adſcripta: *Lixus* colonia Claudii prope oſtium amnis cognominis, vbi etiam Heſperidum hortos quidam poſuerunt: intus *Babba*, itidem Auguſti colonia, *Iuliæ Campeſtris* nomine honorata: ac *Bonaſa*, colonia eiusdem iuxta Suburem flumen, *Valentia* cognominata: vlterius, ſed in maris ora, oppidum *Sala* eiusdem nominis fluuio impoſitum, vnde per gentem *Autololum* iter ad montem Atlantem eſt.

Hæc

Hæc de Mauritania, quæ in nummis & lapidibus MAVRETANIA per E ſcribitur, ſicut etiam EXERCITVS MAVRETANICVS in nummo Hadriani: gens *Mauri* & *Maurusii*.

CAPVT XXVII.

DE AFRICA INTERIORE.

Qua cauſſa Ægyptum ex veteri Aſia in Africam reduximus, eâdem quæ Ægypto regiones ſubiacent, Africæ potius, quam Aſiæ, imputamus. AETHIOPIA veteribus Ægyptum ab auſtro contingebat, quam late longeque, vltra æquatorem etiam, extenderunt. Partem ergo Nubienſis regni, Ægypto conterminam; & Habeſſiniam ſiue Chriſtianam Æthiopiam intra VIII. & XVI. gradus latitudinis borealis terminatam, & vlteriores prouincias neceſſe eſt comprehendiſſe. Vix autem illis quidquam de toto illo tractu præter vicinas Ægypto regiones notum exploratumque fuit, vbi in *Candaces* regno vrbem *Tanapen*, regi-

næ ſedem, C. Petronius Auguſti apud Ægyptum præfectus expugnaſſe dicitur. Huius regni præcipua pars fuit *Meroe*, ampla in Nilo inſula, cum oppido eiusdem nominis, quod etiam vt caput gentis deſcribitur. *Nilus* autem in Habeſſinia (non vltra æquatorem aut in Mauritania, vt antiqui ſcriptores tradiderunt) natus Æthiopiam reliquam percurrit, & circa cataractas a CATADUPIS populis accolitur, ſicut ipſæ cataractæ *Catadupa* appellantur, quod de maioribus intelligendum: minores autem cataractæ (καταῤῥάκτης ὁ μικρὸς Ptolemæo) prope Syenem & Ægypti limitem. BLEMMYES in confinio Ægypti & Æthiopiæ mirabili corpore, ſine capite, ore & oculis in pectus depreſſis, fingebantur, quod forſan colli breuitate caput thoraci inſidere viſum fuit. Probus, Romanus imperator, illos ſubegiſſe narratur, & captiuos inde ſpectaculo adduxiſſe Romam.

TROGLODYTAE ad Arabici ſinus litora in confinio Æthiopum habitauerunt quanquam & aliis Africæ locis, vt

vt in Mauritania, etiam in ipſo Scythico orbe huiusmodi cauernarum habitatores (id enim nomen ſignificat) commemorantur. Vltra Troglodytas, quos inter Nilum & ſinum Arabicum ponunt, NUBÆ ſiue *Nubei Æthiopes* habitarunt & *Aualitæ*, vterque trans Nilum populus, vt Nubiæ regnum, quod poſterior ætas, cis fluuium vidit ſiue in latere occidentali, ad illos Plinii & Ptolemæi Nubas ſiue Nubeos nequaquam pertineat. Nili ramus in occidentem excurrens *Nigris* vocatur, eiusque accolæ *Nigritæ*. Supra Syrticas gentes, aut circa Bagradæ & Cinypis fontes, GARAMANTES populi ad Libyam interiorem: & vltra hos PSYLLI, ſerpentum venena ex vulneribus ſugendo extrahentes. Numidiæ & ex parte Mauritaniæ GAETVLIA obuertitur confuſo limite: ATLANTES populi poſt Gætulos, ad occaſum vltimi, vbi *Atlas* mons fabuloſus Oceanum, qui inde *Atlanticus* dicitur, ſummis ſuis iugis proſpectat. Geminus autem eſt; *Minor* in collimitio Mauritaniæ: *Maior*

Maior Atlas multo in auſtrum remotior. *Gymnetes* propinqui, & ſupra Nigris ſeptentrionale oſtium *Pharuſii* in ora Atlantici maris, & alia obſcura gentium nomina. Quæ reliqua ſunt & vlteriora, *Libyæ* & *Æthiopiæ interioris* nominibus inſigniuntur, ſicut omnis Africa Græcis *Libya* eſt, & duæ veteribus Æthiopiæ, ad orientem occaſumque verſæ. Vnde etiam vltra æquatorem, Atlanticum mare verſus, Æthiopia fuit, ſed interior & occidentalis: quam autem ſupra deſcripſimus, vocarunt *Æthiopiam ſupra Ægyptum.*

CAPVT XXVIII.
DE
INSVLIS AD AFRICAM PERTINENTIBVS.

INſulæ ad Africam in Mediterraneo mari non admodum multæ, & ex his pleræque paruæ & ignobiles. In ſinu Syrtis minoris *Meninx* cum oppido, quæ etiam *Lotophagitis* dicebatur, quoniam adverſum continentis litus Lotophagi tenuerunt: hodie Gerbi dicitur

citur, ſicut medio æuo Girba. *Cercinna* ſupra illam, cum oppido eiusdem nominis, inter Thænas & Acollam: & *Cercinnitis* parua huic adiecta, aut ponte iuncta. Acollæ & Thapſo *Lopaduſa* (hodie Lampedoſa) adverſa; Clupeæ & Mercurii promontorio *Coſyra*, ſiue *Coſura*, quam cap. X. cum Melite, poeta auctore, coniunximus. Ipſam *Meliten*, nunc Maltam, non pauci adſcribunt Africæ: ſed quia medio inter Siciliam & Africam mari eſt, immo propinquior Siciliæ; Europæ illam vindicauimus. *Ægimurus* ſinum Charthaginis ab alto claudit: *Ægimori* autem *Aræ* vel eadem inſula, vel ſcopuli illi ſunt, quos *mediis in fluctibus aras* poeta dixit.

Inſulæ Oceani ad vtrumque latus etiam antiqui agnouerunt, ſed multas in iis fabuloſas. Quæ in ſinu Arabico perparuæ ſunt, taceri ſine diſpendio famæ poſſunt. Vltra fauces ſinus Arabici *inſula Diodori*, vbi incipit ſinus *Abalites* ſiue *Aualites*. Periplus Arriani, poſtquam barbarica emporia, inter

fauces

fauces Arabici freti & æquatorem circulum, detexerat, (ſunt autem *Aualites, Malao, Mundi, Moſyllum, Niloptolemæum* & alia; tandem vls æquinoctialem lineam *Pyralaorum* paruas inſulas manifeſtat, & magnam, cui *Menuthiadis* nomen ſit, quam plerique Madagaſcar ſiue S.Laurentii interpretantur, alii malunt de Zanzibar intellectam, quod mare inter Madagaſcar & continentem propter ſyrtes & charybdes ne hodie quidem ſine extremo periculo nauigatur, nedum antiquis rudibusque temporibus. Terminus peripli illius promontorium vel emporium *Rhaptum*, τὰ Ῥαπτὰ Arriano, quod circa Quiloam poſitam exiſtimant ii, quibus Menuthias non Madagaſcar, ſed Zanzibar fuiſſe videtur. *Cernen* etiam heic quidam inſulam laudant, quæ fortaſſe eadem, ac iam deſcripta Menuthias.

In occidentali Oceano FORTVNATAS inſulas easdem eſſe & quæ hodie Canariæ dicuntur, non dubitatur. Sex Iuba & Ptolemæus numerant, & in iis vnam

vnam cui nomen *Canariæ* sit a multitudine canum ingentis magnitudinis inditum. Poetæ fabulas pro more adiiciunt, incolisque tribunt beatissimum statum & immortalitatem, incerti vero & dubii de loco, quem vel iuxta Hispaniam, vel in Britannico mari, aut alibi errabundi quærunt. Sed ex Iubæ descriptione veriora Plinius, & post ipsum alii. Supra Fortunatas in septentrionem vergunt PVRPVRARIÆ, hodie Madera [& Porto Sancto, in quibus purpuram Gætulicam tingere rex Iuba instituerat. Quæ in austrum Fortunatis subiacent, incertiora sunt, præter illa, quæ Hannonis periplus manifestavit. *Cerne* Hannonis, videtur Arguin esse circa XXI gradum latitudinis borealis. *Hesperius Sinus* (Ἑσπέρου κέρας) ad promontorium Viride, (Capo Verde) situs: aliis κέρας ipsum promontorium est. Inde διάπυρον χώραν, calidissimam regionem præteruectus Hanno, aliquot dierum nauigatione ad promontorium delatus est, quod Θεῶν ὄχημα, *Deorum currus* ab altitudine

dine vocatur, nunc Sierra Liona, montium facile non Africæ modo, sed orbis etiam terrarum altissimus. Ab hoc nauigatione tridui in sinum, quem κέρας νότου dixerunt, peruentum fuit, cuius insula (videtur Palmifera siue S. Annæ esse) hirsutos homines habuit, vnde feminarum pelles Carthaginem deportatæ sunt. Hæc insula terminus erat peripli Hannonis.

GORGADES supersunt siue GORGONES, domus Gorgonum, sed plus fabularum in hoc nomine. Fuisse ad *Hesperu Ceras*, id est post Viride promontorium, multorum consensu creditur: quot earum, apud priscos incertum. HESPERIDAS duas eis Plinius adiungit, vnde factum puto, ut *Gorgades* & *Hesperides* pro iisdem vulgo habeantur, pro iis nempe, quas de Capo Verde insulas appellamus. Veteres scriptores sibi non constant, & Plinius Gorgadas ex Hannone probaturus, cum aliis insulis confundit. Id autem credibile, Gorgonum feminarum fabulam a periplo illo & hirsutis mulieribus ortam esse,

:ſſe, quarum cutes in templo Iunionis Hanno ſuſpendit Carthagine. Inſula vero, vbi captæ fuerunt hæ mulieres, tridui navigatione ultra Θεῶν ὄχημα traditur ſita fuiſſe, cum Heſperides, quæ vulgo ita vocantur, ſint cis illud promontorium.

Quæ de ATLANTIDE, maiore quam Aſia & Africa extra Herculis columnas inſula, in Timæo Plato ſcripſit, propiora fabulis ſunt, quam vt priſcis temporibus cognitam Americam fuiſſe exinde aliquis facile crediderit. Nec certiora Siculus Diodorus adfert, cum Phœnices extra Herculis columnas profectos tempeſtatumque impetu abreptos illam inſulam, quam mirifice lib. V. cap. XIX. deprædicat, inueniſſe ſcribit. Addit Plato diſparuiſſe, Oceani contectam inundatione: & Ammianus lib. XVII. cap. XVI. (qui & ipſam *Europæo orbe potiorem* dixit) ad profundos hiatus Erebi abactam, æternis tenebris occultari dicit.

APPEN-

APPENDIX.
DE
VETERVM SCRIPTORVM ΔΗΜΟΠΑΘΕΙΑι.

TAM ſacros ſcriptores, quam profanos veteres ad vulgi ſe captum non raro accommodare, & de cœleſtibus rebus ac geographicis ita ſubinde ſentire, vt plebeia fert opinio: innumeris exemplis, ſi opus eſſet, confirmari poteſt. Nos paucis, & quidem ad geographiam pertinentibus, contenti, de ipſa vulgi opinione eiusque fundamento, antequam exempla proferamus, perbreuiter, quæ ad illuſtranda illa faciunt, præmittimus.

Quod viſus humanus cœli conſpicui concauitatem Horizonti ſenſibili conterminam eſſe putat, fit, vt rudis vulgus, iudicium oculorum ſecutus, credat, cœlum non ſphæricum eſſe, ſed hemiſphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus ipſa cœli extremitas innitatur. Terram enim non vt globum, ſed vt diſcum imperitiores intuentur. Hoc ſapientiſſimi etiam ſcri-

ptores

ꝺtores vſitata vetuſtis ſæculis ***συγκα-***
ταβάσει(quæ ex apologis etiam & my-
thologia conſtat) non raro imitantur.

Sic Aſſyrii Chaldæique hoſtes Iu-
dæorum dicuntur *ab extremitate terræ*
venturi Eſa.V.26.& ipſi maiores gentis
Iſraeliticæ, qui ex Tranſeuphratæa re-
gione acceſſerant, *ab extremis terræ*
evocati cap. XLI. 9. Sic regina Sabæa
ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ad Salomo-
nem profecta dicitur, quæ ex Felici
Arabia, vt plurimorum opinio eſt, ad-
venerat. Quid? quod non modo fines
terrarum orbis S.litteræ agnoſcunt,
ſed etiam ipſius cœli. Deuteron IV.32.
Quære *ab extremo cœli ad extremum
cœli*: & cap.XXX.4. Si depulſus fueris
ad extremum cœli, hoc eſt ad longin-
qua & remotiſſima loca.

Eodem modo locuti ſunt profani
ſcriptores. Plinius libro II.c.LXXVIII.
Æthiopas ait *vicini ſideris vapore tor-
reri, aduſtisque ſimiles gigni*. Horatius
lib. I.Carm. od. XXII.

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

Luca-

Lucanus lib. IX. v. 351.

Terrarum primam Libyen, nam proxima cœlo eſt,
Vt probat ipſe calor.

Tibullus lib. IV. eleg. I. v. 145.

Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus.

Et Sextus Rufus cap. X. *Poſitæ ſub vicino ſole provinciæ*, hoc eſt Orientales. Quomodo autem extrema ſiue prima habitabilis orbis terra *vicina* & *proxima* cœlo atque ſoli poteſt, niſi ex vulgi hac opinione, appellari? Glorioſior Darii vox apud Curtium eſt per per *ſolem* precantis *intra fines regni ſui orientem.* Vltimas ad ortum terras poſſidere vulgo creditus, ſibi ſuisque finibus exortum ſolis tribuebat. Nec aliter Macedones *extra ſidera & ſolem ſe trahi* querebantur, cum ad Indiam oppugnandam ducerentur. vid. Curt. lib. IV. cap. XIV, & lib. IX. cap. IV. Hæc & ſimilia cum geographia pugnant, quæ rotundam terram eſſe & vbique æqualiter a cœlo diſtare, nuſquam eodem contingi, docet. Nec ſemper res expeditur, ſi de directis obliquisue radiis, id quod multi ſolent, exponas. Non ergo facilius interpretamur illa, quam ex vulgi opinione & loquendi modo, quam Δημοπάθειαν diximus, vt ἀνθρωποπάθεια eſt, ſi hominum mores & dicendi rationem ſanctæ litteræ in diuinis æmulantur.

INDEX

INDEX GEOGRAPHIAE ANTIQVAE.

M Acolla

Tri-

Aous

Auto-

Bona-

Carpen-

Celti-

Chime-

Cortona

Cyrene

Dicte

E.

Enna

Euromus

Gedrusi

I.

L. Labea-

L.

M.

Mopsuestia

O.

Palæstina

Parthia

Pleuron

S.

Sare-

 alia

The-

Tigra-

Mau-

Vibo

Xan-